




SAM. PUFENDORFII

DISSERTATIONES ACADEMICÆ SELECTIORES,

Quibus accessit

CAROLI SCHARSCHMIDI


J. U. L.


DISQVISITIO DE REPUBLICA MONSTROSA


Ejusque

DEFENSIO

Contra Monzambano & Pufendorfium.







Editio nova auctior.



FRANCOFURTI & LIPSIÆ,
Apud Christianum Weidmannum,
Anno 1678.



VIRO ILLUSTRI
DOMINO
ESAIÆ à PUFEN-DORF,
EQUITI AURATO, S. REG. MAJEST. SVECIÆ CANCELLARIO IN DUCATIBUS BREMENSI ET VERDENSI
SAMUEL PUFENDORF
S. P. D.



I ejus, quod offertur, pretium solus offerentis anim9, & quæ ad offerendum movent, rationes absolverent, sperare possem, FRATRUM PTIME, dissertationes hasce, quas Tuo omini jam inscribo, non plane indiium fore donum exprimendæ meæ Te pietati. Verũ cum ipsæ argumenquidem non penitus spernendæ, traione tamen tenues existant, delibasuper novitatis gratia, & plerisq; in nostra scripta translatis: facies pro a Tua in me benignitate, si earuntaxationem soli amori permiseris. rum quin isthoc vel muneris vel

publicæ contestationis ex sincero animo proficiscatur, subigentibꝰ præterea gravissimis rationibus, dubitare nefas. Sane enim licet suavissimæ juxta & fidissimæ animorum conjunctioni significandæ nullum fraterno efficacius vocabulum judicetur; inest tamen reliquis, quæ Tibi me devinciunt, non minus, quam fraternæ necessitudini, ponderis. Tuæ enim cũprimis solicitudini debeo, quod florentibꝰ annis non defuit occasio exquisitiorem ingenii cultum capessendi; ex quo, quicquid dein fortunæ obtigit, promanavit. Tuo quoq; præcipue hortatu in publicũ prodire, & seculi favorem non desperare ausus sum, quem alias nimia frontis teneritas perpetua obscuritate sepultura fuerat. Quin & quod in hoc potissimum studiorum genere operam ponerẽ, cujus usus se circa vitam civilem & gentium publica inter se cōmercia propius expromit, Tua me autoritas, tuumq; exemplum maxime incitavit. Scilicet ut saltẽ umbratica speculatione volverem, quæ Tu in ipso rerum actu quotidie perspicis & exerces, postquam diversis nos vitæ generibus

fata

fata admoverunt. Te quippe eadem in reipublicæ lucem protraxerũt, dum per præcipuas Europæ aulas Auguſtiſſimi Noſtri Regis negótia expedienda dignũ ngenio animoq; Tuo campum præbuerunt. In quo ita verſat9 es, ut neq; iſto-um intricatæ ambages animum con-nderẽt, neq; difficultas fatigaret, neq; oles opprimeret. Neq; vero qua fide ac xteritate injunctam functionẽ ſuſti-eris, luculentius declarari poterat, am judicio tanti Regis, abs quo & di-itas Tua inſigniter aucta, & majora inde comittuntur, certiſſimo argu-nto rei antea bene geſtæ. Me autem, utcunq; temporis non plane ſegni-xacti ratio conſtaret, circa eam præ-e partem ſapientiæ juvit ſatagere, circa regendas hominis actiones, on vitæ humanæ civilisq; compa-ndolem inveſtigandã occupatur. pe quæ & genio meo valde arride-præſentiſſimæ eſt utilitatis, & po-n adhuc nonnullã capiebat; poſt-queis ingenia ſua magiſtrorũ au-mancipare ſoleñe eſt, intra jeju-cabulorum ac quæſtionum tra-

cta-

ctationem fere obhæserunt; aliis nativa ejusdem dogmata supprimere, & diversa officia ab illis, quæ recta ratio suggerit, comminisci artificium & ratio status fuit; cæteri qui rectam institere viam, nondum omnem sequentiũ industriæ materiam præripuerunt. An aliquod operæ pretium ego fecerim, penes intelligentes judicium esto Sane vel sola rectissimæ voluntatis conscientia nondũ permisit, ut exhausti laboris me pœniteret, licet nonnulla malevolorum dentem fatigare cœperint. Qui quo candore, aut eruditionis adparatu rẽ aggressi sint, non obscuro puto à me ostensum fuit; sic ut non temere alium mihi bellum deinceps super hisce rebus moturũ sperem, cui quidem ulla frontis atq; existimationis cura habetur. Etsi revera ejusmodi litigiis distineri molestum valde sit. Nam præterquam quod ista non parum torporis ad plura molienda injiciunt, neq; ad tam inficetas criminationes plane tacere licet; & vel vicisse inglorium est eos, qui tam fœdis armis pugnãcient. Præsertim cum per adversariorũ importunitatem vix adeo accurate ca-

lamo

lamo imperare queamus, ut non quandoq; à modestiæ linea discedatur; & cũ clamaso homine rixanti vox etiam præter intentionẽ attollitur. Verum hisce missis ea in præsens cura me nunc maxime solicitat, ut munusculum hoc Tibi, FRATRUM OPTIME, possim adprobare, quod cerno meritis tuis exprimendis longe inferius esse; & splendidior utiq; fructuum pars Tibi seponenda erat ex arbore, quæ tantam sui incrementi partem Tibi debet. Sed quia, quantum otii futurum tempus præbiturum sit, in obscuro est, malui qualicunq; hac pietatis in Te meæ testificatione nunc defungi, quam alias occasiones, varietati casuũ humanorum obnoxias, expectare. Et uti Tuus in me amor nihil unquam præter meipsum respexit: ita ut & hic nihil aliud quam animum meum æstimes rogo. Ita DEUS O. M. Te animæ dimidium meæ ad seros usque annos incolumem florentemq; servet, & rem publice ac privatim bene gerere largiatur!

NO-

NOMINA EORUM,

qui Reſpondentium partes in publica ventilatione harum Diſſertationum ſuſtinuerunt.

De Obligatione adverſus Patriam
ANDREAS ULCKEN, Hamburgenſis.

De Rebus geſtis Philippi
GUILIELMUS JULIUS COYET, Nobilis Svecus.

De Exiſtimatione
ERICUS TEET, Nobilis Suecus.

De Syſtematibus Civitatum
DANIEL CHRISTIERNIN, Suecus.

De Interregnis
GUSTAVUS HORN, L. BARO in Marienburg.

De Republica irregulari
HERMANNUS SIBRAND, Roſtochienſis.

De Forma Reipublicæ Romanæ
NICOLAUS BANNER, L. BARO in Gamle-Carleby.

De Legibus Sumtuariis
DANIEL LOSSIUS, Stadenſis.

De Concordia vera Politicæ cum Religione Chriſtiana
CASPAR HAMMERUS, Scanus.

De Statu Hominum Naturali
HERMANNUS FLEMING, L. BARO in Liebelitz.

IN

In Nomine DEI Triunius.

DISSERTATIO DE

[O]bligatione erga patriam.

§. I.

[P]Lerosqve mortalium exqvisitâ patrii soli dulcedine tangi, qvæ etiam longo terrarum intervallo divisos sui immemores esse non sinat; nec minus principem ferè locum eidem assignari ..., qvæ tenerâ admodum caritate prosequi ..., tralatitium est. Idque non ab extrinse... [i]llecebris provenire, hoc est indicio, quòd ...ius eum affectum sentiant positi *sub curru ... propinqvi Solis*, aut *pigris ubi nulla ...arboribus æstiva recreatur umbra*; qvàm ...[tem]peratæ regiones incoluntur. *Qvid me... ...â, Scythico quid frigore pejus? Huc tamen ...[ba]rbarus urbe fugit. Ovid. de Pont. l. 1. el.* ...*Stobæus serm. 38.* Qvin & firmissimo

obliga-

obligationis vinculo suam sibi sobolem adstrictam tenere patria creditur, ut suo jure maximam sibi ejusdem partem vindicare possit. Vix speciosius qvid habetur exhaustis pro patria magnis laboribus atqve periculis. Pro ista servanda vitam perdere lucrosum censetur, immortali gloria caduci jacturam spiritus pensante. *Fortunam* exclamat *mortem Cicero Phil. XIV. qva natura debita pro patria est potissimum reddita. In pugnam descendentibus*, inqvit *Lucianus Encom. Patria, nulla exhortatio est vehementior, qvàm qvòd pro patria bellum gerant. Qvo audito nemo ignavus esse amplius sustinet.* Imò cum omnia patriæ impenderimus, nondum tamen paria cum ipsius meritis nos fecisse multis persvasum est. Neqve tamen ex adverso desunt, qvibus amor patriæ vocatur error utilis, & fraus necessaria, sine qvo vix imperium aliqvod conservari posset. Sic apud *Dionys. Halicarn. l. VIII.* Cn. Marcius: *Patriam, dum prodest, pietate proseqvimur; si noceat, deserimus, non propter locum eam amantes, sed propter commodum.* Addunt, sapientem, qvi se consideràt tanqvam civem mundi, & nemini obnoxium, pluris debere æstimare suam libertatem, qvàm ut eam velit alligare certæ telluris particulæ, velut aliqvis glebæ adscriptus: & longè pretiosiorem esse sapientiam, qvàm ut qvi eam possidet, pro grege stultorum periculo sese debeat exponere, sub hoc prætextu, qvasi pro patria pugnet. Qvæ erat sententia Aristippi ap. *Diogenem Laertium l. 2.* & Theodori apud *Hesychium Illustrium, p. m. 39.*

Sic

c M. Bruto super interficiendo Cæsare deliberanti
atilius factum dissvadens dixit: *sapientem & cor-*
tum non decere malorum & insipientium causa
riculum & terrorem subire, apud *Plutarchum*
uto. Hæc igitur res etiam nos movit, ut qvædam
a tantopere jactatam *Obligationem adversus*
riam meditari aggrederemur. Videbimus *ex*
ius velutí fontibus illa promanet; in qvas ho-
us res vim suâ exserat; qvem locum inter ca-
s obligationes, qveis homo stringitur, obti-
; & qvatenus aliqvando abrumpi aut extin-
veat. Ad hæc enim capita non incommo-
dentur revocari posse, qvæ circa hanc rem sub
isitionem vocari merentur.

2. Qvanqvam illis, in qvæ singulari af-
propendemus, & qvæ jucunditate aliqvâ
obis commendant, libenter velimus obliga-
n tamen adfectum in se obligationem haut
vam producere constat. Unde qvantumvis
la, qvantumvis cara sit patria; non tamen
nica aut præcipua causa, cur illi dicamur
ti. Nihilominus de causis istius jucundita-
ca attingere non abs re erit. Qvas inter
iguam habere vim videtur ipsa corporum
niorum dispositio, qvam plerumqve ad
soli indolem natura format. Ipsam re-
orum teneritatem circumfusus aër, victus-
o efficacius afficiunt, & adsvetudine in sui
miliaritatem fingunt, ut sæpe corpora no-
igi sentiamus, qvando ad alienum cœlum,
am victum vocamur. *Naturam, cum pri-*

mum incrementa caloris & frigoris regionibus distinxit, statim ad locorum patientiam animalia qvoq; generasse: sed & arborum atq; frugum pro regionum conditione aptè genera variata: Et qvantò Scythis sit cælum asperius qvàm Ægyptiis, tantò & corpora & ingenia esse duriora; respondent illi his de vetustate generis contendentibus, apud *Justin. l. 2. c. 1.* De Indis *Curtius l. 8. c. 9. Ingenia hominum sicut ubiqve, apud illos locorum qvoqve situs format. Idem l. VII. c. 3.* de Parapamisadis: *locorum asperitas hominum qvoqve ingenia duraverat. Ammianus Marcell. l. 23.* postqvam gentes imperio Persarum subjectas descripserat, subjungit: *Per has nationes dissonas & multiplices hominum qvoqve diversitates sunt, ut locorum.* Qvæ omnia tamen cum grano salis sunt accipienda. Sic *Tacitus Agric. c. 11.* varios esse corporum habitus incolis Britanniæ dicit *seu durante originis vi: seu procurrentibus in diversa terris positio cæli corporibus habitum dedit.* Eodem spectat illud *de Mor. Germ: Qvis Asia aut Africa aut Italia relictâ Germaniam peteret? informem terris, asperam cælo, tristem cultu adspectuq;, nisi si patria sit. Germanorum corpora cæli sui rigori adsveta Italici æstus impatientia labefecit. Idem Hist. II. c. 93.* Idem de Cimbris tradit *Florus l. 3. c. 3.* Add. *Agatharchides de mari rubro c. 32.* Qvid mirum igitur, homines libenter & jucundè in illis degere locis, qvorum genio ipsorum corpora naturâ & per assvetudinem attemperantur?

§. 3. Sed

§. 3. Sed & illud ad rem facere potest, qvod [r]ecenti adhuc, ac nulla rerum multitudine oc[c]upato animo jucunda qvædam locorum familia[ri]um imago sese insinuat, qvæ non minori cum [du]lcedine, atqve simplices illi anni inter ludicra [a]cti, subinde recursat. Nec vulgus solùm, sed & [m]agnos viros qvandoqve hic affectus tenet; imò [L]ucianus d. l. ipsis Diis eundem tribuit. Revera [ta]men ista patrii soli jucunditas, si id demas, qvod [h]abitus corporis ad diu insessi genium loci sæpe temperetur, est ex adsvetudine, non à natura; ut[cun]que secus videatur judicare *Curtius l. V. c. 5.* ubi [m]emorat, mutilatos illos Græcos in patriam no[lu]isse reverti, eò qvòd plerosqve vinceret *consvetu[do] naturâ potentior. Vespasianum Svetonius c. 2.* [na]rrat *educatum sub paterna avia in prædiis Co[sa]nis. Qvare Princeps qvoqve locum incunabulo[ru]m assiduè freqventavit; manente villa, qvalis [f]erat olim: ne qvid scilicet oculorum consvetu[di]ni deperiret. Idem,* qvando de loco, ubi Ca[li]gula natus sit, disputat c. 8. pro Antio demum [co]ncludit, usus præter publicorum fidem actorum [et]iam hoc argumento, qvod *Antium omnibus sem[pe]r locis atqve secessibus prælatum, non aliter [t]am natale solum dilexerit.* Ubi tamen viden[da], qvæ contrà adfert *Lipsius.* Nec obscurè eun[de]m affectum prodit *Cicero l. 2. de legib. Seneca [Ep]ist. LXVI. Nemo patriam, qvia magna est, a[m]at, sed qvia sua.* Imò & multis in parte felici[ta]tis habitum, post mortem patrio potissimum [so]lo corpus mandare. Ita enim *Lucianus l. d. U-nus-*

nusqvisq; senum optat in patria mori, ut ubi vitam est auspicatus, ibidem & corpus deponat apud altricem terram, & majorum monumentis inferatur. Grave enim videtur inter peregrinandum à fato velut occupari, & post mortem in aliena terra jacere.

§. 4. Fatendum tamen est, multa pro dulcedine natalis soli adduci solere, qvæ fortasse commodius ad alias causas referri poterant. Sic cui non dictus Ulysses immortalitati & matrimonio Calypsus prætulisse καὶ καπνὸν ἀποθρώσκοντα νοῆσαι ἧς γαίης; Qvod *Lucianus* d. l. ita exprimit: ὁ τῆς πατρίδος καπνὸς λαμπρότερος τοῦ παρ' ἄλλοις πυρός. Vid. *Oppianus halicuticon l.* 1. *v.* 274. Idem qvoqve sic exclamat *Odyss.* 1. ὡς οὐδὲν γλύκιον ἧς πατρίδος, οὐδὲ τοκήων γίνεται. Enimvero nihil mirum erat, Ulyssem Ithacæ malle imperare & circumsitis insulis, Dulichio, Samæ & Zacyntho, ac frui Penelope sua, filioque & patre, atqve opibus suis, qvàm in Ogygia obscurissima insularum (vid. *Procopius histor. Goth. l. IV. p. m.* 476.) cum Calypso perpetuo vivere ἐν σπέεσι γλαφυροῖσιν. Sic apud *Livium l. V. c.* 54. Camillus ad Qvirites Vejos migrare deserta Roma conantes: *Adeo nihil tenet solum patriæ? nec hæc terra, quam matrem adpellamus? Sed in superficie tignisqve caritas nobis patriæ pendet? Eqvidem fatebor vobis, qvum abessem, qvotiescunqve patria in mentem veniret, hæc omnia oc-*

cur-

urrebant, colles, campiqve & Tiberis, & adsveta tulis regio & hoc cælum, sub qvo natus educatusq; *ssem; qvæ vos, Qvirites, nunc moveant potius ca-* *ritate sua, ut maneatis in sede vestra, qvam postea,* *um reliqueritis ea, macerent desiderio.* Sed præ-erqvam qvod ista adposite ad vulgi captum dice-entur, etiam citra hoc stultè fecissent Romani sede ia Vejos translata. Nam & situ longè commodi-re gaudet Roma Tiberi adsita, nec ita longè à ma-reinota, qvam Veji ab utroqve distincti: nec ea loria Gallis erat concedenda, ut abs se interi-um Romæ allatum jactare possent. In exilio au-em non tam molestum est adspectu soli patrii ca-ere, qvam id pati ob delictum, aut per injuriam, & videm ut eo frui vetitum sit. Qvantopere enim er interdictum desideria inflammentur notissi-num est. Nec id leve est, dignitate ac bonis exui, à necessitudinibus abstrahi. In Ostracismo au-em vel hoc inprimis molestum erat, invitum cogi atriæ commodis carere; & suspectum esse civibus is, ut nisi ipso remoto, libertatem suam parum in ito positam ducerent. Circa Abrahamum eqvi-em *Ambros. l. 1. de Offic. c. 24.* laudat, qvod man-ato divino amorem patrii soli vicerit. Sed hæc mi-ima pars erat eorum, qvibus in ea migratione ipsi-s adfectus perstringebatur. Gravius enim utiqve at, deserere propinqvos, *uxorem imbecillem ad bores, teneram ad injurias, decoram ad incenti-a insolentium,* deducere ad ignotos, de qvibus non onstabat, amicè ipsum essent accepturi, an in præ-æ occasionem versuri hospitis opulenti adventum.

Deniqve inopiam potius hoſtium qværunt duces, qvam deformationem natalis ſoli, qvando *faviendo in urbes, gentes contumaces vilesqve morti domare* inſtituunt; etſi *deſiderio patrii ſoli* id efficaciæ adſcriptum eat *Florus l. 2. c. 6.* ubi in Sardos eo bellandi genere Gracchus uſus dicitur.

§. 5. Iſtum tamen adfectum natalis ſoli, undecunqve ortum apud plurimos extingvit aut enervat ratio, ac ſpes utilitatis, qvæ accedente poſt adſvetudine non minorem dulcedinem conciliat illi loco, in qvem fortunarum ſedem tranſtulimus. Qvis neſcit, qvod diuturna habitatio peregrinorum qvoqve corpora ad alieni aëris & victus patientiam ſenſim formet? Ex qvo paulatim ſoboles animi qvoqve novum qvaſi habitum induit, atqve ab avitæ nationis genio deſciſcit. Qvam in rem adduci poteſt exemplum Gallogræcorum, de qvibus eſt apud *Flor. l. 2. c. 11. & Liv. l. 38. c. 17.* Nam nimis oratorem agit Mithridates apud *Juſtin. l. 38. c. 4.* Qvam innumeros lucri amor patriis ſedibus extractos ad Garamantas usqve & Indos mittit? De Luſitanis Inſulæ S. Thomæ incolis ita *Barlaus de reb. geſt. Mauritii: Eorum ſpeciem vultusq; æſtus vehementia mire immutaverat, & perhibebant ipſi, vitam omnibus ſibi brevis ævi eſſe, nec ultra ſemiſeculum procedere, nec minus lucri cupidinem vita potiorem duci. Hinc ipſum Morboniæ regnum amari.* Multos qvoqve, ut patrium ſolum relinqverent, *fertilis ora & in majus laudatæ fama corrupit. Senec. conſ. ad Helv. c. 6.* Sic Gallicam *gentem traditur famâ, dulcedine frugum, maximeque*

ni tunc noṿa voluptate captam Alpes trans-grosque ab Etruscis ante cultos possedisse; & isse in Galliam vinum illiciendæ gentis causa tem Clusinum, est ap. *Liv. l. V. c. 33.* Etsi an ea ut præcipua causa fuerit, dubitare possis, si as, quæ ap. *Liv. d. l.* sequuntur, & quæ ha-*stin. l. 20. c. 5.* Nonnullis denique inter ex-splendidas aut copiosas sedes fata pararunt, natalis soli dulcedinem digerere in proclivi *uem fortuna dedit, Roma sit ille locus. Ovid. Pont. el. 6.* In tales nequaquam quadrat illud *ii l. d. Qui felicissime in alia civitate agunt, cæteris res ipsis ex voto cedat, hoc tamen sibi cipue deesse arbitrantur, quod non in patria it, sed peregre agant.* Non enim amplius ύσι, qui sedem fortunarum apud exteros t. Adde hisce *Senecam consol. ad Helviam,* *. 8.*

. Propius ad scopum nostrum facit, ut in-us, an patriæ aliquid *debeamus*, quatenus natale solum notat. An ergo fortasse inde os aliqua oritur obligatio, quod nascentibus ocum præbuit? Equidem Terræ in univer-plixum inde petit encomium *Plinius l. 2 c.* inquit, *eximia propter merita cognomen nus materna venerationis. Sic hominum il-ælum Dei, quæ nos nascentes excipit, natos nelq; editos sustinet semper, novissime com-remio jam à reliqua natura abdicatos, ixime, ut mater operiens.* Unde & ingrati

animi crimen adversus eandem à mortalibus contrahi ibidem, sed non sine amœna figura ostendit. Sic apud *Plutarchum Apoth Lacon.* Pausanias Deliis de insulæ suæ jure adversus Athenienses disputantibus, ac dicentibus; Lege apud ipsos receptum esse, ut neque pariant in insula mulieres, neque mortui sepeliantur: Et quomodo, inquit, Delus patria vestra sit, in qua neque natus est quisquam vestrûm, neque erit post mortem? Apud *Sveton. August. c. 5.* legitur, cum C. *Lectorius in deprecanda graviore pœna præter alia hoc quoq; P. C. allegaret, se esse possessorem, ac velut aditum soli, quod primum D. Augustus nascens attigisset, peteretq; donari quasi proprio suo ac peculiari Deo: decretum est, ut ea pars domus consecraretur.* Sic Domitianus domum, in qua natus erat, in templum Flaviæ gentis convertit. *Id. Domit. c. 1.* Enimvero hoc aut aliis modis solum illud, quod nascentes excepit, signare ad servandam ejus rei memoriam, & oblectandæ quorundam curiositati, non absurdum fuerit. Aliis pium fuit visum, ea ratione Numen pro data vita venerari. Et sane heic soli Deo grates debentur, qui eam naturæ partem in usus nostros concessit. Ipsum quidem solum, ut tale, & qui illud ante aut post incolunt, non magis nos obstrictos obligatione possunt habere, quam tabula, qua quis è naufragio enatavit. Apollini, si ad fabulas est veniendum, non insula Delos beneficium dedit, sed Neptunus, cujus tridente illa tacta sedem parturienti Latonæ præbuit. An Attici, & si qui

ſiqui alii αὐτόχθονας ſeſe jactitarunt, ſolo ſuo peculiariter fuerint obſtricti, ipſi viderint.

§. 7. Hinc conſequitur, ut alia ſint merita patriæ, ob quæ ipſi tantopere obligati ferimur, quam nudum illud miniſterium recens natos excipiendi. Indicio inter cætera eſſe poteſt, quod, dum ap. *Tacit. Agric. c.32.* Galgacus Britannos ad ſtrenue pugnandum pro patria & libertate incitat, ex adverſo de Romano milite dicit; *nulla pleriſq; patria eſt.* At puto nequaquam Caledonius ille credebat, eos milites fortaſſe in arboribus natos ad inſtar anſerum Scoticorum; ſed utique locus aliquis terrarum naſcentes ſuſtinuerat. Sic qui in mari natus eſt, in locum patriæ hautquidquam venerari debebit navem, in qua mater eum peperit. Sic quem mater alienis in ſedibus edidit, puta quod ſequeretur maritum legationem aut alia negotia obeuntem, vel in expeditione verſantem, is patriæ in vicem locum nativitatis colere non tenetur. Denique eos, qui extorres perpetuo vagantur, patria carere dicimus, qui tamen alicubi terrarum utique nati ſunt. Sic Clitomachus Thebanus negat ſibi patriam eſſe, everſis Thebis, apud *Joan. Tzetzen. Chiliad. VII. hiſt. 139.*

§. 8. Ad inveſtigandam autem originem obligationis adverſus patriam, certiſſimam puto viam monſtrabit ipſum patriæ vocabulum. Cur enim à patre potius quam à matre ejus notationem deduxit gentium plerarumque conſenſus; cum tamen ille ab eo loco, in quo quis in lucem editur,

abesse queat, hæc non item? Heic rem paulo altius repetere non inconveniens fuerit. Dum igitur homo hominem generat, eique, quantum in se est, dat ut existat, eo ipso occasionem nanciscitur peculiare præ cæteris jus in ipsum adquirendi. Sed cum ad isthunc actum non pater solùm, sed & mater concurrat, & hujus quidem opera in gestatione ac partu magna cum molestia & labore sit conjuncta, ac major quoque de prole certitudo, quam illius; dubitari potest, utrius jus in prolem sit potius? Equidem si homines concipiamus in naturali libertate, & prout nullius imperio sunt subjecti, inæqualitas illa virium animi & corporis, quæ inter diversos sexus plerunque deprehenditur, nequidquam id efficere videtur, ut mari citra pactum aliquod in fæminam imperium competat, aut in sobolem ex ipsa genitam. Unde utrius jus heic potius; omnino ex pacto matrimoniali dijudicandum. Quæ causa est, cur, ubi pactum non præcessit, proles matris sit, non patris, etsi de hoc fortasse sufficienti indicio constet. Sed cum omnes apud gentes communiter viri in matrimonio melioris sint conditionis; quod ipsum & sexus ratio non obscure svadet, & divina comprobat dispositio; inde regulariter potius competit jus in prolem patri, quam matri, tam in separatis familiis, quam in civitatibus, initio plerunque per viros constitutis. Illud autem jus seu imperium in prolem pater actu adquirit, quando illam tollit, nutririque curat, & in commodum societati humanæ membrum format. Exinde in prole obligatio ad obsequium, reverentiam

tiam & gratitudinem enaſcitur. Sed utrum iſta obligatio magis oriatur ex actu generationis, an educationis, inter omnes non convenit. Alii generationi favent; per hanc enim parentem vitam dare, bonum utiq; præſtantiſſimum, & cæterorum omnium occaſionem; ac gignendo parentes quodammodo Deum referre. Alii non impium credunt pro educatione calculum ferre, per quam demum quis hominis dignationem implere diſcit, & quæ magna ac diuturna cura, pari labore ac ſumtu perficitur. Si ſalva adhuc philoſophandi libertas nobis conſtat, non horreamus cum his ſentire. Præterquam enim, quod non crediderim, parentem generando tam magnum beneficium dediſſe proli, ſi eam in lucem editam abjicat, aut nutritam citra cultum adoleſcere patiatur pecudis in morem, ut vitam agat ſibi erubeſcendam, aliis inutilem aut moleſtam: neque hoc videtur ſequi; vita eſt maximum bonum; ergo actus parentis, quo eam dat, eſt maxime aptus ad exitandam in prole obligationem. Hactenus enim perſvaſus fui, ſi factum aliquod meum alteri magnopere velim imputare, neceſſum eſſe, ut ſciam, cui dem, & an ad ipſum meum beneficium ſit perventurum. Nec illud parum ad rem facit conſideraſſe, an intentionem habeam alterum beneficio mihi obſtrigendi; quanti id factum mihi conſtet; an id ſuſceperim magis ut alteri prodeſſem, quam ut mihi utilitatem aliquam aut delectationem inde pararem: num ad id ſuſcipiendum ratione & deliberato animi pro-

posito, an vero affectuum stimulis, aut sensuum illecebris sim impulsus: an denique id, quod dedi, ullo modo alteri prodesse queat, nisi alia accesserint. Plura addere nihil attinet, ne quis ingenio paulo tristiore parum pudenter nos agere fremat. Illi pronuncient, qui propriam heic experientiam jactare possunt. Nequidquam tamen omnia probaverim, quæ circa hanc rem *Seneca* disputat, *l. 3. de benef. C. 30. 31. &c.* gravis cæteroquin autor, & cui non temere quis nequitiæ aut improbitatis crimen impegerit. Nam illud sine dubio tolerari non potest, quod vitam hominis, cui Deus immortalem animam dedit, vocet rem, quæ *cum feris & animalibus quibusdam minimis, quibusdam etiam fœdissimis communis est:* item, *muscarum ac vermium bonum.* Ista tamen fortasse non adeo cordatorum censuram metuant: *illud quod natus sum, per se intuere quale sit: animadvertes exiguum & incertum, & boni malique communem materiam. Sine dubio primum ad omnia gradum; sed non ideo majorem omnibus, quia primum; nec* enim *ideo prima maximorum instar sunt, quia sine primis maxima esse non possunt.* Item: *Ad bene vivendum minima portio est vivere,* etsi hoc sine illo non existit. *Puta me vitam pro vita reddidisse. Sic quoq; munus tuum vici, cum ego dederim sentienti, cum sentiens me dare, cum vitam tibi non voluptatis meæ causa, aut certe per voluptatem dederim. Vis scire, quam non sit magnum beneficium, vitam sic dare? exposuisses; nempe injuria erat genuisse.* Quo

*Quo quidem colligo, minimum esse beneficium, pa-
ris matrisq; concubitum, nisi accesserint alia, quæ
rosequerentur hoc initium muneris, & aliis offi-
iis ratum facerent.* Idem paulo post *generandi
eneficium vulgare* vocat; *paternum munus &
implex & facile*, & in quo (saltem vulgus pa-
rum) *spectat omnia potius, quam eum, cui dabat.*

§. 9. Ad istam porro obligationem erga pa-
entem, ut talem, accedit alia quoque, tanquam
rga caput familiæ, cujus autoritate & opera libe-
i tum contra cætera familiæ membra, tum con-
ra alienos defenduntur. Quæ obligatio major
st, si pater suam familiam seorsim gubernet, nec
am civitati alicui subjecerit; nam heic ipse instar
rincipis etiam gerit. In tali familia separata qui
ivit, is non videtur peculiari aliqua obligatione
dversus patriam stringi. Parentibus enim tene-
itur tanquam genitoribus & educatoribus; pa-
i autem peculiariter ut principi. Cæteris, si qui
x iisdem genitoribus descendant, vinculo san-
vinis jungetur, & illo præterea, quo cives ejus-
em Reipl qua tales invicem tenentur, aut quod
uic sit analogum. Servi aut mercenarii, accepto
uod ex contractu ipsis debetur, nihil præterea,
uod imputent, habebunt, præter peculiaria, si
ua præstiterunt, beneficia. Natali solo, ut tali,
on posse aliquem obligari manifestum est. Nec
ui postea eodem in loco sedes fixerint, eo nomi-
e quid postulare queunt, quod ibi jam habitent,
bi ipse primum vagiit. Ergo nullum amplius
uperest objectum, in quod operari queat obliga-
tio

tio aliqua adversus patriam. Cæterum ex tali familia ut filius discederet, inscio vel invito patre, lex reverentiæ & gratitudinis non permittebat. Verum eo defuncto licebat singulis filiorum suam sibi familiam seorsim habere, aut cuicunque placeret civitati eandem adjungere, nisi ex eodem patre orti peculiarem inter se civitatem vellent constituere, formâ regiminis in eam ex dispositione patris aut propria conventione introducta.

§. 10. Verùm postquam multiplicato hominum genere adparuit, parum tutam ac copiosam agi vitam ita per singulas familias sparsis, plurium conjunctione civitates constitui placuit. In quibus quidem patresfamilias aliquam suæ libertatis, suorumque jurium diminutionem admittere necessum habuere. Nam antea nemini subjecti summo cum imperio suos regebant; proprioque ex arbitrio se suaque defendebant, ac injurias sibi illatas persequebantur. Post autem imperium civitatis agnoscendum fuit, actionesque propriæ, ac personarum suæ familiæ innexarum, rerumque gubernatio ad certas legum regulas temperanda; defensio quoque sui rerumque suarum extra casus repentinos, nec non injuriarum persecutio ad publici judicium imperii exercenda. Quæ tamen omnia insignibus commodis ubertim pensantur. Nam cujusque defensio contra injurias exterorum aut civium longe felicius publicis viribus peragitur; in quem finem etiamsi singuli quoque operas nonnunquam, & particulam bonorum tributi loco erogare tenentur; longe tamen hoc com-

ommodius est, quàm in ancipiti semper penden-
em videre suam incolumitatem inter multorum
ıalitiam, & propriarum virium tenuitatem. In-
ra legum civilium cancellos actiones & jura sua
ncludi nemo ægre debet ferre, cùm hac ratione
ıultorum dissona aliàs arbitria in harmoniam
ɔgantur, conservando bono universorum, cui
ngulorum quoque felicitas est innexa. Nec in-
ignandum, ad alterius nos respicere imperium
ebere, cujus ope salus nostra longè meliore est
ɔco, quam in laxa illa libertate. Denique per ci-
tates fortunis nostris maxima securitas, quanta
ı res humanas cadit, partá fuit. Accedunt com-
ıoda ex conjuncta tot hominum industria resul-
ıntia, & quod heic est non solum occasio animum
ıxta ac corpus rebus gerendis præparandi, sed &
ımpus virtutem suam non citra spem amplissi-
ıorum præmiorum ostentandi. Quanquam ist-
æc commoda in aliis civitatibus sint uberiora, in
iis tenuiora; qua de causá jus civitatis non ubi-
ıe pari pretio æstimatur.

§. 11. Quia autem communi gentium more
s civitatis à patre in liberos solet transmitti;
ıam uti pater pro se liberisque suis jus civitatis
inde pendentia commoda stipulatur; ita ipso-
ım quoque nomine fidem civitati dedisse intel-
gitur, quam ipsi alicubi proprio nomine reno-
ınt, quando pars domus patriæ esse desinunt;)
de factum est, ut Patriæ nomine vocaretur illa
vitas, in qua fortunarum sedem quis habet, tan-
ıam cujus jus in ipsum à patre sit devolutum,

& cu-

& cujus κτῆμα, uti *Lucianus* loquitur *l. c. ipse pater fuerit.* Hinc etiam arbitramur *Maronem l. 4. Georg.* de apibus dixisse: *Patriam sola & certos novere penates;* quod ipsarum soboles, non ut pleraque cæterorum animantium, adulta seorsim sibi victum quærat & receptaculum, sed civitatis velut patriæ pars maneat, & in ejus leges protinus instinctu naturæ sese attemperet. Ob eandem rationem, cum patriæ vocabulum natura quidem sit adjectivum, usu autem substantivum, malimus subintelligere vocem *civitatis*, quam *terræ*, seu ut potius dicatur *patria civitas*, quam *patria terra*; etsi Homero, aliisque Græcis Poëtis solenne sit ponere πατρίδα γαῖαν. Indidem etiam est, quod nescio an ulli præterquam Cretensibus μητρίδα dicere placuerit, (nisi forte hi nudum natale solum eo nomine intellexerint,) quia, cum uxor in mariti familiam concedat, non contra, liberi quoque, saltem geniti in matrimoniis juxta leges civitatis solenniter contractis, paternam civitatem sequuntur, non eam, in qua mater nata fuit. Quo etiã respexit *l. 3. C. de municip.* Heic tamen excipiuntur Amazonum liberi; item vulgo quæsiti, aut nati ex illegitima cohabitatione, & in quos patri nulla potestas per leges civiles conceditur, qui matris conditionem & civitatem sequuntur. Id quod jus naturæ vocat *Ulpianus* in l. 24. ff. *de stat. hom.* Cujus legis commodissimus est sensus; quia jus civile Romanorum patri non dat potestatem nisi in liberos ex legitimo matrimonio

onio natos,qui ipſum ſequuntur, l.19. d.t. ideo
hil aliud ſupereſt,oſtendente ipſa ratione,quam
ſine legitimo matrimonio nati matrem ſe-
antur, ne ſint ἀπόλιδες, & ſine certo ſtatu.
nf. etiam *Grotium in Sparſ.flor.ad* h.l. Sed &
ex peculiari ſtatuto alicujus civitatis fieri po-
, ut quis urbis maternæ privilegiis, etſi alio
o in lucem editus, frui queat; ſi velit. Quale
mplum extat in l.1.§.2.ff.*ad municip.*
. 12. Sed cum nomen patriæ ab origine ſua
tum reverentiæ & amoris mutuetur, inde eo
ine etiam denotari cœpit quælibet civitas,in
quis ſedem fortunarum fixit, ſive in ea natus
fuerit, ſive recens in eandem adſcitus. Apud
onem *Æn.3.* Æneæ *Italia patria* eſt, *ſedes ubi*
quietas oſtendunt.*Idem* l.XI. *Ite, ait, egre-*
animas, quæ ſanguine nobis Hanc patriam pe-
re ſuo decorate ſupremis Muneribus. Inprimis
dduci debet illud *Ciceronis l.2. de Leg.* *Ego,*
it, & Catoni, & omnibus municipibus duas eſ-
ſeo patrias, unam naturæ, alteram civitatis:
Cato, cum eſſet Tuſculi natus, in populi Rom.
item ſuſceptus eſt: itaq́ cum ortu Tuſcu-
eſſet, civitate Romanus, habuit alteram lo-
riam, alteram juris: ut veſtri Attici, prius-
Theſeus eosdem migrare ex agris, & in a-
uod appellatur, omneis ſe conferre juſſit, &
erant iidem & Attici: ſic & nos & eam
am dicimus, ubi nati; & illam, qua excepti
. Sed neceſſe eſt caritate eam præſtare, in
Reip. nomen, & univerſæ civitatis eſt; pro
quâ

qua mori,& cui nos totos dedere,& in qua nostra omnia ponere, & quasi consecrare debemus. Dulcis autem non multo secus est, quæ genuit, quam illa,quæ excepit.Itaq; ego esse hanc meam patriam prorsus nunquam negabo, dum illa sit major, & hæc in ea contineatur. Ubi tamen observandum,hanc distinctionem inter *patriam loci & juris* duplici sensu posse capi. Uno, quo *Cicero* h.l. usurpat, & adplicari potest illis, qui nati sunt in oppido aliquo,quod subordinatum est alteri urbi, in qua sedes imperii, qualis erat Roma respectu municipiorum. Hæc enim non solum Romanæ civitatis jure gaudebant; sed & ex hisce, qui Romam migrabant, ad honores & imperia admittebantur. Imo postquam omnes, (quos personale aliquod impedimentum incapaces non reddebat,) qui in orbe Romano erant, civitate Romana fuerant donati,*Roma communis* omnium gentium *patria* fuit dicta.Vid. quæ notat *Godofr. ad l.33. ff. ad municip. Plinio* quoque *l.3.c.5. Italia cunctarum gentium in toto orbe patria facta* dicitur, *numine Deum electa,quæ sparsa congregaret imperia, ritusq; molliret,& tot populorum discordes ferasq; linguas sermonis commercio contraheret ad colloquia, & humanitatem homini daret.* Alio autem significatu patria juris dici potest, in quam quis est receptus, postquam penitus extra ditionem ejus civitatis, in qua natus est, migravit. De aliis significatibus vocabuli patriæ parum sumus soliciti. Veluti quod sumitur pro tectis & mœnibus urbis patriæ, apud *Flor.l.2.c.15.& 18,*Item

*. Item pro quavis regione seu urbe, ap. *Ma-*
n. Æn. 1. quæve hunc tam barbara morem per-
ittit patria? Celebri quoque dicterio *omne so-*
m forti patria dicitur; non quidem eo sensu,
uo Galli dicebant, *omnia esse virorum fortium*,
ud *Livium l. 5. c. 36.* sed quod facile ipsi civitas
onea inveniatur, & parum intersit, in natali so-
, an alibi virtuti exserendæ locum habeat. Quo
iam pertinet illud Socratis, qui interrogatus,
jas esset; mundanum respondit, ap. *Cicer. V.*
sc.

§. 13. Cæterum etsi patriam, aut nativitate sor-
mur, aut sponte nobis adsciscamus; obligatio
nen adversus utramque prope æqualis videtur.
uidem illa parentes quoque nostros habuit
strictos; sed hæc nullis majorum meritis com-
ndatos in bona sua admisit. Illa ut idonei
ssemus cives esse effecit; hæc ut tales nos o-
nderemus campum præbuit. Nisi si hoc ad
n facit, quod in illa plerumque plures habea-
s, cognatione aut per beneficia nobis junctos,
etiam aliquod pondus caritati patriæ addere
ssunt. Sane Claudius ap. *Tac. A. XI. 24.* nobi-
imas familias in urbem Romanam translatas
morat, quæ neque adfectu, neque meritis ulli
antiquis concesserint. Addit de civibus non
pridem adscitis: *manent eorum posteri, nec a-*
re in hanc patriam nobis concedunt. Imo le-
itis insuper nota est extimescenda, si quis se-
us amet proprio electam judicio, quam sorte
cendi adsignatam. Equidem apud nonnullos
amplio-

ampliora de fide & adfectu indigenarum, quam recens adſcitorum civium ſolent ſperari. Inde *Lycurgus Orat. adverſus Leocratem: Quemadmodum erga naturales parentes, & adoptivos patres non omnes æque ſunt benevoli: ad hunc modum erga regiones, quæ natura ad nos non accedunt, ſed poſt acquiſita ſunt, minus affecti ſunt homines.* Neque improbaverim, non cuivis temere quid ſummam rerum ſpectans committi, antequam fidem ſuam inſignibus documentis adprobaverit. Civis tamen ſpectati egregiam operam minoris æſtimare, ideo tantum, quia alibi vagiit; idem foret, atque peregrinis mercibus pretium detrahere, quia domi noſtræ non fuerunt confectæ. Imo ſæpe deprehenſum eſt, magis fida miniſteria civitati ab exteris exhibita, quam ab indigenis; quod & eximiis meritis inter ignotos celebritas paranda, & minus privatis affectibus abripiantur illi, quam hi, quippe cum illis inſtar parentum, cognatorum, & affinium ſit Reſp. Neque metuere amplius debent ὄνειδος ξενιτείας, quod *Luciano d.l.* dicitur, qui ſedem fortunarum apud exteros fixerunt; nec in tales amplius quadrat, οἱ ἐπήλυδες, καθάπερ νόθοι, ῥᾳδίας ποιοῦνται τὰς μεταναστάσεις. Etſi in univerſum ille peregrinorum contemptus barbarum quid redolet; & argute illos peregrinorum exagitatores quidam canibus comparavit, qui viliſſimo cuique vernulæ adulantur, ignotum autem quantumvis magna dignitate virum allatrant. Nam, ut recte monet

ᵹonet *Apulejus Apol. non ubi prognatus, sed uti* *noratus quisque sit spectandum; nec qua regione,* *ed qua ratione vitam vivere inierit, consideran-* *dum est. Quando non in omnibus gentibus varia* *ngenia provenere? quanquam videantur qua-* *dam stultitia vel solertia insigniores. Apud socor-* *issimos Scythas Anacharsis sapiens natus est: apud* *Athenienses catos Meletides fatuus. Antistheni* *nater barbara & Thressa objiciebatur: respondit,* *Deorum matrem Idaam esse. Seneca de Constant.* *apient.* Equidem solent heic occinere quidam il- ud *Nepotis* de *Alcibiade c. V. 1.* cujus ministeria partanis exhibita suspicio peregrinitatis infama- t. Sed hic nequaquam penitus Athenas abdi- verat, nec Spartam sibi patriam elegerat, eam- ue affectu civis amplectebatur. Sed temporari- m duntaxat refugium ibi habebat, & omnibus odis id agebat, ut Athenienses ipsius expulsi pœ- tudo subiret, adeoque revera nil nisi occasionem ptabat, cum civibus suis in gratiam quampri- um redeundi. De cætero à Catilina hautquid- iam suspicionem amoliebantur speciosa illa apud *lust. Ne exsistimarent P. C. sibi patritio homini,* *jus ipsius atq; majorum plurima beneficia in* *bem Rom. essent, perdita Rep. opus esse; cum* *m servaret M. Tullius, inquilinus civis urbis* *m.* Nec novus erat civis Curio, qui *Gallorum* *ptus spoliis & Cæsaris auro vendidit urbem. Lu-* *n. l. IV.* quem non obscure notat illud *Maronis* *Æn. Vendidit hic auro patriam dominumque* *entem Imposuit.*

§-14. Con-

§. 14. Consequens est, ut videamus, quousque obligatio adversus patriam sese extendat. Cum autem alia debeamus ex obligatione perfecta, alia ex imperfecta, puta ex lege gratitudinis, humanitatis, liberalitatis, &c. (nam & in obligatione imperfecta gradus sunt,) de illa prius dispiciemus. Robur civitatum inde surgit, quod singulorum vires conspirent ad conversationem universorum. Hoc quomodo fieri debeat, illius est definire, penes quem summa rerum in civitate. Ita tamen, ut quantum fieri potest, operæ aut impensæ à civibus conferendæ juxta proportionem imponantur. Quantum igitur patria civem suum jure potest poscere, tantum hic etiam patriæ debere intelligitur. Dicitur autem patria sibi vindicare non solum bona nostra, sed etiam maximam partem nostri. Nostri nobilissima pars est anima. Circa hanc quæstio potest moveri; An ob insigne commodum in patriam inde redundans teneatur quis, aut rectè possit persuasionem circa religionem, quam pro vera habet, mutare, aut saltem dissimulare, & verbis gestuvè aliam præ se ferre? præsertim si tantum agatur de transitu ab una secta ad alteram, quarum utraque in communi adpellatione, & principio fidei convenit? Has lites componere non est nostrum, sed eorum, qui sacras literas docent. De illo potiùs inquiramus; An quis imperio patriæ possit suscipere actionem, quam propria conscientia malam dictat? Equidem communiter respondent, & rectè; quemlibet teneri Deo conscientiæ puritatem adpro-

bare, & negligenda esse justa quorumvis
nuin divinis cum præceptis pugnantia. Mo-
men heic difficultatem *Hobbes de Ci*
v. 2. ubi inter *opiniones seditiosas & ex qui-*
d ruinam civitates disponuntur, primo loco
setur hæc; *cognitionem de bono & malo per-*
ad singulos. Regulas enim boni & mali, ju-
q; injusti, honesti & inhonesti esse leges civiles;
quod legislator præceperit, id pro bono; quod
erit, pro malo habendum. Inde iniquum esse
rium: Regibus non esse obtemperandum, nisi
præceperint. Ante imperia justum & inju-
non extitisse; ut quorum natura ad manda-
sit relativa: actionemq; omnem sua natura
diaphoram; quod autem sit justa vel injusta,
e imperantis provenire. Reges igitur legiti-
quæ imperent justa facere imperando, quæ
nt, vetando injusta. Privatos autem homines,
cognitionem boni & mali ad se trahunt, cupe-
se sicut reges: id quod salva civitate fieri ne-
ur. Enimvero isthæc valde cruda videntur.
im est, ante imperia civilia justum & inju-
non extitisse. Scilicet isti patresfamilias,
rum coitione initio civitates extitere, cum ad-
disjunctim viverent, ad brutorum instar age-
t, non servabant pacta cum aliis inita; suo ju-
quando libitum erat, aliis vitam & bona eri-
bant; & quæcunque faciebant, pro adiaphoris
ebantur. Hodie quoque Reges absoluti,
ndo pacta non servant, aliis sua ereptum eunt,
llam, si diis placet, legem violasse censentur.

Quos tamen communibus legibus civilibus nequaquam subjectos constat. Imo contra neque coalescere poterant civitates, neque coalitæ servari, nisi ante ipsas aliquid justum & injustum extitisset. Nam pacta intervenisse in constituendis civitatibus certum est. At quomodo homines pactorum aliquem heic esse usum persvadere sibi poterant, ni antea scivissent, justum esse pacta servare, injustum ea non servare? Et si ante definitionem legum civilium non est justum pacta servare; quid obstat, quo minus pro lubitu subditi obsequium exuant, ac civitatem, cumque ea omne discrimen justi tollant? nam utique sola vi contineri non possunt. Unde etiam nullus unquam Rex credo tam demens fuit, ut aliquid præciperet, quod generalibus naturæ legibus est interdictum, aut vetaret, quod iisdem præceptum; puta, ut nefas esset fidem servare, ne quis alteri suum tribuat, ne honestè vivat, ut quilibet quemlibet, quantum possit, lædat, &c. At cur non tales quoque leges possent ferri, si nihil est justum & injustum ante definitionem legum civilium? Nec minus crudum est, quod *Idem* tradit *c. VI.* §. *16.* civili lege esse determinandum, quid homicidium, quid adulterium, quid denique injuria adpellandum. Nimirum antequam in civitate coirent patresfamilias, ignorabant, quid esset proprium, quid alienum, quid matrimonium, aut quod suum cuique corpus ita esset proprium, ut ab altero citra sufficientem causam non deberet lædi aut destrui. Imo vel ob hanc præcipue causam civitates sunt consti-

stitutæ, ut à furtis, homicidiis, violatione tho- & aliis injuriis homines tutiores forent.

§. 15. Videtur tamen paradoxum hoc Hob-anum in alium sensum satis commodum posse hi. Nam sana illa est sine dubio seditiosa opinio, *nitionem, boni & mali*, i. e. cognitionem ejus d bonum & malum, seu utile & inutile est Reip. *tinere ad singulos*: Id est, singulis competere ultatem judicandi de aptitudine mediorum, e ad promovendum bonum publicum usurpa- ubet Princeps, cum hoc effectu, ut ab illo judi- cujusque ad obsequendum obligatio suspen- ur. Heic enim locum habet illud *Taciti H. I. 83: n nescire quædam non milites* solum, sed & cæ- os subditos, *quam scire oportet. Si ubi jube- tur, quærere singulis liceat, pereunte obsequio m imperium intercidit.* Nec ea laus militis, *jussa ducum interpretari quam exsequi* ma- t *Id. H. II. 39.* Illud autem, quod dixerat, *justum njustum à definitione legum civilium depende-* cum hâc explicatione admitti fortasse potest, imperio civili dependere, quidnam in foro ci- pro justo & injusto valere debeat, seu ex qui- snam actibus alicui obligatio & jus queat ena- , cui auxilium suum potestas civilis accommo- e velit; quosnam actus in foro humano pœna uatur, quinam ab ea immunes. Nam in hoc præcipue prudentia legislatoria consistit, ex ibusnam obligationibus actio in foro civili sit ncedenda; quæ solo pudore valere debeant: æ delicta quibus pœnis vindicanda. Isthæc enim

B 2 genio

genio populi, temporibus Reip. & aliis circumstantiis probè attemperanda. Neque hæc invicem repugnant, finem societatis juris naturæ dictatu metiri oportet; & ex fine societatis, vel potius ex habilitate obtinendi heic & nunc finem societatis est definiendum, quænam velut adminicula extrinseca juri naturæ per imperium civile sint addenda. Omnino tamen ita se heic geret potestas civilis, ne jura naturalia subvertat, aut publicam honestatem & tranquillitatem perturbet. Unde sicut ob certas rationes leges civiles actionem ex quibusdam pactis non dare possunt; ita credo male tranquillitati publicæ consulerent, si ex nullo pacto actionem in foro civili dare vellent, sed omnia mero paciscentium pudore valere juberent. Et sicut pacem intrinsecam civitatis non ita graviter lædit mos Spartanorum, (quàm recte aut utiliter introductus jam non disputo,) quod furti pœna non affecerint pueros clanculum ex alieno horto poma surripientes, aut ex alieno agro unam alteramvè rapam: ita si cuilibet impune fuisset quidlibet cuilibet clam aut vi eripere, exitiali Spartam morbo laborare quivis videre poterat.

§. 16. Cum igitur detur justum, quod ab arbitrio imperii civilis non dependeat, facile adparet, admitti interdum peccatum posse, si quis jussis imperii civilis pareat; adeoque posse & debere civem talia jussa ad propriam conscientiam bene informatam exigere. Et sub hac conditione obsequium promittunt omnes probi homines, qui norunt, de suis actionibus se Deo rationem reddi-

turos; quod nempe jussa imperantium care velint, modo cum jure naturali & divino pugnent. Nec video, qua fronte Rex, cui tat, quod *omne sub regno graviore regnum* sit, ulare queat, ut ipsius libidinem subditi pro conscientiarum norma habeant. Unde nehanc opinionem cum Hobbesio d. c. 12. §. 2. editiosa agnoscere possumus: *peccare subdiquoties mandata Principum suorum, quæ sibi sta videntur esse, exsequuntur*. Hoc quidem nur, si scrupulus tantū aut subdubitatio oriacirca æquitatem jussorum, non posse ideo staeadem detrectari. Nam jussa superiorum semcomitatur præsumtio justitiæ, ubi manifeste uitas non adparet; & longe præsentius est candi periculum, citra sufficientem causam erioris mandatum negligere, quam non obte scrupulo aliquo illiquido idem exequi. Sed videtur casum posse dari, ut quis citra propri- peccatum suscipiat meram exsecutionem as, quo mandans se ipsum crimine obstringit. iod tamen ut fiat, hæc requiri arbitramur, ut ra duntaxat exsecutio illi injungatur, i. e. ut e tantum membra sua accommodet; de cætero tem isti actui neque occasionem neque prætexu præbeat, aut excusationem adhibeat; ac eunm exsequatur prorsus tanquam alienum, non nquam suum. Deinde ut ministerium illud iantum potest aversetur & deprecetur. Denie ut propter detrectatam istam exsecutionem si præsens vitæ periculum aut aliud grave ma-

lum intentetur à mandante, cui id malum repræsentandi vires sunt.

§. 17. Equidem sunt viri docti, qui circa hanc sententiam de mera exsecutione dubium moveant, eo moti argumento, quia *ordo imperandi incipit à divino imperio, cui omne humanum imperium subjungitur, & subjungendo conjungitur. Quod autem in ordine sub alio ita constituitur, ut ab eo modum, vim, decus accipiat: illud repugnare isti supremo, unde suum ordinem & vim accipit, non potest: aut si repugnat, id est, sui ordinis limites egreditur, perdit auctoritatem suam, & jus suum, quod non nisi in ordine instituto, & per eum jus est.* Verum hoc nobis semper fuit persvasissimum, nullam inesse vim obligandi, id est, conscientiis intrinsecam aliquam necessitatem injiciendi, quorumvis hominum mandatis divino juri repugnantibus, & omni crimine carere, qui illis obsequi neglexerit. Alia autem videtur quæstio; an non executionem alieni peccati, dicto supra modo, potius suscipere debeam, quam vitam meam nulli usui prodigere; & annon illa exsecutio tali in casu citra proprium peccatum suscipiatur? Multa enim sunt, ad quæ nequaquam intrinsece obligamur, quæ tamen recte à nobis, urgente necessitate, suscipi possunt; adeoque ad præsentem quæstionem argumentum supra adductum non quadrat. Neque stringit nos illud *Plinii 3. ep. 9.* ubi memorat, Senatui sese adprobasse, etiam *ministerium crimen esse.* Isti enim, in quos peroraverat, rei, non fuerant meri exsecutores

es alieni facinoris, sed calumnias innocentibus
entarant, ut Proconsuli occasio foret in opes
orum invadendi. Et illi delationes exercebant
n tanquam actum alienum, sed tanquam suum,
suo nomine reum criminis insimulabant, non
oconsulis nomine & velut ab ipso jussi. Neque
tu mortis ad calumnias exercendas adigeban-
r. Equidem dicebant, *se esse provinciales, & ad
ine imperium Proconsulum metu cogi.* Sed lon-
probabilius erat, ex cupidine lucri ipsos talia
trasse; & ut forte minas in detrectantes adhi-
iisset Proconsul, non tamen credibile est, præ-
ns mortis periculum ipsum intentasse, quod
clinandi nulla facultas foret. Illustrando effa-
Pliniano aliqui adferunt illud *Luciani l. V fa-
nus quos inquinat, æquat.* Quod tumultuans
æsaris miles jactabat, quasi nullo jure stringer e-
ir ipsius imperium agnoscere. *Rheni mihi Cæsar
i undis Dux erat, hic socius.* Parere ipsi teneba-
ir exercitus, quamdiu autoritate S. P. Q. R. bel-
um gereret; sed ut ipsum in patriæ viscera vires
ertentem sequeretur, inanis illa fascium species
equidquam movere eum debebat. Sed neque
oc ad nostrum casum quid facit. Denique nec
Doëgi exemplum *1. Samuel 22.* nos ferit. Nam
& ipsi expresse hoc addimus, ut quis quantum po-
est tale ministerium deprecetur; id quod lauda-
biliter fecerunt cæteri satellites Saulis. Sed Doë-
gus ille promto animo ad exsequendum Regis
jussum, cui nulla comminatio adjuncta legitur,
prosiliit; cum antea innocentibus viris falsum

crimen impegisset, quasi clandestina consilia cum Davide in Regem miscuissent. Nam falsa quædam ipsum detulisse ex *Psalmo 52.* satis adparet.

§. 18. De cætero non posse aliquem jussu superioris suscipere actionem tanquam suam, quæ conscientiæ rectæ dictamini repugnat, nemo, cui aliquis pietatis sensus est, negabit. Inde maximo se scelere obstrinxere judices illi, de quibus est *1. Reg. 22.* qui jussu Jezabelis duos testes, homines nequam, subornabant, falsi criminis Nabodum insimulaturos, ut occasio præberetur ipsum è medio tollendi. Pronunciabant enim sententiam non tanquam à Rege pro imperio dictatam, sed tanquam liquido crimine ab ipsa justitia suggestam. Par scelus illorum testium erat. Idem judicandum de delatoribus, qui calumniis viros potentes aut opulentos onerant, ut malis Principibus occasio nascatur eosdem subvertendi. Inter quos quondam non obscurum fuit nomen Marcellus Eprius, Thraseæ delator famosus, qui in excusationem sui apud *Tacit. H. IV. c. 8.* adfert, *non magis sua oratione Thraseam quam judicio Senatus afflictum.* Quod erat crimen communicare, non purgare. *Sævitiam Neronis per hujusmodi imagines illusisse.* Sed nimirum, ut tu potissimum eum nimium instrueres, subigebat avaritia, & libido præpostera via ad honores grassandi. Alii, qui eandem artem factitaverant, excusabant, ejusmodi operis *dignitatem* aut *salutem* sese *redemisse.* Quorum *defensiones*, quod scilicet *perdere alios, quam periclitari ipsi maluerint,*

r, non ideo *tolerandas* censet Montanus ap. *H. IV, 42.* quod omni eos crimine vacare feat; sed per figuram quædam concedit, ut re- ta eo gravius urgeat. Nec injuste *Senatus oc- Nerone, delatores & ministros more majo- n puniendos flagitabat, genus hominum publi- xitio repertum. Tac. A. IV. 30.* Quibus de- m condignam repræsentarunt pœnam Titus Trajanus, quorum ille ipsos *in foro flagellis ac ibus cæsos, ac novissime traductos per Amphi- atri arenam partim subjici in servos & venire peravit, partim in asperrimas insulas avehi. ton. Tit. c. 80.* hic quassis navigiis impositos mpestatibus absorbendos, aut in desertos sco- los impingendos attribuit *Plin. Paneg. c. 34. 35.* *occulta Tiberii mandata* Cn. Pisonem non vebant crimine necati Germanici; si modo is era mortis ejus causa. Ac ut maxime ea pro- fisset apud Patres, in pudorem quidem Tibe- m dedisset, cui non relinquebatur, quomodo ndicaret scelus à se jussum: Patribus tamen in- grum erat reum damnare; quia in eo perpe- ndo non jussum Principis præ se tulerat, sed se potius quæ honeste juberi non poterant, lu- ns susceperat, ut flagitio Tiberium sibi obno- um haberet. *Tac. A. III. 16.* Recte quoque Pa- nianus, quod Getæ cædem excusare detrecta- t; addito celeberrimo illo dicto; *non tam faci- parricidium excusari posse, quam fieri.* Alii adiderunt, dictare noluisse orationem, qua in- hendum erat in fratrem, causatum; *aliud esse*

B 5 parri-

parricidium, accusare innocentem occisum. Id tamen rejecit *Spartianus in Caracallo, c. 8.* ea ratione, quod ipse utpote *praefectus non potuerit dictare orationem:* (etsi quo minus hoc ipsi extra ordinem injungi potuerit non adparet;) & addit, constare, quod occisus sit tanquam fautor Getæ. Quicquid tamen hujus sit, recte quis ingenium suum sceleribus defendendis commodare detrectat, etiamsi alieno sub nomine id scriptum sit promulgandum. Nam subtilis excogitatio speciosorum argumentorum pro pura exsecutione alieni actus haberi nequit. Secus tamen videtur sentiendum, si ejusmodi orationem abs se aut alio compositam Caracallus cuipiam in Senatu recitandam injunxisset, constituta in detrectantem capitali pœna.

§. 19. Sed quid dicemus de Catone, tam rigido officii exactore, qui exsecutionem legis Clodiæ, qua Cyprus confiscabatur, suscepit? *Florus* sane *l. 3. c. 9.* eam legem non obscure iniquitatis damnat. *Strabo l. 14. sub fin.* ab ingratitudine Regis & avaritia causam confiscationis arcessit, quod cum de Clodio, quem piratæ ceperant, redimendo sólicitaretur, perexiguum miserit pretium, adeo ut piratæ id accipere erubescerent, & pecunia remissa Clodium sine lytro dimitterent. Eam rem ulturus Clodius, in tribunatu per legem regno Ptolomæum exuit. Sed an hæc causa sufficit ad regnum alicui eripiendum? Nam liberalitatem duntaxat fuisse autumo, quod illo tempore nobiles Romanos à piratis captos socii sua

pecu-

unia redemerint. Vid. *Casaubon. ad Sueton.* *ium c. 4. Plutarchus in vita Catonis* memo- Clodium initio id muneris Catoni privatim alisse, sed post recusantem jussu populi ad id ipiendum adegisse. An igitur Cato putavit ividiam & reatum ejus facti unice redundare iutorem legis; & si quod isti exsecutioni ne- insit, id non esse tanti, ut abs ipso profectum tur exemplum, quocunque prætexto jussa iæ detrectandi? An satius ducebat, postquam nino spoliandus erat Ptolomæus, fructum is injuriæ integrum pervenire ad patriam, m alterius avaritia delibari? Huc spectat quod *tarchus* de *Aristide* memorat; *Quod ipse Gra- uramento adegerit, & Athenienſium nomine verit ipse. Postquam res cogeret, ut vim im- i intenderent, cohortatus Athenienses est ut urium in ipsum verterent, atq; imperium u- arent, prout postularet usus. Brevi hunc vi- ait Theophrastus in rebus privatis & erga ci- summe justum, in republ. tamen multa ad tem- patriæ, quasi multa iniqua illa flagitaret, per- asse.* Quod quidem an probari possit valde du- . Sed quidquid sit de horum factis, id potius iciendum; An injustum bellum gerenti pa- auxilium ferre fas sit? Equidem communis ententia, ubi apertum est, injusta arma à ci- te alteri inferri, haut fas esse civi, ut sit satel- scelerum. In dubio autem sequendam esse tem tutiorem, quæ sit, abstinere bello. Caute ien ista temperanda, ne exinde vis imperii ci-

vilis destruatur. Equidem ubi ad deliberationes quis admittitur, & suffragii ferendi jus habet, si citra consensum proprium cæterorum decreto non obligatur, ne id quidem, de quo dubitat, recte poterit suscipere. Quid si autem, uti plerumque fit, plurium suffragia etiam stringant eos, qui dissenserunt? Heic igitur arbitramur, apud omnes gentes, queis aliqua honesti cura est, in deliberationibus de bello suscipiendo semper præsupponi causam belli justificam. Hoc qui facere negligunt, apud illos de conscientia nequidquam disputaverim. Circa hoc autem deliberatur; an heic & nunc expediat Reip. ex tali prætexto bellum alteri inferre? Heic cum præsumatur, plures clarius perspicere, quid ex usu sit Reip. quam pauciores; non video, quo obtentu quis jussa civitatis detrectare queat, nisi imperii vim coactivam experiri, aut civitate migrare velit. Enimvero iste scrupulus inprimis homines tenero conscientiæ sensu solet urgere; an non, posita quamvis alterius injuria, præstet exercere virtutem humanitatis aut magnanimitatis, & condonare aut contemnere injuriam, quam stricto jure exsequi? Heic quid ex sublimioris principii dictatis sit statuendum, aliorum est docere. Quantum ratiocinando possumus consequi, non videtur sufficere hæc causa, quare civis possit imperio civili obsequium denegare, ejusque rigorem in se irritare; quod judicet, ab eo adversus alterum non exerceri virtutem aliquam, cui vis duntaxat imperfectæ obligationis inest. Qui autem

ı ad deliberationes publicas non adhibetur
s, adhuc minore cum hæsitatione statuere, o-
, summum imperium sufficienti ex causa ac in
pore bellum suscipere; de quo ut cuivis pri-
o liquido adpareat neque semper fieri potest,
ue necessum est. Quod si autem bello inva-
ır civitas, cui ipsa causam præbuit, dum da-
um injuria illatum pensare abnuit; ex hoc
damento recte civem patriæ auxilia ferre pos-
utumant, quod hostis communiter non intra
riæ acceptæ modum sæviat, aut in eos tan-
, à quibus illa est profecta. Ideo ne quis præ-
neritum plectatur, arma tanquam in propri-
& multorum innocentum defensionem pro
ia expediri posse, postquam, quantum in se
omnia fecit, ut justo hostis postulato satis-
t. Vid. *Grot. l. 2. de J. B. P. c. ult.* Ex ha-
us dictis igitur adparet, qua restrictione e-
illud, quod est ap. *Quintil. declam. 369. Cer-
est, omnia licere pro patria.* Idem sensus
ıs argute exprimitur ap. *Senec. excerp. con-
IV, 4. quidquam non sit legitime pro legibus?*
ıd istum casum, qui ll. dd. proponitur, id bene
dret.

20. Proximum est, ut, quam vim obliga-
dversus patriam in corpus & vitam nostram
ıat, dispiciamus. Equidem vulgo jactatur,
inem non esse dominum vitæ suæ. Quo-
o ergo is obligatione abs se suscepta alteri
t jus dare in rem, ulterius quam ipsius in
lem potestas se extendit? Sed id dicterium

B 7 expla-

explanatione indiget. Sane enim homo non eo modo est dominus vitæ suæ, ut earum rerum, quas pro arbitrio consumere, perdere, aut abjicere potest. Naturaliter tamen ad quemque sua vita proxime pertinet, & quatenus quis in libertate constitutus intelligitur, operationes inde pendentes pro arbitrio adplicare potest. Et si quisque sui tantum causa conditus foret, non video, quare non vitæ hujus commodis sibi indultis, quando placitum, renunciare posset, nisi forte peculiari Conditoris lege prohiberetur. Verum quia ad societatem colendam sumus destinati, inde vel sola ratio satis ostendit, non esse quidem nobis ita temere projiciendam vitam, ut nulli usui pereamus, qui aliis quoque nati sumus. Quia tamen non solum certæ actiones vires hominis ita atterunt, ut maturius senium ingruat; sed etiam sæpenumero aliorum vita non potest servari, nisi pro iis alii talem subeant operam, ex qua in probabile vitæ periculum incursuri sint: ideo hactenus quoque dominus vitæ suæ quis intelligitur, ut in aliorum usus maturius eam absumendam locare queat, & pro aliis discrimini exponere, & ad id præstandum perfectam obligationem suscipere. Sapienter facere dicuntur *Scriptori ad Herennium l. 4. qui malunt pro multis perire, quam cum multis.* Cum porro finis civitatum requirat, ut summæ in iis potestati competat jus armandi, congregandi, & uniendi tot cives in omni periculo & occasione, quot pro viribus hostium ad communem defensionē opus visum fuerit; inde etiam, qui

civitati sese alicui adjungit, obligationem
ıtrahit jussu summi imperii arma capessendi,&
nia militaria obeundi. Horum exactio non
nerito exquisitissima disciplina constat, quippe
a in bello exiguam ob negligentiam sæpe de
nma rerum sit actum. Inde cum alias toga-
ı apud judicem affectibus, qui animum homi-
vehementer percellunt, facilius venia soleat
ulgeri; inter militaria judicia id non æque ob-
atur. Heic etiam sæpe capite plectitur, qui ut
rtem effugeret, assignatam stationem deseruit.
ıvissimis quoq; alicubi pœnis coërcitum, mi-
ım subterfugere. *Arrius Menander in l. 4. §.*
ff. de re milit. Qui ad delectum olim non re-
idebant, ut proditores libertatis in servitutem
ıgebantur. Sed mutato statu militiæ, recessum
ıpitis pœna est; quia plerumq; voluntario mi-
numeri supplentur. Et quanquam in pleris-
civitatibus quidam cives alias per ætatem &
es ad arma gerenda idonei immunitate à mili-
gaudeant, vel ob vitæ genus, vel ex singulari
ultu civitatis; id tamen privilegium eousque
et, quoad cæteri cives, aut alii socii vel condu-
præsto sint, qui civitati defendendæ sufficiant.
terum ubi summa necessitas ingruit, etiam
nunes illi pro aris & focis arma capient, &
stat ut eorum privilegia tantisper quiescant,
am ut propter eorundem intempestivam reli-
onem civitas pereat. *Vocant extrema pericu-*
cunctos. Sed quid si captivus ab hoste de-
ıtus, ut dimitteretur, hoc promiserit, quod
con-

contra ipsum deinceps arma non sit gesturus; an is postea à civitate sua recte potest obligari, ut contra promissum suum in hostem militet? Tale pactum aliqui dixerunt ipso jure nullum, quia sit contra officium, quod patriæ debetur. Ad quod nobis non tam hoc videtur reponendum, quod non omnia, quæ contra officium fiunt, statim quoque sint irrita & nulla: quam negandum, id esse contra officium patriæ, libertatem sibi parare id promittendo, quod jam in hostium est manu. Nisi enim hostis ipsum demitteret, nunquam arma adversus illum ferre posset. Unde tali pacto nihilo deterior fit patriæ conditio: quippe cum is, qui captus est, ni liberetur, jam periisse est censendus. Adeoque quem sic ex captivitate recepit, hac lege recepisse censetur, ut ipsi relinquat facultatem servandi promissum hosti factum; præsertim ubi non civitatis, sed propria ope libertatem recuperavit. Sed an in isthanc civis obligationem eminens illa summi imperii vis efficaciam suam exseret, si salus publica id postulaverit? puta si civitas in præsenti periculo versetur, ni iste quoque arma capiat. Heic arbitramur, cum absurdum sit, esse me civem, & habere obligationem, qua etiam in extrema necessitate inutilis civitati reddar; nec minus; simplici me pacto posse obligari, ne alterius vim injustam ad perniciem meam meorumque tendentem repellere queam; ideo pactum illud erit capiendum tantum de bello offensivo, non defensivo; præsertim si cum ipsa civitate mea quoque salus sit periclitatura. Quid enim

m ille alter mihi libertatem concessit, si voluit adstringere, ut in posterum ipsius vim à vita ebus meis non possim repellere? Unde nequidam obstabit pactū istud, quo minus jussu summ- imperii arma induam pro defensione civita-

§. 21. Quamvis autem præsens Reip. ne-sitas fortasse operas civium militares non exe-it; tamen ad eas obeundas se aut alios inuti- reddidisse gravi pœna dignum est. Ejusmodi aviæ exempla quamplurima in Martio illo iritium populo non sine admiratione legi-s. Apud *Sueton. Tiber. c. 8.* Tiberio cura injuncta *urgandorum ergastulorum, quorum Domini in invidiam venerant; quasi exceptos supprime-t, non solum viatores, sed & quos sacramenti tus ad hujusmodi latebras compulisset.* Quæ am fortasse causa fuit, quare ergastula penitus tulisse dicatur *Adrianus ap. Spartian. c. 18.* quem locum vid. quæ notat *Salmasius*. Apud *er. l. 16. c. 3.* C. Vettienus sinistræ manus digi- sibi abscidisse memoratur, ne bello Italico mi-ret, quem Senatus, publicatis bonis, in æter- vincula conjecit. Sic Augustus, referente *Sue-io c. 8. Equitem R. quod duobus filiis adolescen-s causa detrectandi sacramenti pollices ampu-set, ipsum bonaq; subjecit hastæ. Ammian. Mar- l. 15. sub fin.* ubi de Gallorum moribus loqui-; *nec eorum*, inquit, *aliquando quispiam, ut Italia, munus Martium pertimescens pollicem præcidit, quos jocularitér Murcos adpellant.*

Isti

Isti flagitio reprimendo complures leges latæ. *Eum qui filium debilitavit, delectu per bellum indicto, ut inhabilis militiæ sit, præceptum Trajani deportavit*, est in *l. 5. §. 12. ff. de re milit.* Extat quoque lex Constantini *l. 1. Cod. Theodos. de filiis militar. apparitorum & veteranorum. Veteranorum liberos aptos militiæ, quorum quidam ut desides recusant militarium munerum functionem, quidam adeo ignavi sunt, ut cum dispendio corporis militiæ velint necessitatem evadere; jubemus, si ad militiam inutiles, resectis digitis judicentur, curialibus muneribus atq; obsequiis adgregari.* Consimilia habentur in *l. 4. C. Theodos. de tiron.* & *ibid. l. 10. Qui spurca amputatione digitum declinat usum armorum, non evadat illa, quæ vitat, sed insignitus macula ferat impositum militiæ laborem, qui declinaverit dignitatem. Ipsis quin etiam provincialibus, qui ex horum ausis juniorum sæpe patiuntur penuriam præbendorum, hæc optio decernatur, ut tempore delectus agitandi duos mutilos juvenes pro uno integro offerant.* Sed longe severissima est *l. 5. d. t. Si quis ad fugienda sacramenta militiæ fuerit inventus truncatione digitorum damnum corporis expedisse, & ipse flammis ultricibus concremetur, & dominus ejus, qui non prohibet, gravi condemnatione feriatur.* Videtur tamen hanc pœnam locum habuisse in servis duntaxat; quæ autem jam cit. ll. dictata fuit, in ingenuis. Nam olim quidem apud Romanos servos militia exclusos præterquam in maxima Reip. necessitate, in vulgus notum. Id posterio-

osterioribus seculis non amplius observatum ex *l. 16. C. Theod. d. t.* constat, ubi Impp. Arcad. & Honor. ita sanciunt. *Contra hostiles impetus non solas jubemus personas considerari sed vires, & licet ingenuos amore patriæ credamus incitari, servos etiam hujus autoritate edicti exhortamur, ut cumprimum se bellicis sudoribus offerant, præmium libertatis si apti ad militiam arma susceperint, pulveratici etiam nomine binos solidos accepturi.* Nam *l. 11. d. t.* quæ etiam extat in C. *Justin. l. 2. de tiron.* loquitur de *mancipio alieni juris, quod qui in tirocinium militiæ duxerit offerendum, libram auri ærario Principis cogebatur inferre.* Lex *a. 8. C Th. d. t.* non simpliciter servos militiæ vetat adscribi, sed duntaxat decernit, *inter optimas lectissimorum militum turmas neminem è numero servorum esse.* Veget. *de re milit. l. 1. c. 7. sub fin. queritur, quod possessoribus indicti tirones, per gratiam aut dissimulationes probentur, talesq; socientur armis, quales domini habere fastidiunt.* Cæterum ab ista *pollicum truncatione* multi eruditorum credidere, Italos & Gallos suos *poltrones* derivasse. Sed rectius mea sententia *Menagius origin. linguæ Francicæ* id vocabuli deducit ab Italico *poltro* (etsi & hoc origine Teutonicum videatur, à polster) q.d. qui semper lectum premit, seu, quod vernacula lingua dicimus, cui pellibus super ursinis marcida membra perpetuo extendere volupe est.

§. 22. Qui igitur ad militiam subeundam obligatur, is utique tenetur jussu Ducis talem tueri sta-

ri ſtationem, in qua probabiliter prævidet vitam ſibi amittendam. Et quanquam alias civibus onera ſecundum proportionem debeant imponi, ad quæ univerſi ſimul concurrere poſſunt; aut ſi hoc fieri nequeat vel non opus ſit, alternis obeunda, vel æquipollente onere redimenda, vel etiam ſorte adſignanda ſint: tamen ut periculoſæ illæ ſtationes ſemper per ſortem attribuantur, ratio belli non fert. Adeoque penes ducem erit eligere aptiſſimos, aut ſi plures ſint idonei, quos viſum fuerit. Niſi adſint, qui ultro iſta ſibi pericula depoſcant; id quod fecit Calpurnius Flamma ap. *Flor. l. 2. c. 2.* & ante eum P. Decius Mus ap. *Livium l. 7. c. 34.* Nec vir fortis querelas movebit, ſi ipſi talia pro imperio injungantur. Facit huc illud *Seneca de provident. c. 4. Quare in caſtris periculoſa fortiſſimis imperantur? Dux lectiſſimos mittit, qui nocturnis hoſtes aggrediantur inſidiis, aut explorent iter, aut præſidium loco dejiciant. Nemo eorum qui exeunt dicit, Male de me Imperator meruit; ſed Bene judicavit.* Heic tamen obſervandum, ejuſmodi juſſorum non eſſe hanc intentionem, aut ſaltem non eſſe debere, ut directe vita militis perdatur. Dico, *non eſſe debere.* Nam aliquando heic a ducibus peccari, documento eſt rex David *2. Sam. XI, 15.* qui ideo etiam homicida audit *cap. ſeq. v. 9.* Nec ea infrequens ars, inviſos ſibi hoſtium ferro conſumendos objicere. vid. *Curt. l. 7. c. 2.* & ibi *Freinshem.* Ap. *Saluſt. Jugurtha* à Micipſa Numantiam miſſus dicitur, ut oſtentando virtutem, aut hoſtium ſævi-

vitia caderet. Sed hoc spectare debent tam rida ducum jussa, ut dum velut citra missionem ilites pugnant, à civitate magnum avertant alum, aut insigne eidem bonum concilient, etsi ntigerit, eos, dum talia conantur aut patrant, cumbere. Ejusmodi decretoriæ pugnæ hæc lex, ut vel hostem perdamus, vel simul cum o pereamus. Hoc enim præstat, quam ut soli damus. Unde etiam haut absurde multi vintur *αὐτοχειρίας* crimine absolvere navaros illos, qui jussu superiorum expresso, aut ex nere belli recte præsumto ignem pulveri pyrio iciunt potius, quam ut una cum navi in potetem hostium perveniant. Ponamus æqualem inque esse navium numerum. Ubi una nowrum capta fuerit, hostis duabus navibus nos erabit; si nostra sola perierit, unica tantum: si utraque simul pereat, in æquilibrio vires maunt. Vix autem aliter fieri poterit, quin, si stra dissiliat pulvere navis, non unam quoque plures hostilium navium simul adfligat. Nam capiaris tunc demum est periculum, quando vis navi adhæserit. Et plerunque hostibus plus nni hoc modo datur, quam nobis. Validiores m utique sunt, qui nostram navem ad incitas igunt. Ad submersionem autem vitandam non um à contrario elemento remedium petenn. Nam illic aliqua adhuc enatandi spes esse est. Confer *Amesium de conscient. IV. c. 21.* 4.

§. 23. An vero mortem quoque citra pugnam

gnam pro patria subire tenemur? Excutiamus præcipuos casus, quibus vita hominis citra pugnā profusa patriæ usui esse posse credatur. Heic jam de eo non dicemus, quod etiam quibusdam gentilium fuit persvasum, per unius scelesti flagitia iras Numinis in totos populos derivari. Apud Maronem *Pallas exurere classim Argivûm, atq; ipsos potuit submergere ponto Unius ob noxam & furias Ajacis Oilei.* Cui igitur ista persvasio sederit, neque sibi neque civibus posse placari Numen, nisi sontem animam pœnæ reddiderit, illi videtur inesse obligatio & servandæ propriæ saluti, & sistendo malo, quod culpa sua civitati conciliavit, ad exorandam Numinis pacem vitam suam tradendi. Etsi quomodo unius delictum reatu alios quoque inficere possit citra ipsorum actionem aut omissionem culpabilem ratio nostra non capit. Fortasse igitur commodissime causam communicati reatus arcessemus ab adprobatione flagitii aut neglectu id vindicandi. Sed nec illa opinio minus fuit pervulgata offensum civitati aut singulis Numen vicaria aliorum nece posse placari, qui offensæ causam non dederant. Ex quo fonte immanis ista religio humanas mactandi hostias profluxit. De qua vid. *Cæsar l. 6. de B. G. Justin. l. 19. c. 1.* & quæ ibi notat *Berneg. it. l. 26. c. 1. Svet. Calig. c. 14. 27.* & ad h. l. *Casaub. Juvenal. sat. 12. v. 114. Strab. l. 10.* ubi memorat, Leucadiis morem fuisse, ut in Apollinis sacrificio sontem quotannis aliquem, avertendæ Deorum iræ, de montis specula dejicerent; ei autem adpli-

citis

is pennis & multis avibus, quibus levari posset, tum fere in volatum conversum, & multos cantem excipere naviculis, & si queant conservan extra fines patrios emittere superstitem. Ad *Selden. de Diis Syris synt. 1. c. 6.* & *synt. 2. c. 7.* *Cluver. antiq. German. l. 1. c. 37.* §. 14. Vide etiam *ton. Neron. c. 36.* Hunc ad usum an quis patriæ am commodare teneatur supervacuum est inrere, cum nos meliora edocti sciamus, Sanctissim Numen aversari hanc deceptæ mortalitatis amiam. Quos tamen iste error tenuit, obsernus huic usui destinasse aut hostes captos; empla vid. apud *Cluver. d. l.* §. 17.) aut sponte offerentes; aut sorte ductos, uti Pœni, de quis est apud *Silium Italic. l. 4. v. 767.* Adde quæ btiliter super hac re disserit Clar. *Bœclerus comnt. ad Grot. p. 99.*

§. 24. Sed quid si ad placandam hominis alijus iram vita civis deposcatur, an is ea sponte lata à civitate cladem aut exitium avertere tetur? Ubi videndum, quibus causis alter fuerit otus, ut civem nostrum sibi dedi postularet. Si im id fiat ob aliquod ipsius delictum, licet forsse omnibus modis pœnam subterfugere possit, tamen cavere debet, ut ne sui causa civitatem alo involvat. Adeoque etsi ponamus talem on teneri, ut seipsum in ejus potestatem ultro adat; tenebitur tamen alio sese transferre, ubi ceptatoribus suis nihil negotii facessat. Nec ubito, quin à civitate etiam invitus ideo expelli ueat, siquidem illa fors inhumanius crediderit, eun-

eundem poſcenti dedere. At quid ſi ob publicum delictum ad necem depoſcantur quidam civium, qui ejusdem delicti non fuerunt autores? Qualem in calamitatem incidiſſe memoratur civitas Attica ob interfectum Androgeon. Cujus mortem ut ulciſceretur Minos, Athenienſibus bello ſubactis tributi loco ſeptenos pueros & totidem puellas imperavit in pabulum Minotauro. Id tributum alii quotannis datum memorant, uti *Maro Æn.6. Hygin. fab. 41.* alii novenis annis, uti *Ovid. metam. 8. Actæo bis paſtum ſanguine monſtrum Tertia ſors annis domuit repetita novenis.* Cui adſtipulatur *Plutarchus Theſeo*, qui tamen ex *Philochoro* addit, pueros iſtos non fuiſſe neci datos, ſed in præmium ceſſiſſe illi, qui viciſſet in ludis memoriæ Androgeo dicatis: primumque victorem extitiſſe Taurum, ducem Minois, hominem crudelem, apud quem iſti miſeram ſervierint ſervitutem: eo poſt per Theſeum victo tributum remiſſum. Sed quicquid hujus ſit, ubi ejusmodi neceſſitas civitatem oppreſſerit, non video, quo obtentu civis periculum ſortis queat detrectare, (quo medio aptius nullum eſt inter pares jure,) ſi non inveniatur aliquis Theſeus, qui ultro ſibi Minotaurum debellandum ſumat. Sed quid dicendum, ſi innocens depoſcatur ad mortem aut malum morti comparandum, non ex cauſa publici aut privati criminis? Caſus in eam rem extat apud *Libanium Tom. 1. declam. 27. Tyrannus ex urbe propinqua poſtulavit formoſum adoleſcentem, adjectis de bello inferendo, ni traderetur, minis.*

Civitas

Civitas bellum maluit tolerare, quam adolescentem tradere. Cum jam gravi obsidione eam premeret tyrannus, pater adolescentis interfectum filium de mœnibus projecit: cædis mox, soluta obsidione, accusatur. Super isthoc casu erudite philosophatur *Bœclerus Comment. ad Grot. p. 95.* Nobis heic patrem neque accusare neque defendere vacat, qui plausibilius causam suam posse orare videtur, quam Virginius ille, de quo *Livius l. 3. c. 50.* Illud extra dubium ponendum judicamus, non teneri civitatem ejusmodi hominem defendere cum exitio suo. Sic enim & ipsa peribit, & innocens ille nequidquam servabitur. Neque iste postulare potest, ut pro se & secum tota civitas pereat. Ergo hoc relinquitur misero, ut quantum potest sibi ipsi consulat fuga, aut usu quamvis periculoso. Ubi omnia incassum cecidere, ferat calamitatem, in qua tamen utique animus servari impollutus potest, siquidem nefas est voluntaria morte ejusmodi fœditatem declinare. Civitas autem, postquam ipsum pro viribus defendit, & omnem movit lapidem, ut per fugam aut alia ratione elabi posset, ubi isthæc non succedunt, & clades imminens aliter depelli nequit, ipsum deserere demum potest, i. e. non prohibere quo minus eundem tyrannus adprehendat. Ut autem ipsa eum in tyranni manum tradat aut ut eum cogat, quo seipsum dedat, neque fas esse, neque necessarinm arbitramur. Conf. *Grot. l. l. 2. c. 25. §. 3. Ames. de Consc. l. V. c. 31. q. 3.* De cætero majoris debet esse civitati vita suorum civium,

quam ut eam declinando periculo incerto, aut adquirendo aliquo bono parum necessario prodigere velit; neque in tales usus vitam suam civis offerre tenetur. Inde plus quam postulari ab ipsis poterat, pro patria fecerunt Philæni fratres, de quibus est ap. *Salust. de bello Jugurth.* Et pessime adplicabat bonam alias sententiam Caiphas, *Joh. XI. 50.* quasi liceret hominem innocentem occidere, ne fortasse Romani suspicarentur, Judæos res novas agitare, & inde ansam arriperent bello ipsos invadendi. Præsertim cum longe molliora remedia sint ejusmodi suspicioni depellendæ, quam mors innocentis.

§. 25. Minus difficultatis habet illa quæstio: An si quis extraneus, barbaros ob mores infamis, civis nostræ nuptias petat sub denunciatione belli, hæc ad avertendum à patria periculum, thalamos subire invisos teneatur; & si forte renuat, ad id cogi queat? Equidem in hoc non exigua pars libertatis consistit, ne qua invita se jungere cogatur, extraneo præsertim & efferis prædito moribus. Et cum per tales nuptias aliqua in alteram civitatem transeat, non magis videtur nostræ civitati jus esse, civem suam pro imperio eò adigere, quam citra antegressum delictum civitate expellere. Quia tamen ipsa postulare non potest, ut magno periculo sese involvat civitas, ne illa sola subeat incommodum non capitale; ipsa viderit, qua ratione suæ libertati consulat. Etsi cum magnam soleant habere vim cordatæ mulieres in emolliendis rigidis maritorum moribus, tales nuptiæ egre-

giam

m præbere anſam poſſent non ſolum à civitate
iculum avertendi, ſed etiam commodum inſi-
e eidem conciliandi. Cujus ſi probabilis ſpes
lgeat, vix adparet, quare non quamvis pa-
n amabili nubere debeat. Unde valde dubito,
n laudem mereatur factum Didonis, de quo eſt
Juſtin. l. 18. c. 6. ſi vel maxime mortem ſponte
ntam non accuſemus. Sane enim de multis
ıe merendi occaſio erat nata. Quanquam cir-
d factum peculiariter conſiderandum, an ad ta-
uid ſubeundum etiam teneatur fœmina, cui
mum in civitate imperium, præſertim ſi peri-
um ſit, ne per iſtud ſub alterius ditionem civi-
perveniat.

§. 26. Sæpenumero etiam neceſſum eſt, ut in
m patriæ plenum libertatis exercitium circum-
bi nobis patiamur, quando ſcil. firmandis pa-
publicis obſides tradimur. Ad quod onus ſu-
piendum pro imperio civis adigi poteſt, ſi qui
nte ſe offerant, defuerint. Et quidem ubi ho-
potentior certos ſibi cives obſides poſtulaverit,
hiſce tergiverſandi locus videtur relictus. Sed
lures ſint, quorum quis obſes eat, illius, quicum
ciſcimur, aut noſtræ civitatis nihil interſit,
æſcindendis querelis aptiſſimum erit, ſortem ad-
bere. Quod ſi longo tempore obſides ſint deti-
ndi, æquiſſimum erit, novis ſubſtitutis cæte-
s liberare. Uti & hoc operam dare civitas debet,
quod oneris extraordinarii præ cæteris obſides
ſcipiunt, id ipſis, quantum fieri poteſt, aliunde
nſetur. Quæri autem hoc loco poſſet, an non

rectius dicatur, obsidum vitam oppignorari, quam usum libertatis? Equidem in traditione obsidum satis adparet, hoc actum fuisse: *tradimus hosce in manus vestras, tanquam carissimam nostræ civitatis partem, ut nisi servaverimus, quæ convenere, nulli deprecemur, quo minus iisdem inferatis, quicquid placuerit.* Inde cum ejusmodi pacta rupta causam belli dent in eum, qui ea violavit, adparet post pacta rupta bellumque conflatum in hostium abire numerum obsides quoque, eodem modo, quo omnes ejus Reip. cives, etiam qui ad causam belli nihil peculiariter contulerunt. Et constat, multos in obsides eadem statuisse; quæ in quosvis hostes solent; etsi multis inhumanum visum, miserorum illorum & innocentum calamitate ex aliena conceptum injuria dolorem mulcere. Rectius autem puto dicitur, civitatem, dum obsides tradit, in casum violati pacti eos objecisse licentiæ bellicæ, adeoque eorundem salutem commisisse sævitiæ aut misericordiæ hostis; quàm ipsos debere excipere pœnas violati abs civitate pacti. Non enim adparet, qua ratione finis, quem in pœnis sumendis sibi homines debent propositum habere, obtineri queat, si plectatur obses innocens; qui proprie in violationem pactorum non consensit, sed duntaxat non recusavit, quo minus ipse loco alterius posset malo affici; in quo per se nullum est delictum. Satis quoque cautionis est adhuc in obsidibus, etiamsi per jus naturæ pœna proprie dicta ob alienum delictum ab ipsis sumi nequeat. Sufficit enim, quod in tali sunt statu, ut licentia

ntia bellica statim in ipsis possit exerceri; adeo-
ie ipsorum salus ex solo arbitrio læsi & irati ho-
s pendeat. Hæc quamquam ita sint, verius tamen
detur, civitatem directe obsidis duntaxat liberta-
m, quantum ad ejus exercitium, oppignorare,
on vitam. Quia ipsa firmum propositum ha-
et, aut habere debet, fidem servandi, adeoque ca-
m illum, quo in obsidis vitam alteri licentia fieri
ossit, moraliter pro nullo ducit. Nec dubium est,
uin injuriam obsidi faciat civitas, si ipsa injuste
acta violet, & miserum illum alterius iræ objiciat;
ut si hoc fine eundem tradat, ut alterum in secu-
tatem datum eo graviore damno mactare queat.
Quid autem dicendum, si is, qui accepit obsides,
isdem velit abuti ad exercendam in nos perfidiam,
& gravibus nos injuriis lacessat, exitium obsidibus
nostris interminatus, si ipsi resistamus? Heic pro-
babile videtur, siquidem injuriæ illæ sint tantæ, ut
præstet, innoxios istos periclitari, quam civitatem
easdem tolerare, posse istorum periculum negligi,
& perfidi hostis vim vi repelli. Nec magis civitas
obsidibus injuriam facit, quam si quibusdam civi-
bus in bello talem adsignet stationem, in cujus
pertinaci defensione aut cadendum sit, aut captivi-
tas subeunda. Et ferent isti hanc tanquam fatalem
calamitatem, nequidquam irati patriæ suæ, quæ
talem casum prævidere non potuit. Conf. *Grot. l.
3. c. 20. §. 22. seqq. & Baclerum. l. c. pag. 102.*

§. 27. Consequens est, ut inquiramus, an et-
iam aliquam nostræ existimationis & famæ partem
patria sibi vindicet. Heic observandum, existima-

 tionem

tionem oriri vel ex communi, ut ita loquar, honestate, vel ex singulari præstantia, factisque insignibus. Per illam quis pro bono viro habetur; nec incommode eam vocare possis *existimationem simplicem*; cui opponitur infamia, quæ oritur ex vitæ genere honestati adverso, & factis enormiter turpibus. Posteriorem existimationis speciem non incongrue dixeris *intensivam*, quæ spectatur vel in solido & incorrupto prudentum atque bonorum judicio, vel in extrinsecis honorum insignibus, vel denique in vana vulgi persvasione. Ut quis existimationem simplicem patriæ impendat, seu ut veram sibi infamiam conciliet propter utilitatem patriæ, nemo videtur obligari. Facta enim turpia, ex quibus ista oritur, neque à patria imperari possunt, neque à cive præstari debent. Imo neque crediderim, posse ab honesto cive postulari, ut ipse civitatis aut Principis infamiam in se suscipiat, seu ut pro ipsius sceleribus sese velut reum subdat. Nam scelestum se arbitror nemo sine scelere fingit; & non nisi Nero aliquis Aniceto ministro dignus est. vid. *Tac. A. XIV.* 62. Sic neque casus videtur posse dari, ut quis existimationem intensivam, quatenus sapientum judicio stat, jam partam, in usum patriæ absumat. Sed ut quis sese ob utilitatem patriæ insignibus honorum abdicet, quandoque necessarium esse potest; quibus tamen demtis virtus nequidquam obolescit; imo apud sapientes magis enitescit, si inania ista cum ratione contemserit. Sic quis bonus civis non malit honoribus carere, quam patriam, dum eos pertinaciter adsertum it,

turbis

urbis involvere? Parum utique apud bonos cives alere debebant illæ adhortationes Cæsaris; patriæ arma inferenda, ne quid de ipsius dignitate decederet. Et nimis quam dilutus est color ille; non patriam bello peti, sed inimicorum injuriis obviam iri. Non enim ea, quæ ab aliquo *Reip. causa acta sunt, in contumeliam suam quis vertere* debet. *Semper* quippe *Reip. commoda privatis necessitatibus habenda potiora.* Et debet *bonus civis & studium & iracundiam suam Reip. dimittere; neque adeo graviter irasci inimicis; ne cum illis nocere se speret, noceat Reip.* quod bene moneri curabat Cæsarem Pompejus ap. *Cæs. l. 1. de B. C.* Et sane, cum illa honorum insignia patriæ debeamus, cur non in ejusdem usus eadem velimus impendere? Plane enim, ut hoc obiter addamus, illa existimationis exteriora signa valorem suum determinatum habent ex impositione ejus civitatis, in qua quis vivit; etsi existimatio ipsa in se, & prout sapientibus æstimatur, valorem suum ex præstantia virtutis & actionum præclararum mutuetur. Unde ubique terrarum virtuti quidem suum est pretium; sed insignia illa effectum suum non nisi in cujusque civitate exserunt, saltem hactenus, ut reverentiam adversus illa abs cæteris suo quasi jure quis postulare queat. Quanquam cum talia vulgo ob eximiam virtutem conferri præsumantur, etiam cultiores gentes peregrinis eam soleant deferre venerationem, quam honores, quibus in patria fulgent, requirere videntur. Inde Ciceroni peregrini nonnulli, splendidis familiis orti, vocantur non

ri ſtationem, in qua probabiliter prævidet vitam ſibi amittendam. Et quanquam alias civibus onera ſecundum proportionem debeant imponi, ad quæ univerſi ſimul concurrere poſſunt; aut ſi hoc fieri nequeat vel non opus ſit, alternis obeunda, vel æquipollente onere redimenda, vel etiam ſorte adſignanda ſint: tamen ut periculoſæ illæ ſtationes ſemper per ſortem attribuantur, ratio belli non fert. Adeoque penes ducem erit eligere aptiſſimos, aut ſi plures ſint idonei, quos viſum fuerit. Niſi adſint, qui ultro iſta ſibi pericula depoſcant; id quod fecit Calpurnius Flamma ap. *Flor. l. 2. c. 2.* & ante eum P. Decius Mus ap. *Livium l. 7. c. 34.* Nec vir fortis querelas movebit, ſi ipſi talia pro imperio injungantur. Facit huc illud *Seneca de provident. c. 4. Quare in caſtris periculoſa fortiſſimis imperantur? Dux lectiſſimos mittit, qui nocturnis hoſtes aggrediantur inſidiis, aut explorent iter, aut præſidium loco dejiciant. Nemo eorum qui exeunt dicit, Male de me Imperator meruit; ſed Bene judicavit.* Heic tamen obſervandum, ejuſmodi juſſorum non eſſe hanc intentionem, aut ſaltem non eſſe debere, ut directe vita militis perdatur. Dico, *non eſſe debere.* Nam aliquando heic a ducibus peccari, documento eſt rex David *2. Sam. XI, 15.* qui ideo etiam homicida audit *cap. ſeq. v. 9.* Nec ea infrequens ars, inviſos ſibi hoſtium ferro conſumendos objicere. vid. *Curt. l. 7. c. 2.* & ibi *Freinshem.* Ap. *Saluſt. Jugurtha* à Micipſa Numantiam miſſus dicitur, ut oſtentando virtutem, aut hoſtium ſævi-

ævitia caderet. Sed hoc ſpectare debent tam rigida ducum juſſa, ut dum velut citra miſſionem milites pugnant, à civitate magnum avertant malum, aut inſigne eidem bonum concilient, etſi contigerit, eos, dum talia conantur aut patrant, occumbere. Ejusmodi decretoriæ pugnæ hæc eſt lex, ut vel hoſtem perdamus, vel ſimul cum ipſo pereamus. Hoc enim præſtat, quam ut ſoli cadamus. Unde etiam haut abſurde multi videntur αὐτοχειρίας crimine abſolvere navarchos illos, qui juſſu ſuperiorum expreſſo, aut ex genere belli recte præſumto ignem pulveri pyrio injiciunt potius, quam ut una cum navi in poteſtatem hoſtium perveniant. Ponamus æqualem utrinque eſſe navium numerum. Ubi una noſtrarum capta fuerit, hoſtis duabus navibus nos ſuperabit; ſi noſtra ſola perierit, unica tantum: ſed ſi utraque ſimul pereat, in æquilibrio vires manebunt. Vix autem aliter fieri poterit, quin, ſi noſtra diſſiliat pulvere navis, non unam quoque aut plures hoſtilium navium ſimul adfligat. Nam ne capiaris tunc demum eſt periculum, quando navis navi adhæſerit. Et plerunque hoſtibus plus damni hoc modo datur, quam nobis. Validiores enim utique ſunt, qui noſtram navem ad incitas redigunt. Ad ſubmerſionem autem vitandam non tutum à contrario elemento remedium petendum. Nam illic aliqua adhuc enatandi ſpes eſſe poteſt. Confer *Ameſium de conſcient. IV. c. 21. q. 14.*

§. 23. An vero mortem quoque citra pugnam

gnam pro patria subire tenemur? Excutiamus præcipuos casus, quibus vita hominis citra pugnâ profusa patriæ usui esse posse credatur. Heic jam de eo non dicemus, quod etiam quibusdam gentilium fuit persvasum, per unius scelesti flagitia iras Numinis in totos populos derivari. Apud *Maronem Pallas exurere classem Argivûm, atq; ipsos potuit submergere ponto Unius ob noxam & furias Ajacis Oilei.* Cui igitur ista persvasio sederit, neque sibi neque civibus posse placari Numen, nisi sontem animam pœnæ reddiderit, illi videtur inesse obligatio & servandæ propriæ saluti, & sistendo malo, quod culpa sua civitati conciliavit, ad exorandam Numinis pacem vitam suam tradendi. Etsi quomodo unius delictum reatu alios quoque inficere possit citra ipsorum actionem aut omissionem culpabilem ratio nostra non capit. Fortasse igitur commodissime causam communicati reatus arcessemus ab adprobatione flagitii aut neglectu id vindicandi. Sed nec illa opinio minus fuit pervulgata offensum civitati aut singulis Numen vicaria aliorum nece posse placari, qui offensæ causam non dederant. Ex quo fonte immanis ista religio humanas mactandi hostias profluxit. De qua vid. *Cæsar l. 6. de B. G. Justin. l. 19. c. 1.* & quæ ibi notat *Berneg. it. l. 26. c. 1. Svet. Calig. c. 14. 27.* & ad h. l. *Casaub. Juvenal. sat. 12. v. 114. Strab. l. 10.* ubi memorat, Leucadiis morem fuisse, ut in Apollinis sacrificio sontem quotannis aliquem, avertendæ Deorum iræ, de montis specula dejicerent; ei autem adplicitis

s pennis & multis avibus, quibus levari posset, um fere in volatum conversum, & multos catem excipere naviculis, & si queant conserva- extra fines patrios emittere superstitem. Ad- *Selden. de Diis Syris synt. 1. c. 6.* & *synt. 2. c. 7.* *ver. antiq. German. l. 1. c. 37.* §. 14. Vide etiam *ton. Neron. c. 36.* Hunc ad usum an quis patriæ m commodare teneatur supervacuum est in- rere, cum nos meliora edocti sciamus, Sanctissi- m Numen aversari hanc deceptæ mortalitatis uniam. Quos tamen iste error tenuit, obser- ius huic usui destinasse aut hostes captos; empla vid. apud *Cluver. d. l.* §. 17.) aut sponte offerentes; aut sorte ductos, uti Pœni, de qui- est apud *Silium Italic. l. 4. v. 767.* Adde quæ tiliter super hac re disserit Clar. *Bœclerus com- nt. ad Grot. p. 99.*

. 24. Sed quid si ad placandam hominis ali- us iram vita civis deposcatur, an is ea sponte ata à civitate cladem aut exitium avertere te- ur? Ubi videndum, quibus causis alter fuerit tus, ut civem nostrum sibi dedi postularet. Si m id fiat ob aliquod ipsius delictum, licet for- e omnibus modis pœnam subterfugere possit, amen cavere debet, ut ne sui causa civitatem lo involvat. Adeoque etsi ponamus talem teneri, ut seipsum in ejus potestatem ultro lat; tenebitur tamen alio sese transferre, ubi eptatoribus suis nihil negotii facessat. Nec bito, quin à civitate etiam invitus ideo expelli eat, siquidem illa fors inhumanius crediderit,

eun-

eundem poſcenti dedere. At quid ſi ob publicum delictum ad necem depoſcantur quidam civium, qui ejusdem delicti non fuerunt autores? Qualem in calamitatem incidiſſe memoratur civitas Attica ob interfectum Androgeon. Cujus mortem ut ulciſceretur Minos, Athenienſibus bello ſubactis tributi loco ſeptenos pueros & totidem puellas imperavit in pabulum Minotauro. Id tributum alii quotannis datum memorant, uti *Maro Æn.6. Hygin. fab. 41.* alii novenis annis, uti *Ovid. metam. 8. Actao bis paſtum ſanguine monſtrum Tertia ſors annis domuit repetita novenis.* Cui adſtipulatur *Plutarchus Theſeo*, qui tamen ex *Philochoro* addit, pueros iſtos non fuiſſe neci datos, ſed in præmium ceſſiſſe illi, qui viciſſet in ludis memoriæ Androgeo dicatis: primumque victorem extitiſſe Taurum, ducem Minois, hominem crudelem, apud quem iſti miſeram ſervierint ſervitutem: eo poſt per Theſeum victo tributum remiſſum. Sed quicquid hujus ſit, ubi ejusmodi neceſſitas civitatem oppreſſerit, non video, quo obtentu civis periculum ſortis queat detrectare, (quo medio aptius nullum eſt inter pares jure,) ſi non inveniatur aliquis Theſeus, qui ultro ſibi Minotaurum debellandum ſumat. Sed quid dicendum, ſi innocens depoſcatur ad mortem aut malum morti comparandum, non ex cauſa publici aut privati criminis? Caſus in eam rem extat apud *Libanium Tom. 1. declam. 27. Tyrannus ex urbe propinqua poſtulavit formoſum adoleſcentem, adjectis de bello inferendo, ni traderetur, minis.*

Civitas

as bellum maluit tolerare, quam adolescen-
radere. Cum jam gravi obsidione eam pre-
t tyrannus, pater adolescentis interfectum fi-
de mœnibus projecit: cædis mox, soluta obsi-
e, accusatur. Super isthoc casu erudite phi-
hatur *Bœclerus Comment. ad Grot. p. 95.* No-
eic patrem neque accusare neque defendere
t, qui plausibilius causam suam posse orare
tur, quam Virginius ille, de quo *Livius l. 3.*
. Illud extra dubium ponendum judicamus,
teneri civitatem ejusmodi hominem defen-
cum exitio suo. Sic enim & ipsa peribit, &
ocens ille nequidquam servabitur. Neque
postulare potest, ut pro se & secum tota civi-
pereat. Ergo hoc relinquitur misero, ut
ntum potest sibi ipsi consulat fuga, aut usu
mvis periculoso. Ubi omnia incassum ceci-
e, ferat calamitatem, in qua tamen utique ani-
s servari impollutus potest, siquidem nefas est
luntaria morte ejusmodi fœditatem declinare.
vitas autem, postquam ipsum pro viribus de-
ndit, & omnem movit lapidem, ut per fugam
t alia ratione elabi posset, ubi isthæc non suc-
dunt, & clades imminens aliter depelli nequit,
sum deserere demum potest, i. e. non prohibere
o minus eundem tyrannus adprehendat. Ut
tem ipsa eum in tyranni manum tradat aut ut
m cogat, quo seipsum dedat, neque fas esse, ne-
ue necessarium arbitramur. Conf. *Grot. l. l. 2.*
25. §. 3. Ames. de Consc. l. V. c. 31. q. 3. De cætero
majoris debet esse civitati vita suorum civium,

 quam

quam ut eam declinando periculo incerto, aut adquirendo aliquo bono parum necessario prodigere velit; neque in tales usus vitam suam civis offerre tenetur. Inde plus quam postulari ab ipsis poterat, pro patria fecerunt Philæni fratres, de quibus est ap. *Saluſt. de bello Jugurth.* Et pessime adplicabat bonam alias sententiam Caiphas, *Joh. XI. 50.* quasi liceret hominem innocentem occidere, ne fortasse Romani suspicarentur, Judæos res novas agitare, & inde ansam arriperent bello ipsos invadendi. Præsertim cum longe molliora remedia sint ejusmodi suspicioni depellendæ, quam mors innocentis.

§. 25. Minus difficultatis habet illa quæstio: An si quis extraneus, barbaros ob mores infamis, civis nostræ nuptias petat sub denunciatione belli, hæc ad avertendum à patria periculum, thalamos subire invisos teneatur; & si forte renuat, ad id cogi queat? Equidem in hoc non exigua pars libertatis consistit, ne qua invita se jungere cogatur, extraneo præsertim & efferis prædito moribus. Et cum per tales nuptias aliqua in alteram civitatem transeat, non magis videtur nostræ civitati jus esse, civem suam pro imperio eò adigere, quam citra antegressum delictum civitate expellere. Quia tamen ipsa postulare non potest, ut magno periculo sese involvat civitas, ne illa sola subeat incommodum non capitale; ipsa viderit, qua ratione suæ libertati consulat. Etsi cum magnam soleant habere vim cordatæ mulieres in emolliendis rigidis maritorum moribus, tales nuptiæ egregiam

i præbere ansam possent non solum à civitate
culum avertendi, sed etiam commodum insi-
eidem conciliandi. Cujus si probabilis spes
lgeat, vix adparet, quare non quamvis pa-
amabili nubere debeat. Unde valde dubito,
a laudem mereatur factum Didonis, de quo est
Justin. l. 18. c. 6. si vel maxime mortem sponte
tam non accusemus. Sane enim de multis
e merendi occasio erat nata. Quanquam cir-
d factum peculiariter considerandum, an ad ta-
uid subeundum etiam teneatur fœmina, cui
mum in civitate imperium, præsertim si peri-
um sit, ne per istud sub alterius ditionem civi-
perveniat.

§. 26. Sæpenumero etiam necessum est, ut in
m patriæ plenum libertatis exercitium circum-
bi nobis patiamur, quando scil. firmandis pa-
s publicis obsides tradimur. Ad quod onus su-
piendum pro imperio civis adigi potest, si qui
onte se offerant, defuerint. Et quidem ubi ho-
s potentior certos sibi cives obsides postulaverit,
x hisce tergiversandi locus videtur relictus. Sed
plures sint, quorum quis obses eat, illius, quicum
iciscimur, aut nostræ civitatis nihil intersit,
æscindendis querelis aptissimum erit, sortem ad-
ibere. Quod si longo tempore obsides sint deti-
endi, æquissimum erit, novis substitutis cæte-
os liberare. Uti & hoc operam dare civitas debet,
t quod oneris extraordinarii præ cæteris obsides
ascipiunt, id ipsis, quantum fieri potest, aliunde
ensetur. Quæri autem hoc loco posset, an non

rectius dicatur, obsidum vitam oppignorari, quam usum libertatis? Equidem in traditione obsidum satis adparet, hoc actum fuisse: *tradimus hosce in manus vestras, tanquam carissimam nostræ civitatis partem, ut nisi servaverimus, quæ convenere, nulli deprecemur, quo minus iisdem inferatis, quicquid placuerit.* Inde cum ejusmodi pacta rupta causam belli dent in eum, qui ea violavit, apparet post pacta rupta bellumque conflatum in hostium abire numerum obsides quoque, eodem modo, quo omnes ejus Reip. cives, etiam qui ad causam belli nihil peculiariter contulerunt. Et constat, multos in obsides eadem statuisse; quæ in quosvis hostes solent; etsi multis inhumanum visum, miserorum illorum & innocentum calamitate ex aliena conceptum injuria dolorem mulcere. Rectius autem puto dicitur, civitatem, dum obsides tradit, in casum violati pacti eos objecisse licentiæ bellicæ, adeoque eorundem salutem commisisse sævitiæ aut misericordiæ hostis; quàm ipsos debere excipere pœnas violati abs civitate pacti. Non enim adparet, qua ratione finis, quem in pœnis sumendis sibi homines debent propositum habere, obtineri queat, si plectatur obses innocens; qui proprie in violationem pactorum non consensit, sed duntaxat non recusavit, quo minus ipse loco alterius posset malo affici; in quo per se nullum est delictum. Satis quoque cautionis est adhuc in obsidibus, etiamsi per jus naturæ pœna proprie dicta ob alienum delictum ab ipsis sumi nequeat. Sufficit enim, quod in tali sunt statu, ut licentia

tia bellica statim in ipsis possit exerceri; adeo-
ipsorum salus ex solo arbitrio læsi & irati ho-
pendeat. Hæc quamquam ita sint, verius tamen
tur, civitatem directe obsidis duntaxat liberta-
, quantum ad ejus exercitium, oppignorare,
vitam. Quia ipsa firmum propositum ha-
aut habere debet, fidem servandi, adeoque ca-
illum, quo in obsidis vitam alteri licentia fieri
it, moraliter pro nullo ducit. Nec dubium est,
injuriam obsidi faciat civitas, si ipsa injuste
a violet, & miserum illum alterius iræ objiciat;
si hoc fine eundem tradat, ut alterum in secu-
em datum eo graviore damno mactare queat.
d autem dicendum, si is, qui accepit obsides,
m velit abuti ad exercendam in nos perfidiam,
avibus nos injuriis lacessat, exitium obsidibus
ris interminatus, si ipsi resistamus? Heic pro-
le videtur, siquidem injuriæ illæ sint tantæ, ut
tet, innoxios istos periclitari, quam civitatem
em tolerare, posse istorum periculum negligi,
rfidi hostis vim vi repelli. Nec magis civitas
libus injuriam facit, quam si quibusdam civi-
in bello talem adsignet stationem, in cujus
naci defensione aut cadendum sit, aut captivi-
ubeunda. Et ferent isti hanc tanquam fatalem
nitatem, nequidquam irati patriæ suæ, quæ
n casum prævidere non potuit. Conf. *Grot. l.*
20. §. 22. seqq. & Bœclerum. l. c. pag. 102.

27. Consequens est, ut inquiramus, an et-
aliquam nostræ existimationis & famæ partem
a sibi vindicet. Heic observandum, existima-

 tionem

tionem oriri vel ex communi, ut ita loquar, honestate, vel ex singulari præstantia, factisque insignibus. Per illam quis pro bono viro habetur; nec incommode eam vocare possis *existimationem simplicem*; cui opponitur infamia, quæ oritur ex vitæ genere honestati adverso, & factis enormiter turpibus. Posteriorem existimationis speciem non incongrue dixeris *intensivam*, quæ spectatur vel in solido & incorrupto prudentum atque bonorum judicio, vel in extrinsecis honorum insignibus, vel denique in vana vulgi persvasione. Ut quis existimationem simplicem patriæ impendat, seu ut veram sibi infamiam conciliet propter utilitatem patriæ, nemo videtur obligari. Facta enim turpia, ex quibus ista oritur, neque à patria imperari possunt, neque à cive præstari debent. Imo neque crediderim, posse ab honesto cive postulari, ut ipse civitatis aut Principis infamiam in se suscipiat, seu ut pro ipsius sceleribus sese velut reum subdat. Nam scelestum se arbitror nemo sine scelere fingit; & non nisi Nero aliquis Aniceto ministro dignus est. vid. *Tac. A. XIV. 62.* Sic neque casus videtur posse dari, ut quis existimationem intensivam, quatenus sapientum judicio stat, jam partam, in usum patriæ absumat. Sed ut quis sese ob utilitatem patriæ insignibus honorum abdicet, quandoque necessarium esse potest; quibus tamen demtis virtus nequidquam obolescit; imo apud sapientes magis enitescit, si inania ista cum ratione contemserit. Sic quis bonus civis non malit honoribus carere, quam patriam, dum eos pertinaciter adsertum it,

turbis

bis involvere? Parum utique apud bonos cives
ere debebant illæ adhortationes Cæsaris; patriæ
ıa inferenda, ne quid de ipsius dignitate dece-
et. Et nimis quam dilutus est color ille; non
riam bello peti, sed inimicorum injuriis obviam
Non enim ea, quæ ab aliquo *Reip. causa acta*
t, in contumeliam suam quis vertere debet.
nper quippe *Reip. commoda privatis necessitati-*
habenda potiora. Et debet *bonus civis & stu-*
m & iracundiam suam Reip. dimittere; neq;
o graviter irasci inimicis; ne cum illis nocere
beret, noceat Reip. quod bene moneri curabat
esarem Pompejus ap. *Cæs. l. 1. de B. C.* Et sane,
n illa honorum insignia patriæ debeamus, cur
n in ejusdem usus eadem velimus impendere?
ne enim, ut hoc obiter addamus, illa existima-
nis exteriora signa valorem suum determina-
n habent ex impositione ejus civitatis, in qua
is vivit; etsi existimatio ipsa in se, & prout sa-
entibus æstimatur, valorem suum ex præstantia
tutis & actionum præclararum mutuetur. Unde
ique terrarum virtuti quidem suum est pretium;
insignia illa effectum suum non nisi in cujus-
e civitate exserunt, saltem hactenus, ut reveren-
m adversus illa abs cæteris suo quasi jure quis
stulare queat. Quanquam cum talia vulgo ob
imiam virtutem conferri præsumantur, etiam
ltiores gentes peregrinis eam soleant deferre ve-
rationem, quam honores, quibus in patria ful-
nt, requirere videntur. Inde Ciceroni peregri-
nonnulli, splendidis familiis orti, vocantur non

absolute, sed *domi, aut apud suos nobiles*; scilicet quod peregrinæ nobilitati idem valor non esset Romæ, atque in sua cujusque patria. Sic quis ignorat, quantus honos Olympionicis apud Græcos fuerit habitus? Eundem si apud alios, queis tanti non æstimatæ fuerunt vires corporis, aut agilitas, exhiberi sibi postulassent, ludibrium cordatis debuissent. Accedit quod iisdem vocabulis dispares prorsus dignitatis gradus, ac diversa munia apud diversos populos sæpe designentur. Unde eadem classe omnes iisdem superbientes titulis censere velle, oppido quam imperitum foret. Usque adeo ista honorum insignia, & titulorum pompa usu valent, ut nummi; & manifestus est vanitatis, qui ex talibus majorem sibi venerationem circumponere audet, quam quanta à civitate sua expresso statuto aut per consvetudinem istis est attributa. Sed hæc in transitu. Denique illam existimationem, quæ à prava vulgi opinione pendet, uti in omnibus contemnere debet vir sapiens; ita inprimis, dum patriæ consultum it, nequidquam inanes imperitorum strepitus curabit; qui & brevi evanescunt, & ampliori gloriâ exuberant, postquam eventus consiliorum rationem adprobavit. Exemplum in eam rem illustrissimum exhibuit Fabius ille Cunctator, de quo vid. *Liv. l. 22. c. 15. 22.*

§. 28. De opibus in usum patriæ erogandis res est in expedito. Scilicet tenetur quilibet civis conferre pro rata parte, quantum ad conservandum statum publicum requiritur, quo ipso etiam singulorum securitas stat. Quota census pars, &

quo,

io tempore sit solvenda, summi imperii est de-
gnare. Etsi alicubi in constitutionibus impe-
orum populus, perpenso, quantum probabiliter
ecessitates publicæ essent desideraturæ, certam
ntaxat summam exigere imperaturo concessit,
iam tamen tempora Reip. sæpe augeri jubent.
audent quoque in plerisque civitatibus certi
mines immunitate à tributis, vel ob singularia
erita in Remp. vel ob eximias operas, quas Reip.
æstant; quos tamen interdum gravis patriæ ne-
ssitas in partem onerum vocat. Sed & ubi res
oram non fert, ut abs singulis rata tributorum
rtio exigatur, aut si ad usus publicos non nisi u-
is alicujus res apta sit, concedere hanc, & de o-
ous suis etiam ultra ratam erogare civis debet,
tamen ut à civitate id, quod excedit, ipsi refun-
tur. Eadem quoque ad operas illas, quas ci-
in usum patriæ præstant, adplicari possunt.
æ præterea patriæ debentur circa susceptionem
erorum, studia, obeunda munera publica, ab a-
passim tradita legas.

§. 29. Cæterum pleraque, quæ hactenus di-
mus, patriæ debentur ex communi illa obliga-
ne, qua cives sumus. His accedunt plurima
bita peculiaria, ad quæ pactis singularibus quis
e obstrinxit; quæ quisq; ex muneris sui legi-
s facile cognoscet, simulq;, quomodo per ista
mmunis illa obligatio intendatur aut tempere-
r. Id quod inprimis expendi meretur circa eos,
i patriam summo cum imperio regunt. Hos
i Patres patriæ vocandos judicaverunt, exqui-

 sitissi-

ſitiſſime ipſorum munus expreſſiſſe videntur. Quanquam diverſo nomine eam adpellationem Principes mereri poſſunt. Præcipuo quodam jure eam ſibi vindicant, qui ſuam ſibi patriam ipſi fecerunt; uti Romulus, urbis & gentis Romanæ conditor. Proximi his ſunt, qui à patria interitum avertunt, aut magnis calamitatibus oppresſam recreant, priſtinoq; vigori reſtituunt. Quibus de cauſis etiam eximii cives iſtius nominis dignationem ſibi circumponere potuerunt. Quibus autem ad talia merita occaſio defuit, recte Patres Patriæ audiunt, ſi populum ſuum paterna cura paternoque adfectu complectantur. Nam non videtur ejus tituli ſenſum penitus exhauſiſſe *Seneca l. 1. de Clement. c. 14.* quando per eum potisſimum admoneri putat Principes de lenitate in ſuppliciis exigendis adhibenda; uti patres non prius ad *decretorium ſtylum* accedunt, quam omnes alias correctiones conſumſerunt. *Cætera,* inquit, *cognomina honori data ſunt. Magnos, & Felices & Auguſtos diximus, & ambitioſæ majeſtati quidquid potuimus titulorum congeſſimus, illis hoc tribuentes. Patrem quidem patriæ adpellavimus, ut ſciret datam ſibi poteſtatem patriam, quæ eſt temperatiſſima, liberis conſulens, ſuaq; poſt illos reponens. Tarde ſibi pater membra ſua abſcindat,* &c. Quanquam ex ſcopo ejus ſcripti facile adparet, cur hanc potiſſimum partem ex iſtius nominis ſenſu arripuerit Seneca, quem diſcipuli ſui ingenium hautqvidqvam fallebat. Sed ut nos in eo titulo nihil præter lenitatem imperii ſpecte-

ctemus, nulla ratio est. Neque crediderim
hil aliud ob oculos habuisse. qui id nominis in
ncipes Romanos contulerunt, atque antiqui
Romani, qui Dominum maluerunt patrem
iliæ adpellare, de quo est apud *Eundem ep. 47.*
illud quidem videtis, quam omnem invidiam
jores nostri dominis, omnem contumeliam ser-
detraxerint? Dominum patremfamiliæ appel-
erunt, servos familiares. Quæ cum ita sint,
ltis non probabile visum fuit, *1. Sam. 8.* descri-
ura Regis, qui patriæ pater cluere possit. Ple-
ue autem ab se impetrare non potuerunt, ut
derent in divinis literis non exactissimam sum-
in terris muneris normam contineri; qvam
initium novi regni promulgari utiqve con-
iens fuerat. In hoc sententiarum divortio
d mihi probabilissimum videatur, paucis ex-
ere placet. Fuerat igitur hactenus inter E-
os forma Reip. illi fere similis regno, quod *A-*
oteli Heroicum dicitur. Judices divino ple-
ve instinctu acti oppressos ab hostibus vindi-
ant, aut in pace jus dicebant: de cætero sva-
di magis autoritate, quam jubendi potestate;
dparatus ipsorum intra civilem modum nullo
t tributo juvandus. Pertæsus eum statum po-
us Regem volebat, ad modum cæterarum gen-
m, i. e. qvi externa qvoqve pompa splenderet,
perpetuum militem aleret, aut certe in armis
es exerceret, ut hostibus ingruentibus statim
sset occurri. Heic Samuel, ut re adhuc inte-
a mature deliberarent, jus ejusmodi Regis, &

istius status incommoda ipsis ob oculos ponit. Vultis habere Regem, cultu magnifico insignem? Atqvi hic numeroso erit satellitio stipatus, adeoq; *filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietq; sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum.* Vultis Regem, qvi perpetuo milite sit instructus? At sic necessum erit, ut *constituat sibi tribunos & centuriones* ex filiis vestris, qui antea rei vestræ familiari augendæ poterant vacare. Eum Regem negotia publica non permittent, ut agros suos ipse colat. Ergo de filiis vestris sumet *aratores agrorum suorum, & messores segetum*, ac pro armando suo exercitu, *fabros armorum & curruum suorum.* Cum præterea amplo ministerio aulæ sit usurus, neq; ex dignitate uxorum & filiarum regiarum sit futurum, ut ipsæ tam luculentam culinam curent; ideo *filias vestras faciet sibi ungventarias, focarias & panificas.* Multis præterea ministris ipsi opus erit, ad pacis ac belli negotia expedienda, quibus salaria constituenda; ideo *agros vestros & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit servis suis.* Ad quem usum etiam decimas exiget. Nec minus, ubi opus fuerit, servis atque jumentis vestris ad operas suas ütetur. Uno verbo, hoc dicit; si Regem vultis habere, regie is vobis erit sustentandus, & huic fini certi reditus constituendi; cujus oneris si post pertæsum fuerit, nequicquam eum exuere sceptro poteritis, postquam vestra electione jus sibi ad regnum quæsivit, quod invito auferri non poterit. Atque iisdem argumentis utetur, si quis populo libe-

ero dissvadere instituat, ne democratiam in narchiam convertat.

§. 30. Tempus est, ut illam quoque quæstio- n excutiamus, an quis obligationem adversus riam etiam superare queat, ut in ære ipsius de- eps patria sit? & quod eodem redit, an benefi- m dare patriæ possit? Sunt qui putant, si quis nia, quæ per vires licuit, patriæ præstiterit, id n beneficium, sed officium debere existimari. eoque nequiter aut imperite calculum ponere, i heic accepta cum impensis ita confert, ut cre- orem se dicat. Ex quo consequens fit, nemi- m posse patriam suam ingratitudinis ream agere. Enimvero etsi officiorum vincula ad- ngere potius quam laxare nobis sit cordi, vix nen adparet, quomodo hæc sententia non re- enda videatur, Dicis, omnia quæ habemus, in eptis patriæ ferimus. Ergo quæcunque pa- e præstiterimus, non damus, sed reddimus. Ve- n isthæc oratorio magis more quam ex vero it expressa. Sane patria nativa vitam nobis a- r imputare non potest, quam quod locum in- abulis nostris præbuit, & parentibus nobisque uritatem præstitit. Prius quanti sit, ex supra tis liquet. Posterius fateor magnum est, sed tantum, ut ideo nomina nostra nunquam di- ngere apud eandem queamus. Nam quod tas singulis securitatem possit præstare, est ex gulorum viribus conjunctis; adeoq; ad hoc eti- mei quantulamcunque partem contulerunt, c est, quod regeras, servaturam utique fuisse pa-

triam ſplendorem ac firmitatem ſuam, ſi vel maxime te tuosq; nunquam ſol adſpexiſſet. Nam hoc hoc quidem fortaſſe vere dici poterit in vulgares aut mediocres cives; non in Camillos, Scipiones, Fabios, Marios, Cicerones, Themiſtocles, Epaminondas, horumq; ſimiles. Deinde quæ ſingula exigua videntur, juncta utiq; momentum poſſunt adferre. Subtrahe Rheno cuncta modica flumina, minore puto gloria labetur; etſi quantum ab uno alterove rivo incrementi capiat, ita manifeſte deprehendere nequeas. Quod ſi in educationem noſtram peculiare quid impenderit patria, peculiariter quoq; ipſi eo nomine obſtricti erimus. Sin iis tantum frui nobis permiſit, quæ quibusvis civibus patent; fecit id, quod majores noſtri, dum in eam ſe contulerunt, ſibi ſuisq; poſteris ſunt ſtipulati; adeoq; & ipſa nihil aliud quam officio ſe ſuo exſolvit. Atqui; inquies, quæ parentes tui in educationem tuam impenderunt, & quas tibi opes reliquerunt, in patria utiq; fuerunt adquiſitæ. Sed fortaſſe etiam quædam aliunde intulerunt; & quacunque ratione rem fecerint, inde tamen ſuam portionem ad converſationem patriæ erogarunt. Quod inter præcipua numerandum, patria certe nativa aut adſcititia campum præbuit, in quo tua ſeſe virtus poſſet exſerere. Et ſane eſt, cur Numini gratias agamus, quod cultos inter homines, non vervecum in patria ſimus nati. Nec omnino inaniter ille Seriphius, qui Themiſtocli objiciebat, non eum ſua, ſed patriæ gloria ſplendorem aſſecutum. Cui tamen cordate hic: *nec hercle*

ſi ego

o Seriphius essem, nobilis; nec tu, si Athenien-
sses, clarus unquam fuisses. Scilicet utcun-
ad claritatem egregiis viris facilem ostendat
a patria celebris; Meletides tamen aliquis non
fatuitate nobilitabitur. Neque ita crude ad-
tendum putaverim illud *Luciani d. l. Quicunq;*
is & splendidæ civitatis se civem esse jactat,
rare mihi videtur, quam gloriam aut hono-
patriæ tribuere oporteat. Neq; occulte fert
, se dolore affectum iri, si mediocrem patriam
itus esset. Mihi vero jucundum est ipsum
ten patriæ religiose colere. Nam honorem utiq;
eo parenti, qualiscunque contigerit. Cur ta-
n non in parte felicitatis humanæ duci queat,
m habere, cujus virtus aut fortuna ad similem
ditionem facile me protrahat, ego nondum di-
io. Idem omnino etiam de patria est habendum.
c quanquam ita sint, nondum tamen facultas
nis interclusa est, quo minus quis paria cum
ria facere queat. Præbet illa virtuti exserendæ
npum; at egregius civis eandem in patriæ usus
pensat. Ex quo si & in ipsum gloria aut com-
dum aliquod redundat, id non magis inviden-
n est, quam quod apes nectare suo victitant.
§. 31. Sed, inquis, si ea, quæ supra enumera-
nus, suo jure sibi patria vindicat, quæ tandem
teria superest illi beneficium dandi? Heic scien-
n, uti in cæteris actibus humanis id solet respi-
quod communiter fieri solet; ita etiam civitates
ivibus suis qua talibus non aliud stipulari intel-
untur, quam tales operas, quales communiter
ab

ab hominibus, non inutili pondere terram prementibus, exspectari solent. Indicio est, quod ubicunq; aliquod virtuti pretium, eximiis actibus peculiaria sunt constituta præmia; quæ non possent non cæterorum invidiam subire, & querelas, si eximii cives sua omnia æque civitati deberent, quam mediocres mediocria. Et si quis recens in civitatem recipiatur, egregiis instructus artibus, illi utique lautiores offerri conditiones solent, quam proletario alicui. Unde arbitramur, eximia illa dona, queis quidam à Deo præ cæteris sunt dotati, esse id, quo patriam sibi debitricem reddere quis possit. Nã neq; illa patriæ in acceptis refert; & quia extraordinaria & non prævisa sunt, præsumitur, eam sibi ista quoq; per nudam illam civilem obligationem voluisse asserere. Sæpenumero etiam egregria virtus talia sibi ultro pro patria deposcit, quæ ipsi injungere in mentem nunquam venerat. Denique non ita velut certæ glebæ est addicta virtus libera, ut non in alium quoq; locum sese transferre queat. Et heic putamus aliquatenus locum habere posse illa, quæ sub initiũ attulimus, sapientem longe majoris seipsum debere facere, quam ut pro grege stultorum se velit impendere; si scilicet viderit, stultos illos virtutem ipsius non agnoscere, aut pro gratia odium insuper & invidiam reponere. Ne quis tamen putet, per isthæc langvescere amorem ergà patriam, audiat verba *Seneca l. 3. de benef. cap. 36. 38.* quæ malim adplicare ad obligationem adversus patriam, quam ad parentes, qui officio suo examussim satisfecerunt. *Hæc non de-*

struunt

uunt patriæ venerationem, nec deteriores illi ci-
s faciunt, imo etiam meliores. Natura enim
riosa est virtus, & priores anteire cupit. Ala-
or erit pietas, si ad reddenda beneficia cum vin-
ndi spe venerit. Hoc agite, optimi cives. Posita
inter vos & patriam honesta contentio, dederit
ajora an receperit. Non ideo vicit, quia occupa-
t. Ad hoc unum estote contumaces, ne beneficiis
ncamini. Certate obsecro, & fusi quoque resti-
ite aciem. Felices, qui vicerint; felices, qui vin-
ntur.

§. 23. Videamus nunc, quo ordine sit cen-
ıda obligatio adversus patriam, si cum aliis ob-
ıgationibus contendatur. Ubi illud extra du-
um ponimus, obligationem adversus Deum,
jus magna pars est, ne quid in leges ipsius
ccemus, antecedere quamlibet obligatio-
m, quæ homines spectat. Sed quem locum
bet patria, si cum universo componatur, cu-
s utique ipsa particula tantum est? Partem au-
m cedere debere toti verosimile est; præser-
n cum inter omnes homines societas quæ-
m & amicitia per naturam sit constituta. Quo
iam spectat illud Marci Antonini *l. 3. §. 11.*
νθρωπός ἐστι πολίτης πόλεως τῆς ἀνωτάτης,
ς αἱ λοιπαὶ πόλεις ὥσπερ οἰκίαι εἰσίν. *Et l.*
§. 44. Πόλις καὶ πατρὶς, ὡς μὲν Ἀντω-
νῳ μοὶ ἡ Ῥώμη, ὡς δὲ ἀνθρώπῳ ὁ κόσμος.
d quæ loca vid. quæ congessit *Th. Gatakerus.*
ιeic igitur certum videtur, non esse faciendam cæ-
teris

teris omnibus injuriam, ut inde in patriam aliqua utilitas redundet. De cætero, uti præstantiores habendi sunt actus, qui non patriæ solum, sed & toti hominum universitati prosunt; ita arctior & determinata patriæ obligatio cedere jubet laxiorem illam & determinatam, quæ omnes homines qua tales spectat, quando utrique simul satisfieri nequit. Non puto alienum erit, tangere heic quæstionem; An qui historiam se scribere profitetur, possit interdum ab historici officio decedere, ut aut patriæ utilitatem aliquam comparet, aut maculas ipsius obtegat? Loquimur de iis, qui res gestas perpetuæ seculorum memoriæ consignant, quorum lex est, *ne quid falsi dicant, & ne quid veri non dicant*. Vid. *Polybius l. 1. c. 14.* Quid enim sit sentiendum de illis hominibus, qui stipendio autorati per commenta inania hominibus illudunt, ut partium, quibus se addixere, famam alant, jam inquirere non vacat. Præsertim cum illis historicorum titulus non conveniat, nisi postquam eruditi hanc definitionem adprobarint, quod historicus sit vir impudens, vana in vulgus spargere doctus, cui à nemine cordato fides sit adhibenda. Circa hanc quæstionem videtur discrimen faciendum inter ea, quæ imprudenter, & quæ scelerate à patria nostra sunt facta. Illa quo minus libere tradi possint, salva in ipsam pietate, nihil obstare arbitramur. Isthæc enim innotescere non magis cæterorum, quam patriæ interest, quo à similibus erratis deinceps sibi cavere queat. Unde neque id adeo reprehendendum putaverim, si historicus, qui

alias

asmunere suo defungi narrando poterat, pro-
tum judicium interponat circa imprudentius
ta; dummodo umbraticæ ambitionem pruden-
importune aut putide non ostentet. Sed si in
ero genere à patria fuerit peccatum, reverenter
iet, qui præconem sese heic non obtulerit, sed
iptione prorsus supersederit, postquam pudor
n arcte junctorum infamiam propagare prohi-
t. Et certum est, patriam posse interdicere civi-
s suis ne talia in vulgus ipsi spargant. Quid
utem quis jubeatur historiam scribere? Heic
cordatus non patietur sibi injungi id oneris,
i sub hac lege, ut liceat pace patriæ boni histo-
i munere fungi, & res, prout gestæ sunt, libe-
ac vere narrare. Ubi si occurrerint notorie in-
ta, impudens fuerit, eadem velle defendere;
nquam ut proprium interponat judicium ne-
sarium non est, cum ex nuda narratione inju-
iam facti colligere in proclivi sit. Si quæ tamen
babilis suppetat excusatio, eam adferri nihil
hibet, præsertim si non advocati personam in-
erit, sed quæ alii in utramque partem disputa-
int, referat. Add. tamen *Dio Chrysostomus de*
non capto circa fin. p. m. 191. 192.

§. 33. Inter præcipuas necessitudines censen-
parentes, liberi, uxores, fratres; quas omnes
triæ caritati concedere debere, vulgo adse-
ur. *Valer. Max. l. V. c. 6. patria*, inquit, *maje-*
ti etiam illa, quæ deorum numinibus æquatur,
ctoritas parentum, vires suas subjecit: frater-
quoq; caritas æquo animo ac libenti cedit. Sic
Cicero

Cicero l. 1. de Off. ubi contentio officiorum ſit facienda, principem locum tribuit patriæ & parentibus, proximum liberis & toti domui, & demum propinquis. Ac circa parentes quidem tres præcipue caſus occurrere poſſunt, ut ipſi cum patria contendantur. Unus eſt, quando patria & parentes ſimul opem noſtram, quæ in plures dividi nequit, expoſcunt, v. g. ſi ad depellendum à mœnibus hoſtem patria me vocet, parens autem ſenio debilis in locum ſe tutum aſportari velit. Heic ſine dubio patriæ prius ſuccurrendum, cujus *ruina penates omnium ſecum trahit*. Apud *Maronem* Æneas primum extrema omnia tentat; ſi qua poſſit patriæ captæ, regiq; opis quid ferre. Ubi nequidquam virtutem conſumi videt, feſſus demum ætate parens Creuſaq; & Aſcanius ſubeunt. Quando tamen æqualis neceſſitas patriam non premit, facile eſt ut credatur, patria non invita aliquod erga ipſam officium non ita neceſſarium tantiſper negligi aut differri, ut inter extrema verſantibus parentibus ſuccurratur. Alter caſus eſt, ſi à parente ipſi patriæ hoſtilia intententur, utrum reverentia patri debita hoc efficiat, ut filius non quidem pravos ipſius conatus adjuvare, ſed duntaxat illis non reſiſtere, aut ne ab aliis reprimi poſſint, diſſimulare eos debeat? Sane *atrox exemplum, reus pater, accuſator filius. Tacit. A. IV. 28.* Et non video, qua ratione illæ potiſſimum civitates, quæ patribus jus vitæ & necis in liberos reliquerunt, potuerint adſpernari excuſationem filiorum, quod veneratione paternæ adpellationis & pote-

ſtatis

is siluerint de pravis patrum conatibus. Certe *Tac. A. 3. 17. Tiberius adolescentem* Pisonem *mine belli civilis purgavit; patris quippe jussa potuisse filium detrectare.* Sed ut maxime fitam triste ministerium deferendi patrem remitur, quando non extrema ab illo in Remp. struitur; tamen si exitium patriæ iste intentet, nec alio indice commode possit emanare, vix dubiadum videtur, quin filius, postquam pro viribus trem ab ista mente deducere est molitus, privam affectum vincere debeat, ad avertendam abs t innocentibus perniciem. Add. *l. 35. D. de re-ios. & sumt. funerum.* Circa factum autem Pellæ, de quo est ap. *Livium l. 23. c. 9. 10.* ut recte dicium feratur, id quoq; est expendendum, an cis privata autoritate fidem abs civitate publice atam infringere possit, si judicaverit eam contra as, aut parum ex bono civitatis esse datam; Quælam ad hanc quæstionem facientia peti possunt ex *l. 1. c. 4. §. 19.* Grotii de J. B. & P. Tertius casus esse potest, si hostis patriæ exitium intentet, ui filius ipsi patriam prodere, aut magni momenti locum in ejusdem manus tradere velit. Ubi itidem patriæ potiorem quam parentis rationem habendam arbitramur. Quam in rem insignem historiam memorat *Joh. Adamus Schall in narrat. missionis Soc. Jesu ad Chinenses c. 9. p. m. 72.* Etsi paulo aliter id factum recitet *Neuhof descript. general. Sinæ c. ult. p. 394.*

§. 34. Quid autem heic parenti in filium liceat, minus in obscuro est. Sane enim & hoc in-

eum-

cumbit patri, ut filium formet in utile membrum Reip. multoq; magis, ut eum publice perniciosa machinantem omnibus modis coërceat. Sic Fulvius senator filium ad Catilinam (citra dubium ignaro aut vetante patre) tendentem, ex itinere retractum necari jussit. *Salust. Catil. præfatus, non se Catilinæ illum adversus patriam, sed patriæ adversus Catilinam genuisse,* qvod addit *Valer. l. V. c. 8.* Similem severitatem exercuit in Sp. Cassium, regni affectati suspectum, pater, uti est ap. *Eundem d. l.* etsi heic autores varient. vid. *Liv. l. 2. c. 41.* Sic cui ignotum, Brutum & Manlium in filios secures expediisse. Hunc magno exemplo & salubri disciplinam militarem sanxisse seniores agnovere; etsi juventus, facilis specioso delicto ignoscere, *& tunc, & omni vita aversata eum exsecrataq;* sit; *Liv. l. 8. c. 12. Unde ap. Maronem Æn. VI. v. 822.* per *minores* commodius intelligi posse judicaverim juniores, quibus in parem ætatem prona misericordia, quam posteros. Nam passim id exemplum à Romanis scriptoribus ostentari videmus, quod pro patria omnes domestici adfectus sint vincendi. Circa Bruti autem factum illa quoq; examinanda veniunt; an Tarquinius jure fuerit regno exutus? an, si ponamus injuste ejectum, postquam maxima pars civitatis in recens imperium consenserat, paucis quibusdam civibus licuerit clam reducere regem, jam exilio efferatum? An, si hoc forte aliis licuisset, Bruti filii sese non peculiariter abs talibus consiliis removere debuerint, quod manifestum esset,

Tarqui-

quinium reductum ab ipsorum patre sæviendi
picia facturum? Matrem tamen Pausaniæ ne-
credo reprehendendam judicasset, si vel ma-
e ipsa lapidem, claudendo filio, non attulisset.
quo est ap. *Cornel. Nep.* De cætero quin fas
riæ caritati liberorum præponderare debeat,
ıd sapientes dubium non habet. Illustre exen:-
ım vide ap. *Buchananum rer. Scotic. l. IX. p.*
288. 289. Add. de Catharina Sforza *Boccalin.*
nt. 1. relat. 35. quicum conf. *Guicciardinus hist.*
V. p. m. 126. in annot. Quæ de liberis diximus,
fere ad uxores adplicari possunt. De fratri-
ıs minus est difficultatis. Sane enim si frater
itium Reip. machinetur, nec ea res per alium
dicem emanare queat, vix dubitare licet, quin
servandam patriam ejus delator esse possis; præ-
rtim postquam pro viribus eum ad sanam men-
em reducere conatus fuisti. Alius tamen po-
ius, quam ipse, quantumvis nocenti manus in-
erat. Unde ex parum composito animo videtur
rofecta illa vox Q. Metelli, qui *Consul fratrem*
suum, quamvis duntaxat *patruelem, incipientem*
atque conantem furere, sua se manu interfectu-
rum, audiente Senatu, dixit, uti refert *Cicero pro*
Cælio. De Timoleonte, qui fratrem Timopha-
nem tyrannum sustulit, notissimum est ex *Cor-*
nel. Nep. & *Plutarcho.* Add. *Diodorus Siculus l.*
XVI. c. 66. Id factum plerisque præclarissimum
fuit visum. Alii ex invidia, aut quod a populari
statu essent alieni, pietatem ab ipso læsam fere-
bant. Certe mater nunquam sine detestatione
fratri-

fratricidii & impietatis ipsum compellavit. Postea cum Siculis auxilia contra Dionysium laturus Corintho abiret, hac cum admonitione fuit dimissus; strenuum sese ducem exhiberet; hoc enim si fecerit, cives suos judicaturos, tyrannum ipsum occidisse; sin minus, fratrem. Equidem *Grotius l. 1. c. 4. §. 18,* Inter alios casus, quibus invasorem imperii, antequam possessione aut pacto jus nactus sit, interficere liceat, etiam hunc ponit, *si ante invasionem lex publica extiterit, quæ unicuique potestatem faciat occidendi eum, qui hoc aut illud; quod in adspectum cadit, ausus fuerit.* Quales leges in multis Græciæ civitatibus extabant. Sed an Corinthi etiam mihi nondum liquet. Illud enim *Corn. Nepotis* de hoc ipso Timoleonte, *patriæ legibus obtemperare satius duxit, quam imperare patriæ:* non ita videtur explicandum, quasi is voluerit obsequi legi de tyranno cædendo; sed quod maluerit civem agere legibus subjectum, quam tyrannidis socium, abs metu legum immunem. Quicquid tamen hujus sit, illud bene observandum, leges de tyrannicidis proprie non habuisse vim præceptorum, quæ quilibet civis occasione data exsequi teneretur. Alias enim transgressores legum judicandi, pœnaque afficiendi fuissent, qui tyrannum occasione data occidere omisissent; uti colligit *Plut. de Fato. p. m. 571.* Add. *Idem Poplicola p. m. 103.* Sed fuit in istis legibus, seu quocunque nomine vocare placet, in respectu singulorum civium, instar incitamenti efficacis ad exercendum in patriæ usum eximiæ fortitudi-

nis

ıctum, & qui ex communi obligatione erga
atem non videretur requiri. Cur enim alias
a præmia tyrannicidis decrevissent, nî hanc
iliárem credidissent materiam de patria supra
mune debitum bene merendi? Quæri igitur
erat, an non respectus fraterni sangvinis retra-
ipsum debuisset, ne extraordinarium illud de-
peteret, ad quod non imperio patriæ, sed per
mia tantum singularia vocabatur? Sane etiam
necessitas adfuerit, abs tali exsecutione natu-
s affectus abhorret. Tutissimum igitur fuerit
re, uti nefarii fratris conatus in patriam non
t adjuvandi; ita fraterna necessitudo hoc re-
rit, ut omnis admoveatur Svadæ vis, quo is
ejusmodi consiliis deducatur; præmia tamen
tanti non sunt æstimanda, ut quis ea ex cæde
terna petere velit; præsertim cum ipsi com-
dior præ cæteris occasio ad eædem patrandam
aliter quam cum perfidia possit quæri.

§. 35. Restat ut videamus, an & quatenus
ligatio adversus patriam possit tolli? Promanat
a obligatio ex duobus potissimum fontibus,
mpe ex subjectione, qua ut cives eidem fidem
dimus, & ex peculiaribus beneficiis. Nam quod
triæ favere debemus ideo, quia nostros quoq;
opinquos continet, is favor durat, etiam post-
uam aliò migravimus; ut tamen arctioribus,
uæ nos stringunt, obligationibus ille cedat. Pri-
s vinculum tollitur, si vel sponte quis, permit-
ente patria, in aliam civitatem concedat, sedem
bi fortunarum fixurus, vel invitus patria ejicia-

D tur

tur ob delictum aut per vim hostilem. Circa spontaneam migrationem id inprimis dispiciendum qua ratione aliquis ab initio in civitatem sit receptus. Quidam enim justo bello victi, aut extrem necessitate adacti in civitatis alicujus ditionen concedunt; qui quanta libertate gaudeant, e legibus deditionis est cognoscendum. At si qu liber homo, qui vel nullius imperio ante subj ctus fuit, uti prisci illi patresfamilias, vel eo, qu antea tenebatur, jam solutus, sponte sese alicui c vitati adjunxerit; itidem ex statutis ejus civitat erit judicandum, quidnam circa migrationem l bertatis ipsi sit relictum. Dantur enim civitate ex quibus citra expressum earundem consensum migrare non licet. Alicubi certo onere ea licen tia redimenda, puta summa aliqua pecuniæ, a certa bonorum portione. Cum autem, qui se c vitati subjicit, simul quoque se ad observan illius statuta adstringat; certum est, migrare v lentem heic quoque observare debere, quod stat tis civitatis præscribitur. Ubi autem circa e rem nullæ extiterint leges, quid liceat, intellig tur ex consvetudine, aut ex natura subjectior civilis colligendum. Quæ consvetudo admitt eorum licentiam sibi quilibet civis stipulatus cer setur. Si neque hæc prælucet, & in subjection pacto in neutram partem ea de re mentio sit fact magis est, ut licentiam pro arbitrio migrandi l ber sibi homo reservasse intelligatur. Qui enir civitati se adjungit, ille neque cura sui ac rerun suarum, neque penitus libertate se sua abdica se

potius id ſpectat, ut & illa firmo ſubſidio ful-
ur, & hac eo ſecurius frui queat. Cui tamen
neceſſum eſt,ut utramque ad normam publici
us attemperet. Id autem ſæpe contingit, ut
licum regimen privatis alicujus rationibus
um expediat,aut alibi commodius iisdem que-
roſpici. Heic cum id poſtulari nequeat, ut ad
us aut paucorum lubitum Reſp. reformetur,
ximum erit,ut ipſis ſit conceſſum per migra-
nem rebus ſuis conſulere. Alios ad ſedem mu-
dam adigit prava Reip. adminiſtratio, quando
nmi vis imperii magis in bonorum oppreſſio-
, quam eorundem ſublevatione ſeſe oſten-
. Aliis ut dotes animi exſerant patria cam-
m non præbet. Alii experiuntur illud,
εἰς προφήτης δεκτὸς ἐν τῇ πατρίδι αὐτοῦ.
licet livore tument ignavi oculi, cum virtute
ra ſe evectos ſentiunt, quos quondam in æquo
lerunt. Talibus licentiam migrandi denegare
lle,idem foret,atque liberis hominibus impera-
,ut ſupra parentum ſuorum conditionem nun-
iam adſpirare audeant. Sed & ipſæ civitates ex
ic migrandi licentia commodum ſentire poſ-
nt, adſcitis aliunde egregiis viris. Inde etiam
icitur in *l. 12. §. 9. ff. de capt. & poſtlim.* *De ſua
vitate cuique conſtituendi facultas libera eſt. Ci-
ero pro Balbo: Jure noſtro neq; mutare civita-
em quisquam invitus poteſt, neque ſi velit, muta-
e non poteſt, modo adſciſcatur ab ea civitate, cu-
us eſſe ſe civitatis velit.* Et mox: *Multi etiam ſu-
eriore memoria cives Romani ſua voluntate in-*

 demna-

demnati & incolumes, his rebus relictis, alias se in civitates contulerunt. Et ex omnibus civitatibus via est in nostram, nostrisq; civibus patet iter ad cæteras civitates. Idque jus amplissimis verbis extollit: *O jura præclara*, inquit, *atque divinitus jam inde à principio Romani nominis à majoribus nostris comparata, ne quis invitus civitate mutetur, neve in civitate maneat invitus. Hæc sunt enim fundamenta firmissima nostræ libertatis, sui quemq; juris & retinendi & dimittendi esse dominum.* Neque huc facit *l. 22. §. 2. ff. ad municip. & l. 1. C. de municip.* ubi dicitur, domicilium quidem transferre licere; sed non eo minus, qui transtulerat, municipii sui muneribus obligari. Nam uti *Grotius* respondet *l. 2. cap. 5. §. 24.* in quos id constitutum erat, ii manebant intra fines imperii Romani, & ea ipsa constitutio specialem spectabat utilitatem tributariæ præstationis cæterorumque munerum, ne in iis semel descriptis confusio oriretur. Neq; alio trahenda est *l. 4. C. de mun. & l. §. 11. d. t.* Nobis autem sermo est de liberis hominibus, qui ex una civitate in aliam migrare instituunt; non qui domicilium ex una parte ejusdem civitatis in aliam transferunt. Neque obstat quod patresfamilias, qui initio civitatem constitutum iverunt, pacto intelligantur singuli singulos obstrinxisse, quod ipsi suas vires in commune velint conjungere. Nam etiam aliis societatibus renunciare potest socius, si id fiat citra dolum malum, non intempestive & in fraudem cæterorum, præsertim si ad certum tempus societas non sit contracta.

§. 36. Ita

§. 36. Iſta tamen migraturo ex debito aut decoro obſervanda ſunt, ut, cum civitatis plerumque interſit noſſe civium numerum, indicet de ſuo diſceſſu. Niſi forte certis ex argumentis colligat, civitatis nihil intereſſe, gnara ipſa an inſcia quis diſcedat. Illis autem omnino expreſſo civitatis conſenſu opus eſt, qui ad peculiare munus, præſertim ad certum tempus, ſeſe obſtrinxere; puta qui legationem obeunt, qui in expeditione verſantur, aut alio in munere, quod ex ſingulari pacto fuit ſuſceptum. Sed & tempeſtive debet fieri diſceſſus, & quando civitatis non peculiariter intereſt, ne is fiat. Quam in rem hæc exempla adfert *Grotius* l.d. *Si magnum ſit contractum æs alienum, niſi paratus ſit civis in præſens partem ſuam exſolvere. Item ſi fiducia multitudinis aut virtutis certorum civium bellum ſit ſuſceptum, præſertim ſi obſidio immineat; niſi paratus ſit civis ille alium æque idoneum ſubſtituere, qui Remp. defendat.* Nec bonos cives dixeris, in quos adplicari queat illud *Horatii l. 1. od. 35. diffugiunt cadis Cum fæce ſiccatis amici Ferre jugum pariter doloſi.* Id fortaſſe ſupervacuum fuerit monere, reverentiam adverſus patriam in diſceſſu & poſt conſervandam, ſi vel maxime alibi lautior fortuna videatur allubeſcere. Improbum merito & nequam dixeris filium, qui ſtatim atque poteſtate patris exierit, obliviſcitur, illum patrem fuiſſe. Sic nec eum laudaveris, qui alibi pinguiori inhians conditioni, criſtas erigit, & patriam, antiquosque benefactores alto deſpicere

ſupercilio incipit. Quin potius ad amicitiam invicem colendam aliquod momentum habeat, eandem olim patriam, atque originem agnoſcere. *Quibus idem Dardanus autor unam faciemus utramq; Trojam animis; maneat noſtros ea cura nepotes. Virg. Æn. 3.* Sic & ad conſervandam antiquæ patriæ memoriam Helenus *Parvam Trojam, ſimulataq; magnis Pergama & arentem Xanthi cognomine rivum* conſtituiſſe dicitur. l. d. & in cæteris coloniis frequentatum, loca inſigniora metropoleos imitari. Plauſibilis quoque eſt gratulatio Romanorum & Ilienſium ap. *Juſtin. l. 31. c. 8.* Etſi hoc prope ridiculum ſit, eosdem Romanos hanc potiſſimum cauſam allegare, quare Acarnanum patrocinium ſuſcipiant, quod hi quondam adverſus Trojanos auxilia Græcis non miſerint. Quo de negotio vid. *Strab. l. X.* & *Juſtin. l. 28. c. 1.* Id autem probe obſervandum, vocabulum *migrandi* ita heic accipi, ut quis alicujus civitatis fines & territorium excedat; non ut imperio civitatis in ſe renunciare velit, & nihilominus intra ejusdem territorium domicilium habere. Quæ enim certis finibus ditionem ſuam circumſcripſit civitas, cenſetur ſimul prohibere, ne quis ipſa invita domicilium ibi figat, qui ipſius imperium nolit agnoſcere. Ex hactenus dictis etiam colligi poteſt, quam efficaciam habeant mandata avocatoria, queis indigenas ab exterorum miniſteriis abſtrahere vult civitas. Scilicet ſi ex civitate, in qua promiſcue jus emigrandi uſurpatur, aliquis nullo peculiari vinculo adſtri-

ctus,

ctus, in aliam civitatem fortunarum sedem transtulerit, in eum nihil amplius juris habet antiqua civitas; adeoque nihil agit, si vel maxime dispendium famæ non parituris minitetur. Add. *Plutarch. Solone. p. m. 91. 92.* Ast in illum adhuc civitati jus manet, qui vel contra leges civitatis migravit, vel peculiari vinculo fuit obstrictus, vel bona adhuc præsertim immobilia sub ipsius ditione possidet.

§. 37. Gregatim tamen non posse discedi *Grotius* asserit l.d. ex ea ratione, quia hoc concesso civilis societas non possit subsistere. In moralibus autem necessarium judicari, citra quod finis aliquis non potest obtineri; & fieri non posse, quod eundem intercipit aut destruit. Non tamen omni dubio hæc sententia caret. Si enim singulis licet pro arbitrio migrare, cur non idem liceat pluribus, quibus sedem fortunarum eodem tempore transferre commodum est; modo nihil eorum, quæ supra monuimus, obstet? Nec ad rem facit, quod hoc modo civitas debilitetur. Nam qui jus non habet me invitum retinendi, illi non fit injuria, si futurum aliquod commodum, nondum debitum, illi intercipiatur. Neque vero necessarium est, ut hæc civitts tot myriadas civium habeat, aut vicinis semper sit formidanda: non magis, quam ut hic vel ille privatus tot millia possideat; quorum utrique tamen per media illicita nihil subtrahendum. Unde etiam *Grotii* argumento parum inesse roboris videtur. Licet enim hæc vel illa civitas per migrationem civi-

um gregatim factam insigniter debilitetur, aut demum penitus destruatur: non tamen ideo societas civilis inter homines penitus tollitur. Sed unius corruptio alterius est generatio; unius decrementa alteri incremento cedunt. Natura quippe civiles esse societates in genere humano jam multiplicato voluit; sed ut hæc vel illa civitas perpetuo subsisteret, nusquam jussit. Id tamen, quod de singulis diximus, etiam heic est observandum, ut, qui gregatim discedere volunt, extra territorium civitatis abeant. Nam quæ esset confusio omnium imperiorum, si licuerit integris urbibus pro lubitu à civitatis suæ imperio sese subtrahere, & aut alteri se subjicere, aut peculiarem deinceps Remp. constituere?

§. 38. At non citra infamiam quis invitam patriam deserit, si vel expressæ extiterint leges, venia non impetrata migrare prohibentes, vel peculiari is vinculo teneatur. Uti faciunt transfugæ; item qui dum legationem obeunt; aut alio publico munere circa arcana Reip. occupato funguntur, insalutata civitate ad alios transeunt, eos cumprimis, quibuscum civitati controversia est. Iidem ubi forte pœnitentia ducti post datam fidem illi civitati, ad quam confugerunt, antiquam patriam repetere velint, itidem honestæ migrationis leges observare necessum habent, alias non minori scelere redituri, quam aufugerant. Difficilior est quæstio de his, qui transfugas sese simulant, ut hac ratione grave damnum illis concilient, ad quos aufugiunt, in usum suæ civitatis;

num

num probanda ſit ejusmodi opera patriæ præſtita? Equidem imprudentiæ notam non effugiunt, qui ejusmodi hominibus temere fidem adhibent. Nec valde reprehendas illos,qui proditoribus poſt præſtitam operam dignum impoſuere ſupplicium. vid. *Vopiſcum Aureliano cap. 23.* Nequaquam tamen alterum honeſte poſſum fallere ideo tantum, quia inſidiis meis ſeſe facilem præbet. Nec debere aliquem ſuo ſcelere patriæ inſervire, ſupra adſtruximus. Quin autem ſcelus ſit, fidem dare, ut ea violata occaſionem gravius nocendi nanciſcare,extra dubium eſt. Et execranda ſemper bonis viſa eſt vox Lyſandri ſive Philippi, *pueros talis fallendos, viros jurejurando. V. Ælian. V. H. l. 7. c. 12.* Si igitur expreſſe ejusmodi transfuga fidem dederit, ſine ſcelere non poterit eam violare, ut iis, quos deſeruit ſerio aut ſimulate, utile aliquod officium exhibeat. Quod ſi autem aliquis regerat; cum is, ad quem transfuga ſe contulit, noſſet, hunc ipſi ſine ſcelere non poſſe operam aliquam præſtare, neque ad ſcelus patrandum aliquem ſe valide potuiſſe obligare; adeoque fidem à transfuga datam eſſe nullam; ergo ipſi non fieri injuriam,ſi,dum rei inani confidit, deceptus fuit. Heic non opus eſt,ut inquiramus,peccet aliquis opera transfugarum utendo, an non. Non enim ſequitur; ego utendo alicujus opera pecco; ergo ille eo ipſo jus habet mihi noxam inferendi. Uti non ſequitur; qui ſicarium conducit ad alterum confodiendum, non minus quam ipſe ſicarius peccat: ergo ſicarius in conductorem ſuum recte ferrum

vertere poteſt. Etſi communis ſit ſententia, quod *transfugam jure belli recipiamus.* Uti eſt in *l. 51. ff. de adq. rer. dom.* i. e. quod contra jus belli non ſit eum admittere, qui deſertis hoſtium partibus noſtras eligit; uti illam legem explicant *Cujacius 4. O. 9. & Grot. l. 3. c. 22.* Quod tamen an de externo belli jure, quod *Grotio* vocatur, an de interno, quod ad legem naturæ examuſſim congruit, ſit capiendum, non immerito dubites. Sane ſi quis plenam licentiam adhibendi operam transfugarũ defendere velit, putaverim ipſum non tam hoc argumento niti debere, quod etiam Deus diaboli & impiorum parata opera utatur; quam favore juſtorum armorum, quæ geruntur repellendis alterius injuriis, aut conſequendo juri noſtro. Ob quem favorem non videtur juſto bellatori curioſe inquirendum, utrum illi, qui hoſtilem ſtatum adverſus ipſum exuerunt, honeſtis an inhoneſtis cauſis fuerint moti. Adeoque cum præſumere poſſit, juſtis de cauſis eos priores partes deſeruiſſe, tanquam ex adprobatione injuſti transfugii reatum non contrahet. Quicquid tamen hujus ſit, id in aprico eſt, nefas eſſe fidem inter inſtrumenta fallendi diſponere. Deinde fidem ejuſmodi transfugæ, qui citra juſtam cauſam partes ſe ſuas deſeruiſſe fert, inanem eſſe, utpote, quæ tendit ad ſcelus faciendum; adeoque valde imperitum eſſe, qui in iſta aliquid fiduciæ collocat. Inde plerumque transfugæ, qui aliquo numero eſſe cupiunt apud receptatores ſuos, quivé nocendi occaſionem ſimulatione transfugii aucupantur, præ ſe ferunt,

into-

intolerandis se injuriis adactos, ut hac ratione saluti suæ consultum irent. Sic quis ignorat, qua ratione sibi Zopyrus apud Babylonios, Sext. Tarquinius apud Gabinos fidem conciliaverit. Sic qui M. Crassum in patentia camporum traxit, Mezeras Syrus ut *Floro* vocatur, aut Abarus Arabs, uti *Appiano*, aut Ariamnes, uti *Plutarcho*, Pompeji in se benevolentiam & beneficia extollendo, de studio suo in Romanas partes infelici fidem fecit. *Maro* quam graphice describit astum Sinonis, ut ab imprudentiæ labe Trojanos purget; Fingit iste se invisum fuisse Ulyssi, de quo nulla non fraus credi poterat, & cujus odium commendationis instar apud Trojanos habebat. Odii causam arcessit à nece Palamedis, ideo occisi, *quia bella vetabat.* Se aris destinatum dicit non oraculo deorum, ne videretur se victimam pro salute civium voluisse subtrahere, sed mendacio Calchantis, ab Ulysse subornati, & temerariā cæterorum adprobatione. Quæ utique tam atrox sit injuria, ut recte dicere possit; *patria teneor neque legibus ullis.* Et tamen veterator deos & omnia sacra prius testatur, ut *fas sibi sit odisse viros*, jam quidem injuste infensos, quondam tamen cives. Nec id tamen plene iisdem persvasit, priusquam ostento dicta ejusdem firmata viderentur. Sub transfugarum autem numero non veniunt, qui tecte ad hostes abeunt, quo improvisam aliquam cladem ipsis inferant, neque fidem dant, quod ipsorum partes sint secuturi. Neque censendi sunt tacite fidem dedisse, quod nihil inimici sint tentaturi in statum

hostium, eo ipso, quia intra præsidia hostium versantur. Ejusmodi enim tacita fides præsumitur de eo, qui ad alterum venit pacis, non qui belli tempore.

§. 39. Porro cum supra dictum sit, posse liberum civem pro arbitrio civitate demigrare, quæritur jam; an non civitas ex adverso pro suo arbitrio civem possit expellere invitum, nullo antegresso delicto? Equidem *Ciceronem* audivimus inter fundamenta libertatis ponere, *ne quis invitus civitate mutetur*. An ergo heic deterior conditio civitatis, quam singulorum civium? Sed ratio hujus discriminis facile adparet. Qui enim in civitatem aliquam concedit, utique omnes suas rationes, saltem in præsens, eidem velut illigat, quas turbari aut everti necessum foret, si quolibet tempore posset expelli. Quod cum sit summe odiosum, inde civis hoc quoque abs civitate velut stipulari intelligitur, ne invitus præter meritum posset ejici. Sed contra civitas fortunas suas & incolumitatem uni alterivé vulgari civi non superstruit, adeoque nihil aut parum ipsius interest, si is pro arbitrio demigret. Si enim in aliquo eximio cive magnam collocarit fiduciam civitas, solet eundem peculiaribus insuper pactis adstringere, ne pro lubitu discedere amplius possit. Nec invidendum est, plusculum heic licere civi, quam civitati. Nam ubi ille ad arbitrium civitatis sese non composuerit, facile potest in ordinem redigi. Civi autem, si Reip. administratio displicuerit, nihil aliud relictum, quam patientia aut emigratio. Solet nihilo-

hilominus à civitatibus usurpari medium minus odiosum amoliendi cives suspectos, aut supervacuos & multitudine prægraves, quo cæteris laxior locus fiat; ut nempe eos in colonias describant. Etsi plerunque volentibus hoc fit, dum lautiorem conditionem in coloniis sperant, qui domi cum inopia conflictabantur; aut ipsi ex oculis civitatis, cui invisi sunt, sese subtrahi gaudent. De more autem illo multis barbaris atque Græcis recepto juventutem Deo cuipiam sacram emittendi ad quærendas novas sedes, luculenter tradit *Dionys. Halicarn. l. 1.* Scilicet quando exuberante vulgi multitudine, aut ob sterilitatem, civitas alendæ turbæ non sufficeret, aut alium ob causum minuendus civium numerus, Deo cuipiam sacrantes annuam hominum progeniem ex finibus suis emittebant, armis instructos. Hi migrantes, patria in posterum carituri, nisi aliam, quæ se reciperet, pararent; quam vel gratia vel armis quæsissent eam patriæ loco habebant. Creditumque est, Deum, cui dicabantur, taliter emissorum colonias supra hominum opinionem fortunare. *Idem l. 2.* tradit Aborigines fuisse talem juventutem diis consecratam more patrio, ad quærendas sedes, quascunque fortuna obtulisset, à parentibus missam. Sic *Plin. l. 3. c. 13.* Picentes ortos dicit *à Sabinis, voto vere sacro.* Et *Strabo l. V.* Samnites simili ratione à Sabinis ortos memorat. Adde *Justin. l. 24. c. 4.* & *Festum* in *ver sacrum*, & in *Mamertini.* Et *Livium l. 34. c. 44.* ubi tradit, pontifices respondisse, *ver sacrum* (quale quidem Romani vovere

 solebant)

solebant) *viderî pecus, quod natum esset inter Cal. Martias, & pridie Calendas Majas.* Quomodo Lydus & Tyrrhenus, urgente frugum sterilitate, sortiti sint, uter cum parte multitudinis patria decederet, vide *Vellejum l. 1. c. 1.* & *Strab. l. 5.* Possunt autem & solent coloniæ diversomodo deduci. Vel enim manent pars civitatis, unde emittuntur: vel civitati matrici reverentiam exhibere, ejusque majestatem comiter conservare deinceps tenentur, adeoque velut inæquali fœdere junguntur; vel denique pari deinceps jure cum metropoli agunt.

§. 40. Invitus obligatione erga patriam solvitur, qui ob crimen verum aut per calumniam intentatum patria ejicitur. Dum enim civitas aliquem pro membro suo non amplius vult agnoscere, & finibus suis expellit, remittit ipsi obligationem, qua antea tanquam civis tenebatur. Quo ipso illi fit facultas ubicunque possit sedem sibi novam constituendi. Est autem in exilium ejici ob falsum crimen gravis injuria, ob verum, gravis pœna. Si enim vel maxime salva relinquantur bona, alio tamen ea transferri molestum est; nec minus acerbum à necessitudinibus abstrahi, & ignominiæ plenum, indignum fuisse judicatum, cui in civitate locus concederetur. Penitus enim effrontem esse oportet, in quem dici queat illud *Juvenal. sat. 1. Hic damnatus inani Judicio (quid enim salvis infamia nummis?) Exul ab octava Marius bibit, & fruitur dîs iratis.* Nec est quod moveat aliquem illud *Ciceronis pro Cæcina,*

cina: Exilium, non supplicium est, sed perfugium portusque supplicii. Nam qui volunt pœnam aliquam subterfugere, aut calamitatem, eò solum vertunt, hoc est, sedem ac locum mutant. Itaq; nulla in lege nostra reperietur, ut apud cæteras civitates, maleficium ullum exilio esse multatum. Sed cum homines vincla, neces, ignominiasq; vitant, quæ sunt legibus constitûta, confugiunt quasi ad aram in exilium. Qui si in civitate legis vim subire vellent, non prius civitatem quam vitam amitterent: quia nolunt, non adimitur his civitas, sed ab his relinquitur atq; deponitur. Scilicet est hoc ex peculiari ratione antiqui juris Romani, per quod invito non poterat civitas adimi. Quo minus autem à Magistratibus togatis civi capitalia supplicia injussu populi irrogarentur, leges Porciæ & Semproniæ prohibebant. Ne tamen delicta impunita manerent, & nihilominus nemo invitus civitate ejectus videretur, voluerunt credi, exilium sponte à civibus suscipi declinandæ pœnæ causâ. Apud *Salust. Catilin.* Cæsar. *aliæ leges condemnatis civibus non animam eripi, sed exilium permitti jubent.* Et iterum; *exilium damnatis permissum.* Necessitatem tamen soli vertendi satis innuebant, quando capitalium criminum damnatis aqua & igni interdicebant, seu ne iis intra ditionem populi Romani uterentur. Cæterum uti libera adhuc Rep. exulibus permissum erat pro libitu in quævis loca extra civitatem Romanam concedere; ita pòst sub Cæsaribus in exilii locum deportatio successit.

ſit. Cujus rei inter cæteras hæc quoque cauſa fuit, ne viri illi virtute aut opibus inſignes, quos per calumnias plerumque peſſum dabant Cæſares, ad hoſtes delati, vel ad ea loca, ubi exercitus Romani agebant, injurias ſuas ultum irent. Differebat autem deportatio ab exilio per aquæ & ignis interdictionem ſignificato, quod per hoc non ſolum jus civitatis amitteretur, ſed etiam quis penitus ditione Romana excluderetur, ita ut deinceps cujuscunque vellet Reip. civis fieri poſſet. In deportatione autem itidem jus civitatis Romanæ ſeu privilegia civium Romanorum amittebantur, ſed civitas Romana non omni ſe poteſtate in eos abdicabat, neque ditione ſua eos ejiciebat; ſed certo loco, plerumq; mari circumfluo, includebat. Mitior pœna erat relegatio, per quam jus civitatis non amittebatur; ſed tantum in certo loco neceſſarium quis domicilium habere jubebatur; aut certa Imperii Romani parte abſtinere. Quod poſterius quibus injunctum, proprie interdicti vocabantur. Sic *Ovid. l. V. Triſt. el. 11. relegatum* ſe tantum dicit, non *exulem*, neque *jus civis ſibi Cæſarem ademiſſe*. Latius hac de re interpretes juris Romani ſunt videndi ad *tit. de Interd. & releg.* & inprimis *Briſſon. ſelect. antiq. l. 3. c. 5. Anton. Matth. de Crimin. ad tit. de pœn. c. 1. §. 6. 10.* Id heic obiter quoque obſervandum, iſthæc vocabula interdum ab autoribus promiſcue ſumi. Apud *Tacit. A. III. 68. relegari in inſulam* ponitur pro *deportari*. *Plinio l. 7. ep. 19. Fannia relegata exul* dicitur. Apud *Sueton.*

ton. Cal. c. 28. exules vocantur, qui proprie *deportati* aut relegati. Et alibi passim.

§. 41. Alio modo civitatem non lubens quis mutat, quando vi hostili subactus alterius se imperio subjicit, tanquam civem & subditum, sive simul sedem mutet, sive non. Id quod non singulis modo civibus, saltem qui non alio quam communi civium vinculo tenentur, sed & integris urbibus, & provinciis licere, quando alia salutis expediendæ via non adparet, in confesso est. vid. *Grot. II. cap. 6. §. 5.* Ubi tamen observandum, si quis civis, vel coetus civium ita sese hosti dedat, ut simul sedem alio transferat, illos dici & civitatem & patriam mutare. Quod si autem v. g. aliqua urbs sese alterius ditioni & imperio dedat, ut in perpetuum à priore civitate divellatur, ejus incolæ civitatem quidem mutasse, non autem patriam proprie dici poterunt. Patria enim, quæ à patre denominatur, abs quo in liberos patrimonia & fortunæ solent devolvi, non obscure connotat sedem fortunarum, quæ sine certo & fixo loco intelligi nequit. Unde loco non mutato neque patria mutata dicitur. Civitas autem nostra est ille coetus, cujus summo imperio subjecti sumus; neque videtur respectum ad locum fixum involvere. Unde eadem civitas manet, etsi penitus in aliam sedem sese transtulerit. Sic *Phocaorum profugit exsecrata civitas. Agros atq; lares patrios habitandaq; fana Apris reliquit & rapacibus lupis. Horat. epod. 16.* qua de re vid. *Erasm. Chiliad.* in *Phocensium exsecratio.*

Heic

Heic ſane Phocenſes manebant in eadem civitate; recte tamen dici poterant mutaſſe patriam, quatenus notat ſedem ſeu locum fortunarum & ſolum natale, (nam hoc quoque ſæpiſſime in ejusmodi locutionibus ſimul innuitur.) Quod ſi autem aliquis captus detineatur apud hoſtes, aut eos, qui in exteros fœdere non junctos hoſtilia uſurpant, (uti multi quondam faciebant; vid. *l. 5. §. 2. ff. de capt. & poſtlim. Grot. III. c. 9. §. 18.*) ſive libertatem adhuc retineat, ſive amiſerit; is nondum patriam mutaſſe cenſendus eſt, quamdiu in eam revertendi animum habet, dummodo jure poſtliminii frui poſſit; etſi uſu patriæ interea carere cogitur. Ex quibus judicandum eſt de illo dicto Torquati ad captivos Cannenſes apud *Liv. l. 22. c. 60. Liberi atq; incolumes deſiderate patriam; imo deſiderate, dum patria eſt; dum cives ejus eſtis. Sero nunc deſideratis, diminuti capite, abalienati jure civium, ſervi Carthaginenſium facti.* De illa autem quæſtione, an & quatenus urgente neceſſitate pars civitatis alterius imperio tradi poſſit, vid. *Grot. III. c. 20. §. 5.* & *Bœcler. comment. ad Grot. p. 104. 116. 285.* Ubi tamen hoc addendum putaverim; ſi quæ civitas neceſſitate adacta quibusdam urbibus aut provinciis hoſti ceſſerit, (quæ quidem quondam ſponte civitati ſeſe adjunxerant,) illis ignaris aut invitis, ejus pacti hunc eſſe effectum, ut civitas omni qvidem ſuo juri in eas renunciet; nequaquam autem ut iisdem pro imperio injungat, civitati alteri ſeſe ſubdere. Adeoque debet quidem civitas

vitas præsidia, si quæ sunt, inde deducere; ut autem easdem invitas velit cogere alienum subire imperium, non videtur posse, ne quidem ex vi Dominii eminentis. Neque enim videtur imperio esse efficaciam in illum casum, quo idem expirat; & quæ ex vi dominii eminentis fiunt, in ea omnia, modo justo tempore exerceantur, populus consensisse intelligitur. Probabilissimum autem est, populum in hoc consensisse, ut urgente necessitate pars aliqua deseri possit, non autem ut alteri invita tradi; sed potius sibi relinqui, ut suæ saluti pro arbitrio consulat. Unde judicaverim, ejusmodi urbes & provincias, quibus civitas, ipsis invitis, hosti cessit, obligationi suæ nihil adversum facere, si novum illud imperium detrectent, modo commodiora inveniant media, quibus salutem suam defendere queant. Ast ubi semel ei, cui ceduntur, fidem dederint, nequidquam eandem post ullo obtentu exuere poterunt.

§. 42. Illa autem obligatio, qua quis tenetur patriæ ex lege gratitudinis ob accepta peculiaria beneficia, durat, etiam cum quis, ea relicta, in alia civitate consedit. Non tamen ita, ut præponderet obligationi adversus præsentem civitatem. Inde laudem quidem meretur Miltiades, quod etiam, postquam Chersonesi sedem collocaverat, Atheniensibus officia præstaret. Id tamen nequaquam probandum, quod Darium, cui sine dubio fidem dederat, ponte Istri resciffo, Scythis cædendum præbere vellet, ut hac ratione libertatem Græcorum in tuto poneret. Videtur tamen quibusdam,

dam, *Cornelium Nep.* non tam hoc laudare, quod Darium perdere voluerit, quam quod fuerit animo tam civili, ut mallet cæteros omnes libertate frui, quam se cum paucis dominari. Fallitur tamen *idem autor in Conone c. 5.* quando hujus factum pium & probandum vocat, quod Ioniam & Æoliam Atheniensibus restituere sit conatus, in fraudem regis, abs quo tanta acceperat beneficia, & cui ipse fide erat obstrictus. Neque hic affectus est laudandus, antiquæ patriæ opes velle augeri, cum damno novæ. Sed quid si contigerit, ut nova nostra patria cum antiqua bello implicetur, anne contra hanc arma feremus? Heic etsi honestum sit, tale ministerium deprecari, ac declinare, quantum per recentis patriæ obligationem licet; si tamen hujus nos jussa urgeant, eodem modo excusati erimus, atque illi, qui imperia publica exseqvuntur in iis, quos privatim amicos habent. *Facessere privatam amicitiam debere, cum mandata patriæ intercedant,* recte Popilius apud *Just. l. 34. c. 3.* Etsi austeritatem hominis in ea legatione obeunda nemo cordatus adprobaverit. Certe ipse *Livius l. 46. c. 11. Asperitatem animi & ingenii, acerbitatemq; violentam* in isto non obscure notat. Sic Timotheus adversus Jasonem tyrannum, hospitii jure junctum, & cujus insigne documentum benevolentiæ in ipsum extabat, jussu populi bellum gessit; *patria sanctiora, quam hospitii jura* ducens. *Corn. Nep. Timoth. c. 4.* Huc facit etiam illud Scipionis ad legatum Antiochi, captum filium sine pretio offerentem; *Pro tanto in me munere gratum*

tum me esse sentiet, si privatā gratiam pro privato beneficio desiderabit. Publice nec habebo quidquam ab illo, neque dabo. Liv. l. 37. c. 36. Id non minus eleganter expressum est apud *Justin. l. 31. c. 7. Privata beneficia à rebus publicis secrata esse; aliaq; esse patris officia, alia patriæ jura, quæ non liberis tantum, verum etiam vitæ ipsi præponantur. Proinde se gratum munus accipere, privatoque impendio munificentiæ regis responsurum. Quod ad bellum pacemq; attineat, nihil neq; gratiæ dari, neque de jure patriæ decidi posse.* Et potest etiam inter publicam hostilitatem antiquæ memoria amicitiæ, & acceptorum beneficiorum servari. Exemplum Ptolomæi vid. ap. *Justin. l. 15. c. 1.*

§. 43. Ut autem isthæc obligatio penitus extinguatur, vix aliter fieri posse videtur, quam si aut parem patriæ retulerimus gratiam, aut ab eadem graves injurias acceperimus. Hæ enim velut per compensationem gratiæ referendæ necessitatem tollunt. *Senec. l. 6. de benef. c. 4. 5. Dedisti beneficium; injuriam postea fecisti: & beneficio gratia debetur, & injuriæ ultio. Nec ego tibi gratiam debeo, nec tu mihi pœnam: alter ab altero absolvitur. Non abstulisti beneficium, sed opponendo illi parem injuriam solvisti me debito: & si plus læsisti, quam ante profueras, non tantum gratia extinguitur, sed ulciscendi querendiq; libertas fit, ubi in comparatione beneficii præponderarit injuria.* Quo in dicto tamen non est ad palatum, *injuria debetur* ultio; & *pœnam isti debeo*; mollius enim est id, *ulciscendi libertas fit*. Sed nec-

nec illud ad patriam temere adplicandum putaverim. Sane enim tantum est in nomine patriæ venerationis, ut quantiscunque nos injuriis affecerit, ad concoquendum tamen dolorem nostrum multum valere debet cogitasse; patria fuit. Vix ullibi generosius ira reprimitur. Non compositi solum, sed & magni animi est, *nefas ducere patriæ irasci,* non solum quamdiu adhuc patria est, sed etiam quando desiit. Digna lectu sunt, quæ de Africano majore, quem invidia civium ex conspectu urbis facessere subigebat, habet *Valer. Max. l. 5. c. 3.* & *Seneca ep. 86.* etsi hic sequius de isto facto videatur judicare, *lib. 2. de Brevit. Vit. c. 17.* Adde *Livium l. 38, c. 52. seqq.* & *Plutarch.* in ejus vita. Qua ratione Themistocles à plerisque credatur declinasse necessitatem ab ingrata patria vindictam sumendi, ex *Cornel. Nep.* notissimum est.

DE REBUS GESTIS PHILIPPI AMYNTÆ F.

§. I.

Quantum in uno homine sit momenti ad conciliandam integris civitatibus claritudinem, vel solum Philippi Amyntæ F. Macedonum regis exemplum docere potest. Ante illum enim regem quid gente Macedonum obscurius? A Dario *mittitur cum parte copiarum Megabazus ad subigendam Thraciam, cæteraq; ejus tractus regna: quibus pro igno-*

bili

bili momento erat accessura Macedonia. ap. *Justin. l. 7. c. 3.* Cumque ejusdem legati in convivio fuissent interfecti, *ipse dedignatur ire* adversus Macedones, *ne dehonestaretur prælio tam fœdæ gentis. Demosthenes* non uno in loco exprobrat Macedonibus, quod antea Atheniensium fuerint vectigales, *orat. ad Philipp. epist.* & indignum ipsi videtur cum Atheniensibus judicio velle experiri Pellæ oriundum, *orat. de Haloneso*, χωρίῳ ἀδόξῳ καὶ μικρῷ, *orat. de coron.* Nam quod eadem & *maxima & illustris* dicitur *Pomponio Melæ*, l. 2. c. 3. id nimirum *alumni efficiunt, Philippus Græciæ domitor, Alexander etiam Asiæ.* Unde & hoc quoque adparet, quare *Juvenal.* sat. X. ambitionem Alexandri, cui unus non sufficiebat orbis, taxaturus ipsum potissimum vocet *Pellæum Juvenem.* Quam contumeliosum est, quod *Demosthenes Olynth.* 3. dicit, Philippum non Græcum esse, neque Græcis ullo modo conjunctum, sed nec inter barbaros honesto loco natum, verum perditum Macedonem, ὅθεν οὐδ' ἀνδράποδον σπουδαῖον οὐδὲν ἦν πρότερον πρίασθαι. Enimvero auspiciis Philippi obscuritate sua extracta ista gens gloriosam Græciam fregit, & mox sub ipsius filio superbum Asiæ regnatorem evertit. Ad prius efficiendum quibus artibus, quove fortunæ subsidio usus fuerit Philippus, paucis dispicere est animus.

§. 2. Ante omnia autem oportebit considerare vires atque statum Macedoniæ, ut liquido possit judi-

judicari, quidnam huc regnum contulerit, quidque rex. Situm regionis describunt *Plinius l. 4. c. 10. Solinus c. 15. Strabo l. 8. Pomp. Mela l. 2. c. 3. Ptolomaus Geogr. l. c. 13.* & ex recentioribus *Ubbo Emmius de Vet. Græc. l. 5. Brietius parall. geogr. Part. 2. l. 3. c. 2.* Amplitudo regni ante Philippum regem modica; hic enim non exiguum terræ spatium nomini Macedonico inseruit. Oppidis sic satis frequens, sed ignobilibus. Nec fertilitate insignis, nec sterilitate famosa. Subterraneas opes Philippus fere eruere docuerat. Incolarum numerus non supra terrarum spacia. Ingenia gentis non tam artibus pacis idonea, quam bello prona. Innuit hoc inter cætera lex illa, quæ refertur ab *Aristotel. polit. 7. c. 2.* qua quondam cingi capistro jubebatur, qui nullum hostem interfecisset. Sed quantumvis bellicosæ nationes in prædam patent, nisi usu armorum duratæ, & sub egregiis ducibus sint compositæ. Eximius civium in reges suos amor; quo magna principum ausa nimium quantum sublevantur. Vicini Thessali, Epirotæ, Illyrii, Thraces & reliqui Istro prætexti populi, validi & rapto vivere gaudentes, Atheniensium quoque ad illas usque oras pertingens potentia, parum quietis Macedoniæ indulgebant, & incrementis ipsius hactenus valde obstiterant, ut satis haberet sua utcunque defendere. In universum igitur si æstimemus vires regni, adparebit eas infra mediocritatem stetisse, & non nisi ἐν προσθήκης μέρει quidquam valuisse *Demost. Olynth. 2.* Indicio est, quod Amyntas nostri pater Illyriis tributa pendere, si-

re, filiumque obsidem tradere sit coactus. *Diodor. Sicul. l. 16. c. 2.* Cujus filius Perdiccas ab iisdem magna clade ita fuit debilitatus, ut Pæones quoque per contemtum Macedoniam populari non dubitarent. Accedebat, quod scelere Eurydices, quæ opera Ptolomæi Aloritæ Alexandrum, & post Perdiccam filios suos, Philippi fratres sustulerat, regni vires haut parum fuerint convulsæ. Quid majorum suorum famæ aut rebus gestis acceptum referat noster, strictim percenset *Justinus l. 7.*

§. 3. Consequens est, ut inquiramus, quæ forma regiminis in Macedonia fuerit. Id eo curatius faciemus, quod a viris doctissimis inter regnum plenum seu παμβασιλείαν, & regnum aliquod Laconicum, qui merus est principatus, velut intermedia quædam species statuatur regnum Macedonicum. vid. *l. 1. de J. B. P. c. 3. §. 20.* Ad eam rem solide intelligendam non abs re fuerit prius excussisse vexatissimam quæstionem de mixtura simplicium formarum Reip. an scil. detur distincta species Reip. ex mixtione formarum simplicium resultans? Cui proximum erit subnectere, qvidnam sit princeps absolutus, & quomodo principum potestas per capitulationes & leges fundamentales circumscribatur. Ac circa mixtas quidem formas magna inter eruditos est dissensio. Propugnant easdem maximæ autoritatis viri non minus inter antiquos, quam recentiores. His contradicere inter alios non dubitavit *Bodinus l. 2. c. 1. de Rep.* cui succenturiatur *Hobbes de cive c. 6. §. 4.* Nobis etsi haudquidquam cordi sit *probatos autores*

res insultare, aut *No*v*itios* quosdam *adorare Deos*: nemini tamen sano atque probo dividiæ erit, si ad illorum nos adjungamus partes, qui solidioribus heic pugnare videntur rationibus. Ut autem recte in hac quæstione procedamus, observandum est (1.) Nos quærere de forma accidentali civitatis in genere consideratæ i. e. ejusmodi cœtus, qui una voluntate regatur: cujus voluntatis unitas apta sit conservare internam inter membra civitatis concordiam, ac producere finem, ob quem societates civiles sunt institutæ. Quemadmodum autem in corporibus naturalibus plurima occurrunt male sana, nonnulla penitus monstrosa; ita dantur in moralibus corpora morbida, dantur etiam monstra. Enimvero ut in physicis morbus non mutat speciem; ita si in aliqua civitate vitia quædam circa administrationem imperii occurrant, non statim inde resultat nova Reip. species. Licet etiam contingere queat, ut interdum v. g. homo nascatur biceps, aut infantes gemelli corporibus junctis; non tamen propterea statim constituetur nova hominum divisio, ut alii dicantur unicipites & unicorpores, alii bicipites & bicorpores: eodem modo ex monstro morali non statim nova est species facienda. Inde non sequitur; in aliquo regno quorundam procerum potentia ita invaluit, ut rex tantum precario ipsis imperare videatur; E. datur forma reip. mixta ex monarchia & aristocratia. Non magis quam hoc; plebs alicubi in rebelliones est proclivis, & subinde per seditiones multa Regi extorquet; E. datur mixtura ex monarchia & democra-

mocratia. Sic male infertur; in aliqua civitate, regno everſo, priusquam de novo ſtatu introducendo recte conveniret, perpetua fuit contentio inter proceres & plebem circa ſummum imperium, utrisque illud ad ſe raptantibus; ergo datur mixtura ex ariſtocratia, & democratia.

§. 4. (2.) Eſt & hoc obſervandum, duo eſſe potiſſimum vincula, quibus plurium hominum voluntates connectuntur, ut in unum conſpirent; pactum, & imperium. Qui ſolo pacto continentur, eos jus quidem naturæ adſtringit, ut ſponte præſtent id, de quo fuit conventum. Quamdiu hoc utrinque fit, concordia & unio ſic ſatis inter ipſos poteſt ſubſiſtere. Aſt ubi quis dolo malo à pacto reſilierit, juris quidem naturalis violati eſt reus; cæteris autem, quorum intererat pactum iſtud ſervari, nihil ſupereſt, quo violatorem in ordinem redigant, præter violentiam bellicam; qua ſæpe non minus pollet, qui injuriam fecit, quam qui accepit. Sic inter æqualiter fœderatos concordia eſt, quamdiu quisque quod promiſit ſponte præſtat: ubi unius perfidia intervenerit, perit vinculum, & bello præbetur cauſa. Ex quo adparet, ſola pacta non eſſe vincula ſat valida, ſaltem ut plures in unum corpus morale diu colligentur; præſertim cum non ſemper pauciores & imbecilliores à pacto diſcedant in fraudem plurium & validiorum, ſed etiam plures in fraudem pauciorum. Et licet ponamus, principali pacto aliud fuiſſe adjectum, ut cæteri omnes violatorem pacti junctis viribus perſequantur; tamen, (præterquam quod

tres augusti indivisum imperium administrarunt, non ita in expedito est pronunciare. Sane duo aristocratiam constituere nequeunt. Cum enim uterque pari sit potestate instructus, (quod supponimus,) non nisi pacto isti possunt inter se connecti. Et nulla est ratio expediendi negotia, si istos dissentire contigerit, dum nemo adest, qui momentum alterutrius sententiæ possit addere. Et quamvis idem incommodum videatur comitari collegium, quod ex pari numero assessorum constat; non tamen ita frequenter eveniet, ut dissensione orta pares sint sententiæ; & facile est, ut inter plures unus in alteram partem trahatur. Aut si id fieri nequeat, proximum erit, ut illa sententia obtineat, quæ nihil innovandum, sed rem in antiquo statu relinquendam censet. Deinde nec ubi tres quidem Augusti simul imperium tenuerunt, videtur proprie loquendo aristocratia constituta. Non enim isti triumviri, aut tres Augusti in tale corpus aut collegium coaluerunt, in quo plurium suffragia de negotiis imperii statuerent, duoque consentientes possent tertium pro imperio adigere ad sequendam ipsorum sententiam. Quod si autem existat collegium, in quo plures nequeant ad sese trahere pauciores, illud vinculo potius nudi pacti, quam imperii videtur contineri. Ergo dicemus, summum imperium revera fuisse & radicaliter penes illum solum, qui alterum vel alteros sibi collegas adsumsit, etiamsi quod ad exteriora insignia iste hos sibi videretur exæquasse. Nec facile erat metuendum, aliquem

fore animo tam ingrato, ut illius voluntati reluctaretur, abs quo ad id fastigii erat profectus. Accedebat, quod ut plurimum adsciſceretur à parente filius, aut à ſocero gener, aut à fratre frater, ut ita cognationis quoque vinculo coërceretur alter, ne poteſtate data contra dantem abuteretur. Unde iſta collegæ adſumtio non erat diviſio ſummæ poteſtatis, ſed conſtitutio vicarii alicujus generalis ſimul ac ſucceſſoris, qui ſtatim ab alieno in partem curarum admitteretur, unaque cum ipſo res imperii adminiſtraret, inſignibus Auguſtalibus præfulgens. Quod ſi hæc alicui non ſatisfaciant, aut ad ſingula exempla nequeant adplicari, vix aliud reſtare videtur, quam ut dicamus: monſtrum quoddam reip. ibi extitiſſe; ubi plures illi, penes quos ſumma rerum erat, tantum pacto aut factione jungerentur. Quod etiam adplicandum videtur ad ſocium imperium Romuli & Tatii; de quo vid. *Plutarch. Romulo.* Quos inter ſi diſſenſio aut odia fuerint orta, ſuſpiciones, mutuasque inſidias & demum civilia bella ſurgere neceſſum fuit. Locus ex *Platone l. 3. de Rep.* quem aliqui adferunt, ad rem nihil facit. Non enim agitur ibi de una civitate, cui ſit mixta forma, ſed de fœdere, quod tres civitates ſeſe mutuo obſtringebant ad conſervandas leges, præſentemque ſtatum reip. quem ſi qua temere auderet mutare, reliquæ in ordinem eandem tenerentur redigere.

§. 6. Alteram autem diviſionem imperii per partes potentiales, ut ſcil. in una & eadem civitate

partes

partes summi imperii radicaliter & divisim sint penes plures personas aut concilia, non posse fieri, quin monstrum aliquod reip. producatur, evidenter mea sententia demonstrarunt *Bodinus & Hobbes ll.cc.* Et sane, si alicui competit pars quædam summi imperii, necessum est, ut instructus quoque sit potestate tum adigendi cives ad servanda illa, quæ ex vi istius partis statuuntur, tum illud suum jus defendendi, si quis idem invadere aut turbare velit; & denique ut proprio ex judicio, & suo jure possit statuere, quo tempore & modo pars illa imperii sit exercenda. Nam quidvis potius quam imperium est, habere tantum jus indicandi aliis, quid velis ab ipsis fieri, & tamen destitui potestate etiam invitos compellendi ad observandum id, quod significasti. Et precario obtinemus, quod contra alterum defendere nobis non licet. Et minister est alterius, atque executor duntaxat, qui jus aliquod alieno ex arbitrio exercet. Ponamus ergo talem existere mixturam, ut penes principem sit potestas belli & pacis, penes senatum jus leges ferendi & judicia, penes concilium populi jus indicendi tributa. Heic si rex cives ad arma vocet, & ipsi parere nolint, aut jus habebit rex eos pœnis per se cogendi, aut senatui judicandos tradere debebit. Prius est contra hypothesin; nam quomodo pœnas exiget à civibus nondum militiæ adscriptis, qui non habet exsecutionem legum? Si dicas, in hoc solo casu jus esse regi pœnas imponendi immorigeris, eadem opera jus regi das omnes cives pro libidine vexan-

di, adeoque eorum jura ad nihilum redigis. Ubi enim arma induere jusserit, ni paruerint, supplicio eos afficiet; ubi in expeditionem eduxerit, ratio disciplinæ militaris jus vitæ & necis in ipsos illi dabit. Et nihil facilius duci, quam militem invisum perdere. vid. *Liv. II. 23. 32. 58. III. 10. 20. 24. IV. 1. 5. 58. V. 2. 10.* & passim. *Curt. VII. 2. Diod. Sicul. l. 14. c. 73.* Sin autem rex sacramentum detrectantes ad senatum adducere necessum habet, hic aut nude ex præscripto regis sententiam damnatoriam pronunciabit, atque pœnam exequetur, quod est contra hypothesin; aut cognoscet etiam, recte an secus fecerit civis. Quæ cognitio inanis est, ni idem possit inquirere, ex usu reip. sit, nec ne, bellum jam à rege suscipi. Hoc modo in nihilum recidit jus regis. Quod si in ejusmodi statu invicem comparemus jus regis & jus populi, eadem incommoda deprehendemus. Sane enim, prout hodie bella geri moris est inter plerosque populos, *neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt. Tac. H. IV. 74.* Ergo si regi non sit potestas ad tributa præstanda pro imperio adigendi cives, ipsius jus belli nihil aliud erit, quam nuda facultas svadendi civibus, heic & nunc commodum esse reip. arma sumere. Quod si autem populo non sit facultas cognoscendi, utile sit bellum nec ne, cui suscipiendo tributum est conferendum, quid aliud hic habebit, quam nudum ministerium describendi & colligendi tributum? quorum utrumque est contra hypothesin. Neque sanior status emerget, si alio modo jura majestatis distri-

distribuamus. Usque adeo adplicari huc debet illud Asinii Galli apud *Tacit. A. I. 12. unum esse imperii corpus atque unius*, personæ aut concilii, *animo regendum.*

§. 7. Evidentius autem adhuc sententiæ nostræ veritas elucescet, si accurate consideremus, quænam sit natura partium, quas vocant, potentialium summi imperii. Nam imperium summum non est totum aliquod, constans ex partibus heterogeneis, quæ vinculo aliquo in unum quid coaluerint, ita tamen ut seorsim quoque possint existere. Sed revera summum imperium habet se instar animæ, qua civitas continetur atque conservatur: cujusque plures esse partes intelliguntur, prout occupatur circa diversa media, ad servandum civitatem necessaria. Inde summum imperium quatenus occupatur circa præscribendas universales agendi regulas, vocatur potestas legislatoria; quatenus controversias civium ad eas regulas decidit, est potestas δικαστική; quatenus cives in externos armat, aut eosdem jubet quiescere, est jus belli & pacis: quatenus aliquos constituit, qui certos imperii actus in cives exerceant, est potestas magistratus creandi; quatenus cives jubet conferre particulam bonorum ad servandam remp. est potestas tributa indicendi, & sic deinceps. Isthæc omnia uti ad conservandam civitatem sunt necessaria; ita finem suum producere nequeunt, nisi per unam voluntatem dirigantur. Secus enim, orta inter plures voluntates dissensione, se invicem impediunt aut destruunt. Sic si fingamus

partes potentiales animæ rationalis intellectum & voluntatem esse separatim in diversis suppositis, quorum uni solus fuerit intellectus, alteri sola voluntas; neque homo dici poterit tale suppositum, neque humanæ actiones ab eodem erunt expectandæ. Illustrare hanc rem potest lepidissimum epigramma, quod extat in *Anthologia l. 1.* Πηρὸς ὁ μὲν, γυίοις, ὁ δ' ἄρ ὄμμασιν· ἀμφότεροι δ' εἰς ἀυτοὺς τὸ τύχης ἐνδεὲς ἡρμόνισαν. Τυφλὸς γὰρ λιπόγυιον ἐπωμάδιον βάρος αἴρων, ταῖς κείνου φωναῖς ἀτραπὸν ὀρθοβάτει. Hi utique naturæ defectus utcunque poterant supplere, quamdiu utrique mutuas tradere operas placuit. Post abruptum fœdus neque cœco, neque mutilo rectum carpere iter amplius dabatur. Sic si quis omnino partes istas imperii velit dirimere, is nequaquam civitatem proprie dictam constituet, sed cœtum duntaxat informem, cujus partes non summo imperio, quæ anima est civitatis, sed vi duntaxat conventionis naturalis contineantur. Quo in cœtu utcunque concordia servari poterit, quamdiu singulorum sententiæ circa bonum publicum amice conspirent, & quilibet, quod ad hunc finem facit, sponte sit paratus implere. Ubi dissensio fuerit orta, nihil reliquum est, quam ut ad arbitros eatur, aut bello res disceptetur. Ne dicam, quod, ejusmodi divisione instituta, vix aliter possit fieri, quam ut unus alterius quoque jus ad se rapere, aut abusu sui juris cæteros opprimere moliatur. Facit huc, quod *Florus l.3.c.17.* dicit; *judiciaria lege*

C. Grac-

C.Gracchi, qua judicia soli equestri ordini fuerunt tributa, *divisisse populum R & bicipitem ex una fecisse civitatem equites Romanos; tanta potestate subnixos, ut qui fata fortunasq; patrum vitasq; principum haberent in manu, interceptis vectigalibus, pecularentur suo jure remp.* Id quod expressum videtur ex *Varronis l. 4. de vita pop. R.* prout citatur à *Nonio Marcello* in *Bicipitem*: equestri ordini judicia tradidit, *ac bicipitem civitatem fecit, discordiarum civilium fontem.* Conf. etiam super hac materia *Arnis.l.2.de rep.c.6.sect.1.Petr.Gregor. de rep.l.V.c.1.Piccart.ad Pol.Ar.* Nihilominus cum manifestum sit, summum imperium in diversis civitatibus se non semper eodem modo exserere, inde viri, queis profundior harum rerum intellectus, non quidem *mixturam*, sed *temperamentum* duntaxat aliquod agnoscunt. conf. *Bæcler.l.c.*

§.8. Unde ergo illa temperamenta in rebusp. oriantur, quamve vim obtineant, clare adparebit, si recte intelligatur, quid sit imperium absolutum, quid rescriptum seu legibus circumscriptum. Idque eo magis utile est liquido exponere, quo perniciosior est vocabuli *absoluti* abusus. Sane enim illud sinistre explicatum malis Principibus ad remp. vexandam, & plurima scelera perpetranda ansam præbuit, frigidam subinde suffundentibus adulatoribus, queis ambitionem, & alia principum vitia alere ejus vocabuli jactatione in proclivi est. Absolutus es, ergo si libet licet: ergo bellis non necessariis cives juxta tuos ac vicinos attere, ut ipse magnus bellator clueas: ergo contumeliis insulta quibuslibet: ergo exactionibus

atque rapinis exhauri cives, ut ambitioni tuæ aut luxui materia suppetat, Talia cum à pessimis hominum ex eo consequi vocabulo putentur, mirum non est, quod idem adeo detestabile habeatur ab illis, qui in liberis civitatibus vivunt. Imo, si diis placet, non erubescunt etiam docti quidam viri immania Neronis scelera sub inscriptione Principis absoluti orbi proponere. Igitur quemadmodum singulorum hominum summa hæc & absoluta libertas esse intelligitur, quando non ad alienum, sed proprium arbitrium & judicium statuere possunt de suis rebus & actionibus, salva tamen semper observatione juris naturalis; eaque libertas naturaliter omnibus hominibus competit, qui alterius hominis imperio non sunt subjecti: ita ubi plures homines in civitatem coaluerunt perfectam, ibi utique necessum est existere tanquam in subjecto communi eandem libertatem, seu facultatem proprio ex judicio statuendi de mediis ad salutem societatis spectantibus. Quæ libertas quatenus adjunctum habet jus ista media civibus præscribendi, eosq; ad obsequium adigendi, imperium vocatur. Unde in omni civitate proprie dicta existit absolutum imperium, saltem habitualiter, si non semper exercitio. Implicat enim, esse nemini obnoxium, & non habere jus statuendi de rebus suis ex proprio judicio & arbitrio. Imperium autem absolutum in se nil involvere iniquum aut intolerabile, ex fine civitatum institutarum facile est perspectu. Sane enim non ideo civitates constituimus, ut neglecto jure naturali omnia ex prava libidine fierent; sed

ut

ut securitati & saluti singulorum junctis multorum viribus atque opibus prospiceretur. Ergo absolute imperare nihil est aliud, quam civibus observanda & usurpanda injungere talia media procurando bono publico, quæ imperanti ex proprio judicio, ad præsentem negotiorum conditionem formato, ei fini quam aptissima fuerint visa.

§. 9. Cæterum illud summum imperium, quod in qualibet civitate existit, quando deinde consideratur, prout est collatum vel in unam personam, vel in unum concilium ex paucioribus aut universis constans, tanquam in subjectum proprium, non ubique ita absolutum & liberum fuisse relictum, sed alicubi certis legibus alligatum observatur. Equidem in democratiis non adeo manifeste discrimen inter imperium absolutum & circumscriptum videtur deprehendi. Quanquam enim in quavis democratia oporteat existere certa instituta usu recepta, aut scriptis sancita legibus, quo tempore & per quas populus convocari, atque negotia publica proponi & executioni dari debeant; (citra talia enim resp. non potest intelligi) tamen cum ex universis civibus constet concilium illud, penes quod est summum imperium, adeoque nemini extra idem jus sit quæsitum ex istis statutis, nihil obstabit, quo minus quolibet tempore à populo eadem abrogari aut immutari possint. Nisi forte jurisjurandi religione sese ad ista perpetuo observanda populus obstrinxerit. In aristocratiis autem & monarchiis, ubi alii sunt qui imperant, alii quibus imperatur, adeoque ubi his ex illorum

promissis & pactis *jus* potest quæri, clare discrimen imperii absoluti & limitati adparet. Igitur Princeps absolutus est, qui imperium administrat proprio ex judicio, non ad normam certorum & perpetuorum statutorum, sed prout præsens rerum status videtur exigere; quiq; adeo ex proprio judicio salutem populi, prout tempora reip. postulaverint, procurat. Unde tantum abest, ut in vocabulo absoluti lateat aliquid invidiosum, aut liberis hominibus intolerabile, ut idem potius longe acrioris curæ & circumspectionis necessitatem Principibus injungat, siquidem officio suo & conscientiæ satisfacere velint, quam queis ad præscriptam formulam negotia publica sunt expedienda.

§. 10. Enimvero quia unius hominis judicium in dispiciendo eo, quod saluti publicæ expedit, facile potest decipi; neq; omnibus ea est animi firmitas, ut in tanta libertate libidines rationi obluctantes compescere norint: igitur multis populis consultum fuit visum, tantam potestatem non ita absolute committere unius hominis judicio, ab erroribus non immuni, & arbitrio in prava flexili; sed potius certam ipsi formulam præscribere, certumq; modum imperii gerendi, ex cujus observatione obsequii sui necessitatem suspenderet. Postquam inprimis fuit animadversum, certa instituta modumq; negocia expediendi genio populi & statui civitatis optime congruere. Neq; ista imperii limitatione fit injuria Principibus, qui sponte populi ad id fastigii extolluntur. Nam si grave videbatur imperium accipere, quod pro arbitrio gere-

re non

re non possent, licebat illud recusare. Nequaquam autem fidei religio, qua in susceptione ejusmodi imperii adstringuntur, admittit, ut postea velint clandestinis machinationibus aut per vim leges regni subvertere. Nam illud nimis quam insipidū est, quod aliqui dicunt; cum reges à Deo sint constituti, isq; ipsis munus suum recte gerendum injunxerit, id quod sine exercitio imperii fieri nequit: ergo eo ipso Deum censeri contulisse regibus certam velut mensuram potestatis, cujus partem neq; ipsi, ut delibetur aut circumscribatur, pati debeant, neq; populus id recte postulare, aut ad id regem adstringere queat. Non magis quam honeste inter maritum & uxorem tale pactum potest iniri, ut ille ad hujus furtivos amores conniveat, *doctus spectare lacunar, doctus & ad calices vigilanti stertere naso.* Verum uti illud quidem facilé admittimus, imperia esse à Deo, i.e. Deum voluisse & jussisse, ut inter homines constituerentur imperia civilia; ita hoc utiq; in arbitrio hominum fuit relictum, saltem quibus ipse Deus leges civiles nō dedit, quam reip. formam in suum cœtum vellent introducere. Sicuti, puto, nullibi præceptum aliquod divinum extat, ut liber populus regem sibi impositurus, v.g. non Henricum sed Sigismundū eligat: neq; certa aliqua formula, divinitus sancita, sub qua omnibꝰ regibus imperium sit deferendum. Unde omnino in arbitrio est liberorum populorum, absolutum regi imperium, an certis sub legibus velint tradere; modo leges istæ in se nihil contineant impium, aut ipsum imperii finem non evertant.

§. II.

§. 11. Ut autem recte intelligatur, quanam promissione regis imperium absolutum esse desinat, (non enim cuilibet ea vis inest,) sciendum est, regem in susceptione regni ad id recte administrandum sese obstringere promisso vel generali vel speciali, quod plerunque juramenti religione firmatur. Generale promissum potest fieri vel tacite vel expresse. Tacite promissio regni bene gerendi in ipsa ejusdem susceptione inesse intelligitur, etiamsi nihil expresse dictum fuerit. Frequentissimum tamen est, promissionem illam fieri expresse, non sine juramento, certaque rituum solennitate. Neque id inusitatum, ut in ea promissione officium regis describatur per periphrasin aut enumerationem præcipuarum partium; puta, se diligenter invigilare velle saluti publicæ promovendæ, bonos defensurum, malos coërciturum, justitiam integre administraturum, neminem oppressurum, & similia. Ejusmodi promissiones haudquidquam τὸ absolutum imperii delibant, adeoque rex per easdem obligatur quidem ad imperium bene gerendum; quem autem modum quæve media isti fini producendo sit usurpaturus, in ipsius judicio & arbitrio relinquitur. Specialis autem promissio, & in qua etiam modus & media in imperio administrando adhibenda exprimuntur, duplicem habere vim videtur. Alia enim regis duntaxat conscientiam stringit, alia autem abs sui impletione obsequium civium, tanquam à conditione, suspendit. Prioris generis promissio talis est, si rex promittat, v. g. se certo hominum generi

neri magiſtratus non mandaturum, ſe nemini privilegia in onus cæterorum redundatura daturum, nullas novas leges laturum, nova tributa non impoſiturum, milite externo non uſurum, & ſimilia. Neque tamen ſimul conſtituatur aliquod concilium, quod rex teneatur conſulere, ſiquidem ab iſtis promiſſis tempora reipub. diſcedere jubeant; (nam iſtis ſemper tacita hæc exceptio ineſſe intelligitur, ni ſalus reip. ſuprema in ejuſmodi legibus lex, aliter requirat:) idque concilium jure ſuo, non precario, poſſit ſuper iſtis negotiis cognoſcere, citra cujus conſenſum cives juſſis regis circa talia non obligentur. Heic utiq; ad certas quasdam leges adminiſtratio imperii eſt reſtricta, & ubi citra neceſſitatem rex ſecus fecerit, ſine dubio fidei violatæ eſt reus. Neq; tamen civibus competit facultas regis juſſa ideo detrectandi, aut irritos reddendi iſtos actus. Nam ſi rex dicat ſalutem populi aut inſignem reip. utilitatem id poſtulare, ſicuti etiam ea præſumtio actus regis ſemper comitatur, non habent cives quod regerant; quippe cum ipſis deſit facultas cognoſcendi ſuper iſtis actibus, utrũ reip. neceſſitas eosdem flagitet, an minus. Ex quibus adparet, non ſatis ſibi cavere populum, ſi regi quidem imperium duntaxat limitatum velit tribuere, neque tamen conſtituat aliquod concilium, citra cujus conſenſum actus iſti excepti nequeant exerceri, aut ni regi incumbat neceſſitas comitia habendi, ubi ſuper exercitio iſtorum actuum deliberetur. Arctius vero conſtringitur ſummum imperium, ſi expreſſe inter regem & cives ſit conventũ

in

in delatione imperii,ut ad certas leges fundamentales imperium gerat,ac ſuper negociis ibi expreſſis ad concilium populi vel procerum referat,& citra conſenſum ipſius ab iſtis legibus non diſcedat; ſecus ſi factumfuerit, nolle cives juſſis ejus circa talia teneri. Tali modo qui regem ſibi conſtituit populus, obſequium ipſi promiſiſſe intelligitur non abſolute & in omnibus,ſed quatenus imperium ad capitulationem & leges fundamentales congruit, abs quibus diſcrepantes actus ipſo jure ſunt irriti, neque vim obligandi cives obtinent. Per ejusmodi tamen leges fundamentales ſummum imperium hautquidquam redditur mancum. Poſſunt enim in tali regno omnes imperii actus exerceri,qui in regno abſoluto, niſi quod heic rex ſolo ſuo judicio utitur, illic autem penes conciliũ eſt cognitio, ſi à præſcripta formula reip. tempora diſcedi ſuadeant. Neque etiam in tali regno rex ſummum habere imperium deſinit, aut concilium ipſo rege eſt ſuperius. Non enim ſequitur; hic non poteſt omnia agere ex propria lubidine, ergo non habet ſummum imperium. Ego non teneor huic in omnibus parere, E. ſum ipſo ſuperior, aut etiam æqualis. Ego huic, ubi diſſenſerit, non poſſum quolibet modo imperare. E. ille ipſe mihi quædam poſitive poteſt injungere. Et longe diverſa ſunt hæc: ego teneor ſequi,quod hic voluit, quia ultro me pacto ad id obſtrinxi; & ego teneor ſequi hujus voluntatem, quia pro imperio mihi hoc injungere poteſt. Summum autem & abſolutum nequaquam ſunt unum & idem. Illud enim

notat

notat absentiam superioris aut æqualis in eodem ordine: hoc autem, facultatem proprio ex judicio & arbitrio qualecunque jus exercendi.

§. 12. Cœterum in administranda rep, quæ occurrunt negotia, duplicis potissimum videntur esse generis. De quibusdam enim in antecessum potest constitui, ideo quod, quandocunque eveniunt, eandem habent naturam; de quibusdam autem non nisi ex præsenti tempore potest fieri judiciũ, ideo quod, quæ illa comitantur, prævideri nequeant. Circa utraque, ne à bono publico aberraretur; populus, cui limitatum placuit imperium, cavere potuit Illic quidem, dum perpetuas leges conscripsit, ad quas sequendas rex adstringeretur: Heic autem, dum concilium populi vel procerum consuli vult. Sic populus perspecta religionis suæ veritate, quique modus regiminis sacri rituumq; exteriorum suo genio quam optime congrueret, regi in delatione imperii legem potuit dicere, ne quid circa sacra semel recepta propria autoritate mutaret. Sic cui non constat, quam sæpe justitia laborare soleat, si citra leges scriptas ex solo imperantis judicio, & ex æquo bono, quod frequenter non ratio, sed affectus, aut imperitia suggerunt, jus reddatur? Conf. *Tacit. A. XIII. 4. 2.* Quod incommodum cum multis aliis experta est resp. Romana antequam *LL. XII.* Tabb. ferrentur. Nam Romanis ab initio *Romulus* & pleriq; reges, *ut lubitũ imperitaverant. Tac. A. III. 27.* i.e. jus ex proprio arbitrio dixerãt. Ad hoc enim illud *imperitare* esse restringendum scopus autoris satis ostendit. Conf.

tamen

tamen *Dionys. Halic. l. 2. 94. edit. Sylburg.* Sicut & ap. *Tac. l. d. leges,* quarum *sanctor Servius Tullius* dicitur *fuisse, queis etiam reges obtemperarent,* nequaquam notant capitulationem aliquam, seu leges, queis status publicus formaretur; sed quæ duntaxat versarentur circa negotia civium privata, potissimum circa contractus & injurias. Id quod docet *Dionys. l. 4. p. 218. & 228.* etsi eas leges iterum abrogavit Tarquinius Superbus. *Idem l. d. p. 245.* Post ejectos reges Consules itidem sæpissimè jus reddebant, prout ambitio, gratia aut libido suadebat, donec multis contentionibus obtentum fuit, ut leges conscriberentur, ex quibus omnibus civibus æquum jus diceretur. Vid. *Dionys. l. X. ab init.* Tali igitur incommodo evitando potest regem populus obstringere, ut vel æquabiles conscribat leges, vel eas, quæ jam extant, relinquat, utque jus ex istis legibus dicatur per certa collegia, causæque non nisi gravissimæ, aut per adpellationem demum ad ipsum regem devolvantur. Sic cum notissimum sit, quam facilè sit aliorum sudore parta per ambitum aut luxum profundere; igitur ne opes civium ex regum libidine alimenta vitiis ipsorum præberent, sapienter alicubi populi certos reditus regibus assignaverunt, quot scil. sufficere judicabant ad status sumtus in remp. faciendos. Quod si ampliores requirentur, ad concilium referri super ea re voluerunt. Cum etiam quandoque non pauci reges gloriæ bellicæ plus justo sint avidi, & in bella non necessaria ruentes, se simul atque remp. in casum dent; inde

cauti

cauti fuerunt populi, qui in delatione imperii regibus suis hanc necessitatem injunxerũt,ut saltem si ipsi bello alios lacessere vellent, concilium prius consulerent. Et sic circa alia quoq; fuit constitutũ, quæ nempe populus perspexit ex usu esse reip. ne, si circa ista absoluta disponendi facultas relinqueretur, fortasse à meta boni publici aberraretur.

§.13. Cum autem utplurimum regi limitato circa actus illos, quos absoluto ipsius arbitrio populus noluit relinquere, consulendum sit concilium aliquod vel universi populi, vel quod hodie frequentius, eminentium civium seu ordinum; ulterius observandum, non æqualem ubique istius concilii esse potestatem. Nam alicubi ipse rex, cætera absolutus, constituit concilium aut senatum, citra cujus approbationem ipse nolit sua decreta valere. Qui sine dubio consiliariorum duntaxat autoritatem habebit, & decreta regis sub censuram revocabit;quæq; reip. minus expedire judicabuntur,rejiciet, non proprio jure, sed concessa ab ipso rege potestate. Qui hoc modo sibi cavere voluit, ne per imprudentiam aut impulsu adulatorum aliquid minus reip. proficuum statueret; tum ut importunorum hominum flagitationes citra invidiam eluderet, dum ipse in speciem indulget,quod novit ab isto senatu rescissum iri. Quando tamen omnino placitum suum valere vult rex, rationesq; à senatu adductas parũ graves agnoscit, non habet hic ulterius,quod regio imperio obnitatur. Non enim præsumitur, regem constituendo talem senatum jure suo absolute imperandi se voluisse irrevoca-

vocabiliter abdicare,& quod à civibus ſimpliciter poterat exigere obſequium,ultro à conditione ſuſpendiſſe. Adeoq; ſenatus iſte delegatam duntaxat à rege obtinet poteſtatem,limitandam aut tollendam,quandocunq; placuerit; etſi nonniſi ex cauſis graviſſimis placere hoc debet. Quanquã & hoc fieri poſſit,ut ubi libere abs rege talis ſenatus ſemel fuerit conſtitutus, ſucceſſores juramento in delatione imperii adſtringi poſſint,ut ne iſtum iterum tollant. Per talem autẽ ſenatum,præſertim ubi regi ſit poteſtas eum iterum diſſolvendi,imperium non deſinit eſſe abſolutũ. Id enim non in eo conſiſtit,ut rex cœca ex libidine,aut inconſulto animi impetu omnia agat,ſed ut ultimatò ex proprio judicio de negotiis remp. ſpectantibus decernat;cui hautquidquam repugnat neceſſitas ſanas rationes audiendi. At vero omnino limitatur imperium, quando ſub hac conditione cives in regẽ illud contulerunt,ut circa certos actus exercendos concilium ordinũ conſulat,citra quorum conſenſum ſolius regis decreta nihil ſint valitura. Penes regem tamen eſſe debet,eum conventũ convocare & diſſolvere,ac negotia expedienda proponere. Quod ſi autem & ipſi ordines convocati ultro quædam ad ſalutem regni ſpectantia monere poſſint; decreta tamen ſuper iis facta abs rege autoritatem mutuabuntur. In hoc autem differunt ejusmodi ordines à conſiliariis proprie dictis, quod licet utrique à rege non debeant diſſentire,niſi ob graves rationes; horum tamen rationes rex rejicere poſſit, illorum non item. Neque indignum judicabit rex,ſi

quæ-

quædam ab ipso propoſita ordines non admittant. Nam utiq; promiſit, ſeſe ob oculos ſemper habiturum utilitatem reip. de qua certius præſumuntur judicare plures, quam unus. Habet ergo, quod ſuam imprudentiam aut pravos affectus accuſet rex, ſi ordines ab ipſo diſſentire contigerit. Unde adparet, vanum eſſe metum eorum, qui putant, hac ratione in arbitrio fore ordinum, ut reſp. ſit ſalva, aut minus. Neque enim tanta vecordia expectari poteſt vel à rege, ut ordinibus neceſſitates reip. clare nequeat exponere, vel ab ordinibus, ut iis perſpectis ſalutẽ ſuam pertinaciter velint prodere.

§. 13. Ex hactenus dictis etiam poteſt colligi, quid reſpondendum ſit *Hobbeſio*, quando c. 6. §. 17. contra limitationem imperiorum diſputat. Ait; *cœtum illum*, qui regi futuro leges fundamentales præſcripſit, *habuiſſe poteſtatem abſolutam. Si maneat cœtus, vel de tempore in tempus ad certum diem & locum conventus celebret, fore perpetuam illam potentiam. Sin penitus ſe diſſolvat, ni una diſſolvatur civitas, relinqui utiq; alicubi poteſtatem puniendi eos, qui leges transgrediuntur; quod fieri non poſſit, ſine poteſtate abſoluta. Nam cum, qui jure tantum ſibi conceſſum habet virium, ut poſſit quoslibet cives pœnis coercere, habere potentiã tantam, ut à civibus major contribui non poſſit,* conf. *Eundem* l. 9. §. 6. Nam crude nimis hoc ab ipſo eſt poſitũ, illũ, cui in civitate competit jus pœnas ſumendi, *jure cogere omnes ad omnia*, quæ *ipſe vult*. Cui effato quæ addenda ſit reſtrictio, ex fine civitatum inſtitutarum facile eruitur. Ad omnia ſc. ju-

re

re cogere cives summum imperium potest, quæ ipsi ad bonum publicum aliquid facere judicantur. Ut autem illa quoque jure possit velle, & per pœnas ad eadem adigere, quæ bono civitatis repugnant, aut legibus naturalibus aversantur, id sane ex natura summi imperii hautquidquam fluit. Etsi interdum contingat, ut qui summum habent imperium, viribus sibi ad salutem civium concessis abutantur ad scelera impune exercenda. Ergo velle non debet summum imperium, nisi quæ faciunt ad conservationem civitatis. Et hucusq; recte vim cogendi & puniendi exserit. Imo postquam compertum fuit, certa instituta alicui populo egregie congruere, ut ne ab his quidem obtentu boni publici discedere possent reges proprio arbitrio, multos apud populos cautum legimus. Quos isthac imperii limitatione absurdi quid commisisse, nobis nemo persuaserit. Igitur cum ad finem civitatum non requiratur, ut per summum imperium possint cives ad omnia promiscue adigi; quidam etiam populi sub hac conditione regibus imperium commiserint, ut certam ad normam illud administrarent; manifestum est, posse competere alicui jus per pœnas cogendi cives, quod tamen non absolute se ad omnia extendat, sed ad illa tantum quæ finis imperiorum requirit, aut de quibus in delatione imperii non secus convenit. Neque enim cives, qui in regem jus utendi viribus omnium ad salutem publicam contulerunt, physice vires suas in ipsum transfuderunt, quo minus istarum usum denegare queant, si quidem notorie con-

contraventum fuerit conditioni, sub qua imperiũ delatum & obsequium promissum fuit. Et his fere modis summum imperium circumscribitur.

§. 15. Illud vero neque ad limitationem imperii pertinet, neque ad mixturam, si resp. aristocratica aut democratica unum aliquem magistratum constituat eminenti gaudentem titulo, ac splendidis insignibus fulgentem. Aut si in democratia sit aliquod concilium paucorum, ubi res ad populum referendæ prius disceptentur. Aut denique si in democratiis non omnes recens adsciti cives, vel qui infra certum censum possident, quivé sordidum vitæ genus degunt, ad suffragia de rep. ferenda admittantur. Nam vocabulum & cætera inania ad summum imperium nihil faciunt; idemque non facultate deliberandi, sed potestate decernendi æstimatur. Neque de essentia democratiæ est, ut omnes & singuli homines, civitate comprehensi, æquali jure utantur; aut ut nil nisi nudum nomen civis requiratur in eo, qui ad suffragia ferenda sit admittendus. Sed Aristocratia est, si illi, penes quos imperium est, pauci sint cum reliquis civibus comparati; democratia autem, si concilium summo imperio præditum potissimam partem civium contineat. Quod si autem quævis accidentia in iis, ex quibus concilium imperans consistit, apta forent ad constituendam novam reip. speciem, & eorundem combinatio mixtam reip. formam produceret, infinita rerump. varietas inde esset resultatura; circa quam alii ingenia sua fatigent.

§. 16. Jam ulterius videamus, an in regno Macedonico aliquid occurrat, quod pro mixtura formarum reip. possit facere. Profertur inter cætera illud *Curtii IV. 7. Macedones adsveti regio imperio, sed majore libertatis umbra, quã cæteræ gentes, immortalitatem affectantem Alexandrum contumacius, quam aut ipsis expediebat, aut regi, adversati sunt.* Verum *umbra* mixtionis nihil adfert. Scilicet Macedonum reges nullum hactenus fastum ostentaverant, uti Persarum regibus in more fuerat, neq; à suis submissæ venerationis insignia & τὸ προσκυνεῖν postulaverant, sed civili modo & fere ex æquo cum suis vixerant. Inde divinis inhians honoribus Alexander fastidio erat nationi adulationum parum callidæ. Ista porro externi cultus indicia uti ad vim imperii nihil faciunt; ita iisdem vulgus sæpe acrius moveri, quem ipsa re, notum est. Sicut de Belgis suis quondam pronunciabat Carolus V. *Nullos esse populos, (modo paterne habeantur,) qui servitutis nomen magis exsecrentur, magis patiantur. Fam. Strada. l. VI.* Etsi putaverim Alexandrum istam venerationem affectasse non tam ex fastu animi; sed quemadmodum Augustus jugo ferocem subjecturus populum, nomen, & insignia, aliosque dominantium adparatus vehementer detestari est solitus: ita hic superato oriente regibus sveto novam ad potentiam stabiliendam facere est ratus, si major homine crederetur à populis, quos facilius admiratione ipsius, quam vi in officio contineri posse adparebat. Sed nec illud ad rem facit, quod ap. *Arrianum l. IV.* Callisthenes ait de regibus à Ca-

rano

rano ortis: οὐ βίᾳ, ἀλλὰ νόμῳ μακεδόνων ἄρχοντες διετέλεσαν. Hautquidquam enim miſcetur forma reip. ſi rex non in omnibus pro abſoluto arbitrio, ſed ad normam legum civibus imperet. Sic neque illud mixturam ſapit, quod *Curtius VI. 8.* dicit, *de capitalibus rebus vetuſte Macedonum more inquirebat exercitus: in pace erat vulgi:* (conf. *Juſtin. XIV, 6.*) *nihil poteſtas regum valebat* ad damnandum civem, *niſi prius valuiſſet autoritas.* Id eſt, non poterat pro imperio rex duci jubere civem ob delictum non militare, niſi prius perſvaſiſſet exercitui, illum morte dignum eſſe. Verum uti in regnis nihil eſt novi, certis civibus in vicem privilegii indulgeri, ut non niſi ad peculiare tribunale vocentur; ita & in delatione imperii rex potuit adſtringi, ut cauſas civium capitales in certo concilio curaret diſceptari, ne fors iniquum regis odium ad ſupplicium alicui inferendum ſufficere poſſet. Etſi & huic legi addenda exceptio; ſi res moram ferat, aut ni cum tali ſit negotium, qui, ut reus peragi poſſit, acie prius ſit vincendus. Cæterum de jure exercitus Macedonici teſtatur etiam *Corn. Nep. Eumene c. V.* & *Polybius V. 27.* ubi memorat, cum Philippus rex Leontium in vincula duci juſſiſſet, cetratos regem per legatos oraſſe, ſi ob aliam cauſam, quam ob interpoſitam pro ære alieno fidem, id factum eſſet, ne ipſis abſentibus de accuſatione illius vellet cognoſcere: alioquin pro ingenti contumelia factum Philippi ſe ducturos, atque omnino haut probaturos. Addit *Polyb. Sic enim*

Macedones æquo jure cum suis regibus ab antiquo poterant uti. Scil. ut non tenerentur, neque etiam solerent concedere, à rege violari consuetudinem illam, quæ legis fundamentalis vicem apud ipsos obtinebat. Quid enim prodest, regem certis legibus adstrinxisse, si ubi ab illis discesserit, nemo hiscere audeat? Igitur nulla est mixtura imperii, si inter regem & cives æquum jus intercedat hactenus, ut quemadmodum ille pro imperio ab his potest exigere obsequium, quod promiserunt; ita hi, non quidem pro imperio, sed ex vi conventionis à rege modeste queant petere, ut ne à promissis suis, legibusque publicis discedat. Imo ne limitatur quidem potestas regum, si in aliis actibus, qui ad imperium proprie non spectant, æquo jure cum civibus utatur, puta in contractibus ineundis aut implendis. Id quod sapienter expendunt principes, qui in propriis tribunalibus civibus adversus se ex ejusmodi contractibus actionem dant; non quod ipsos invidos cogere possint ad solvendum, sed quia cognita sua obligatione non possunt non, quod debent, velle præstare. Adeoque hoc tantum agitur, ut cives liquido ostendant, sibi aliquid deberi, quo facto, princeps ultro debitum sit soluturus. Ita enim dignum est iis, qui cogitant, sese vel ideo potissimum in id fastigii collocatos, ut efficiant, quo cuique tribuatur, quod ipsi debetur. Eam autem ad rem non pœnæ solum, sed & exempla principum magnam vim habent. Denique affertur & illud ex *Curt. VIII. 1.* cum Alexander in venatione leonem solus confecisset, *Macedones*

nes

nes, quamquam prospero eventu esset defunctus; tamen sciscere gentis suæ more, ne pedes venaretur, aut sine delectis principum amicorumq;. Verum ex hoc loco nequaquam est concludendum, Macedonibus licuisse, quandocunq; lubitum fuerat, citra jussum regis in concilium coire, & alio præter regem referente leges sciscere, quibus ipse rex adstringeretur. Sic enim simulacrum duntaxat imperii penes regem fuisset. Sed cum alias moris fuisse videatur, ut si quæ novæ leges à rege ferrentur, in concione populi promulgarentur; inde Macedones tunc in stativis agentes, audito periculo regis, velut instinctu in principia provolant, & communi consensu in istud scitum conspirant. Quod sane proprie loquendo legis vim non habebat; sed potius, quantum ad regem, erat instar vehementissimæ obtestationis, ne deinceps tanto cum periculo sui suorumq; civium in immanes belluas fortis esse vellet; amici autem regis per id serio monebantur, ne regem inter talia pericula solum destituerent. Unde licet illi scito vis obligandi non adfuerit; tamen ab omni ratione alienum se ostendisset rex, si tantæ suorum pietati contraire voluisset. conf. *Eund. IX. 6.* Eodem tendit juramentum, quo Israëlitæ milites se obstringebant, quod non essent passuri regem in aciem descendere. *2. Sam. XXI. 17.* Ex hisce igitur adparet, non mixtam fuisse in Macedonia reip. formam, sed nec reges plane absolutum habuisse imperium; potuisse tamen civibus uti obsequentissimis ad omnia, si potestati suæ opinionem virtutis, &

per res geſtas autoritatem circumpoſuiſſent, ac ad genium nationis frenum attemperare calluiſſent. Præſertim cum illi genti *ingenita* fuerit *erga reges ſuos veneratio. Curt. III.6.* Sicut & contra ſingulorum inſidias ipſorum ſecuritati proſpectum erat lege, qua ad necem damnabantur cognati quoque illorum, à quibus inſidiæ vitæ regis eſſent ſtructæ. *Idem VI.11.VIII.6.* Qualis lex apud Perſas quoque obtinuit, *Juſtin. X.2.* abominanda vocata *Ammiano Marcellino l. 23.* ad quem locum vid. quæ annotavit *Lindenbrog.* conf. *Grot. l. 2. c. 21. §. 12. ſeqq.* Quarum legum ratio non tam hæc fuiſſe videtur, ne ad parentum exemplum ſoboles ſuccreſceret; quam quod ultor inde aliquando oriturus crederetur, aut ut ſaltem ſuorum intuitu abs talibus retraherentur, qui propriam vitam contemnere auderent, vid. *Juſtin. XXVI.3.8.* Quanquam an hæ rationes ad excuſandas eas leges ſufficiant, noſtrum jam non eſt inquirere.

§. 17. Videamus nunc vires ac ſtatum eorum, quibuscum Macedoni decertandum fuit, imperium latius proferri cupienti. Ex uno igitur latere imminebant barbari, ex altero Græci. Inter illos erant Thraces, Illyrii, Triballi, Pæones, & alii. Qui etſi nec numero virorum, nec ferocia eſſent ſpernendi; non tamen Macedoniæ ſub rege egregio adeò erant metuendi, quod & Thraces inter plures regulos forent diviſi, nec reliquorum ſinguli multum ſupra Macedoniam juncti ſine dubio præpollebant. Verum neque tales facile in concordiam poterant coire, neque quanta in vici-

nia

nia surgeret moles, prius animadverterant, quam cum se jam satis confirmasset. Ergo Philippo non ita arduum erat, dum singulos invadit, universos in ordinem redigere. Quod si autem vasto aliquo exercitu opus foret, quem domesticus explere miles non posset, licebat ex illis populis quantum vellet numerum mercede conducere, quem spes prædæ non segnius, atque alios amor laudis aut imperium in discrimina Martis stimulabat. Græcorum autem status curatius considerari meretur, quos antehac gloria rerum gestarum clarissimos primus Philippus docuit humiliores gerere spiritus: ut quo altiore supercilio quondam reliquos omnes despexerant, eo abjectius deinde potentissimum quemque adularent. Opes ergo illi genti egregiæ, etsi infra felicis Asiæ gazas. Solertia & multitudo incolarum insignis. Bello ad id usque tempus clarissima. Ac licet per imbelliam hostium sæpe victoria pauco sudore constiterit, ipsique Græci rerum suarum præcones historiæ leges non adeo religiose semper observarint; negari tamen non potest, vix ullis tunc cessisse militem Græcum, usu ac disciplina duratum. Nec minus prona gens animam stipendio vendere. Ac redundabat eo tempore Græcia hominibus, qui sine lare, sine re circumvagantes obvia quæque infestabant. Qualen sentinam, civitatibus longe molestissimam, vix commodius licet exhaurire, quam per colonias, aut si externum in hostem ducantur. vid. *Isocrat. orat. ad Philip. Tacit. A. 2. 85. 4.* Quod si uno sub imperio tota Græcia fuisset composita,

 vix

vix adparet, cui non eo ſeculo par eſſe potuiſſet. Verum id vires ipſius enervabat, quod in tam multas civitates eſſet diſcerpta, quæ hautquidquam vinculo ſatis firmo inter ſe connectantur. Equidem communi nomine & natione Græci cenſebantur; eadem lingva; & in plurimis inſtituta congruebant; aliquando etiam, inprimis in bello Perſico, commune periculum vires ipſos conjungere ſubegerat, atque arctius inire amicitiam contra illos, qui omnium libertatem oppugnatum ibant. Quo intuitu quidam de Græcia, tanquam de una aliqua rep. loquuntur. Verum cum una atque altera civitas inſignia cepiſſet incrementa, paulatim exui æqualitas, & pro ſocietate imperium placere. Inde orta æmulatio, & neglecto communi bono, ſibi quælibet ſeorſim tendere, ac diverſis conſiliis atque ſtudiis ferri. Hinc bellis inteſtinis efferati animi nunquam ſat fidam inter ſe pacem colere. Nec adeo ſancte Græcis obſervabantur fœdera & juramenta, quæ violare, quotiens utilitas ſvaderet, aut ex ſola animi levitate, frequentiſſimum erat. Fœdus porro Amphictyonicum neque univerſam Græciam complectebatur, & magis ad componendas internas controverſias, curamque templi Delphici videbatur inſtitutum, quam ut communi conſilio res ſociorum adminiſtrarentur. Usque adeo αὐτονομία illa, qua ſibi tantopere Græcæ civitates placebant, demũ exitio ipſis vertit. Idem ob malum quondam validiſſimæ nationes, Galli, Britanni, Hiſpani externum jugum ſubiere. Accedebat, quod pleræque civitatum

Græ-

Græcarum populari ſtatu regerentur, cujus vitia tantum non neceſſaria ſunt βραδύτητες, ὄκνοι, ἄγνοιαι, φιλονεικίαι. *Demoſth. de coron.* add. *Hobbes. c. 10. §. 10.* Ac inter demagogos illos plurimi ἀργυράγχῃ laborantes, queis patriam vendere in quæſtu erat, quique plebem imperitam, mobilem, temerariam, quocunque vellent, impellebant. Contra tales quid non efficeret Philippus, qui ſolus arcana & aperta moderabatur; qui ſimul dux eſſet, & dominus, & quæſtor, ubique exercitui præſens perpetuo arma in manibus habenti, *Demoſth. Olynth.* I. quique adeo agendi tempora conſultando atque adparando terere neceſſum non haberet. Fortaſſe tamen ruentes in deterius res potuiſſet ſiſtere Themiſtocles aliquis, conſilio, autoritate, auſpiciis pollens. Sed neſcio quomodo intra unum fere ſeculum Græcia fœcunditatem ſuam in producendis inſignibus ducibus videbatur conſumſiſſe, ut nemo tunc eſſet, qui cum Philippo contendi mereretur. Genio naturæ per vices in diverſa effuſæ; an erecta ingenia exemplo priorum ducum deterrebantur, ne illas excolerent artes, queis quanto quis celebrior, plebis invidiæ & ſuſpicionibus expoſitus degebat. Nam Demoſthenes, licet utilia ſvaderet, torporem tamen civibus ſuis in tempore excutere non poterat. Et larga quidem ipſi fandi copia; ſed cum bella manus poſcerent, pedibus ſibi conſulebat, non ſine flagitio abjecti clypei. Hæc de Græcia in univerſum. Nunc de præcipuis ejuſdem civitatibus diſpiciamus.

§. 18. Athenarum igitur urbs divitiis, amplitudine, frequentia incolarum, portus commoditate inter Græcas facilè princeps, cum bello Persico re fortiter gesta longe cæteras eminere cœpisset, tandem cum in socios, quos paulatim ad subjectorum conditionem redegerat, aspere imperium exerceret, in plurimorum incurrit odia. Reliqui formidabant vires omnium libertati prægraves. Spartam inprimis ejus splendor invidia urebat. Commisso inde bello Peloponesiaco, dum diu paribus fere damnis res Athenienses inter & Spartanos geritur, tandem istorum opes inauspicata inSiciliam expeditione impulsæ, apud Ægos flumen penitus corruerunt. Triginta tamen tyrannis amotis, & Spartanis ad Cnidum & Leuctra fractis, caput iterum cœpit tollere, longe tamen infra pristinum fastigium. Quippe flos virorum bello ciciderat; colluvies hominũ in eorum locum adscita, numerus magis quam viri. Ac cum saluberrima Solonis instituta multis partibus essent convulsa, cuncta ad summam rerum spectantia per imperitam plebem tractabantur, quam suopte genio turbidam oratores insuper exagitabant. Horum paucis boni publici intellectus, aut amor; lingvæ volubilitas, & rerum novarum studium supra erant. In luxuriam & ignaviam per longam pacem aut modica bella resoluta plebs mollia duntaxat audire cupiebat, auresque magis dijudicandis numeris poëticis, quam reip. negotiis adsuefecerat. Et quanto rebus secundis ferocior aut negligentior, adversis consilii inops. Pecunia publica, quæ struendis navibus,

vibus, alendoque militi debebat impendi, spectandi in theatro loca redimebantur; (vid. *Libanius argumento Olynth. I.*) reliquam magistratus per ambitum dissipabant. Otio adsvetum urbanum vulgus militiam detrectare. Externus miles languide rem velut alienam gerere, quem numerosum alere per ærarii inopiam non licebat. Ducibus inter stipendiorum defectum, & atrocitatem plebis destitutis remissa disciplina militum patientia erat redimenda, & magis de violentia populi quam de hoste cogitandum. Metuenda tamen adhuc erat Philippo ea civitas, si, torpore excusso, salubria voluisset capessere consilia, & mature conatibus ipsius obsistere; adjunctisque sibi vicinis Philippo infensis proprias intra terras bello ipsum atterere. Inde huic ratio fuit amicitiæ simulatione istam in securitatem dare, ne incrementis tunc maximè adolescentibus remoram injiceret, neve eadem in suam succrescere perniciem ipsum sentiret: mox captata occasione inproviso impetu male paratæ ingruere.

§.19. Spartanis antea *κακονομωτάτοις χεδὸν πάντων ἑλλήνων* *Herod. l. 1.* Lycurgus leges dedit, quibus propositum erat formare civitatem bellicam, *καρτερικὴν* disciplina ac morum severitate conspicuam. In ea rep. etsi complura carpat *Arist. Pol. II. c. 9.* sic satis tamen firma, nec facile interitui videtur fuisse obnoxia futura, si suos intra fines se continuisset, ac ab institutis istis haut discessisset. Regibus domi vix præter nomen aliquid relictum. Senatui commissa reip. cura. Ager æqualiter inter cives divisus, aurum & argentum urbe

exesse

exesse jussa, luxuria proscripta. Soboles à prima infantia ad omnem patientiam durata, nil nisi bellum fere meditari docebatur. Unicum virtutis præmium honor inter suos. Nulla urbi mœnia, prohibendæ civium ignaviæ. Ac ne iste morum rigor per instituta exterorum infringeretur, rari Spartæ peregrini, Spartanis peregrinari interdictum. Jus quoq; civitatis parcissime exteris datum. Id potissimum desideres, quod cum in ea civitate omnia prope ad virtutem bellicam referrentur, necessario cives evaderent pacis impatientes, & ambitiosi. Et tamen bellis gerendis efficacissimus deerat nervus, auro proscripto; & quod adsciscendis exteris civium augere numerum non liceret, eoq; modo fines proferre. Sed & in pluribus à Lycurgi legibus discessum. Ephori, instituti tuendis contra injurias magistratuum tenuioribus nimiam sibi sumsere potestatem, nixi plebis studiis, qua in concionibus utebantur obsequentissima. Athenis victis fames quoq; auri Spartam irrepsit, stipante solita vitiorum turba. Per insolentiam alienati sociorum animi. Mox Asia attētata mari victa, dein Leuctrica pugna debilitata, & gravissime à Thebanis vexata documento fuit, non statim magno imperio parando aut retinendo pares esse, qui intra civitatem se suā continentes clari esse poterant. Sic fastigio suo evoluta, cum sat haberet sua defendere, non admodum Philippo videbatur metuenda, quod & in angulum Peloponnesi remota, nec classibus valens ejus progressibus parum posset obstare. Et manentibus odiis adversus æmulas quondam aut inimi-

eas civitates, haut facile in commune fœdus contra Philippum erat consensura. Inde parum curæ ipsi, quod veteri fortuna conceptos spiritus verbis duntaxat exprimeret, contumaci responso ad epistolas ipsius reposito, nec probato reliquorum Græcorum decreto, quo dux contra Persas iste declarabatur. Nam & citra Spartanos destinatis suis poterat potiri, & viribus destituta superbia non melius quam contemtu vindicatur.

§.20. Post ista duo Græciæ lumina eminebant Thebani, homines corporibus validi, animis intrepidi, in armis feroces, laborum patientes, imperare avidi. Enimvero aberat morum & disciplinæ cultura elegantior, & subjecti asperius habebantur. Epaminondæ virtute ad principatum Græciæ provecti, cum & ante eum natum, & post ejus interitum perpetuo contemti fuissent non tam ob virium tenuitatem; quam quod per stuporem ingeniorum iis uti non posse crederentur. Isto autem extincto cum partum decus deinceps quoq; pari ferocia tueri conarentur, tandem didicerunt, quam vanæ essent vires prudentia destitutæ; & tanti esse civitatem, quanti sunt ipsius rectores. Cæterorum Græciæ populorum vires modicæ. Argivi circa ea tempora intestinis discordiis non parum fuerant debilitati. add. *Isocrat. orat. ad Philip.* Neq; eæ vires tunc Achæis, in quas post Alexandrum succreverant. Et Arcades, Elæi, Locri, Phocenses, aliiq; non nisi aliis juncti momenti quid habere videbantur. Thessalos autem & situ regionis valde opportunos Macedoniæ, & equitatu suo Philippi copiis pedestribus

bus

bus magnum robur addituros, in suas pertrahere partes magnæ esse curæ ipsi debebat. De ejus rei successu infra memorabitur.

§. 21. Nunc quid subsidiorum ex seipso habuerit Philippus ad res gerendas, dispiciamus. Erat ipsi animus vividus,& maximis rebus par, quem agitabant potentiæ insatiabilis cupido, & gloriæ ex prolato imperio, rebusque bello gestis partæ. Huc omnia tendere: simulatæ virtutes, tecta vitia, multa speciosa suscepta,nec pauciora per scelus patrata, prout huic fini expedire judicarentur; atque adeo nulla apud ipsum turpis ratio vincendi, ut ne fidem quidem,atque religionem jurisjurandi inter instrumenta alios decipiendi disponere dubitaret. Jam primum neminem suorum se præstantiorem videri volebat,& si *Demosthem* fides *Olynth. II.* & *orat. ad Philipp. epist.* magis indignabatur præfectis & ducibus, qui aliquid egregie gesserant, quam qui prorsus offenderant; nec ullum periculis adeundis casum recusabat,& hanc famam,ut persecisse diceretur, quæ nullus alius Macedoniæ rex, vitæ securitati anteponebat. In bello callidus,non per violentiam omnia, sed pleraque astu tractare; alienam stultitiam in suam vertere utilitatem, & magis gaudere hostibus deceptis, quam palam fusis. Nec minus acer,vigilans,in militis non minus, quam ducis munia sufficiens, indefessus laborum, & qui paria à suis exigeret. Etsi, quod in ancipitia pugnarum promtius quam regem decet provolare solitus sit,& quidem, quod addit *Justinus*, mero calidus,non immerito taxat *Isocrates epist. II.*

ad

ad Philipp. Occasionibus acriter imminere, oblatas celeriter involare. In periculis intrepidus; quæ ubi vi perrumpere non dabatur, etiam minus gloriosa ratione declinare non erubescebat, ac utilibus speciosa posthabere. Sicut & hoc cavebat, ne majora quam pro viribus moliretur, neu potentiam adolescentem nimis ostentando hostes intempestive irritaret. De cætero affectus & consilia cælare, alios inter se criminando committere, utrique se parti ostentare, misericordiam præferre postquam satis nocuerat; fumum vendere, solennes ipsi artes. In exteriore vitæ actu ad alliciendos hominum animos mire compositus, sermone blandus & insidiosus, seria & jocos pari dexteritate tractans (vid. *Ælian. V.H. XII.51.*) nec in iram facile, licet lacessitus, excandescens, (vid. *Senec. de Ira l.3. c.13.*) Inter hæc eloquentia & insignis oratio, acuminis & solertiæ plena, ut nec ornatui facilitas, nec facilitati inventionum deesset ornatus (conf. *Tacit. A. XIII.3.5.*) De qua etiam pronunciat *Polyænus l. IV. Strateg.* non minores eum res oratione quam prælio confecisse, & pluris æstimasse verbis quam armis partas victorias. Harum enim partem miles sibi vindicare putabat, illas ad suam unius laudem pertinere. Pecuniam non nisi inter instrumenta rebus gerendis destinare, quam profundere gaudebat, parandis occasionibus plura recipiendi. conf. *Just. l. 9. c. ult.*

§. 22. Ætatem illam qua ad rite obeundum vitæ actum formamur, noster exegit hautquid-

quam

quam mollem, & inter aularum delicias, ſed aſperiorem; nec citra iniquioris fortunæ ſenſum, dum Thebis obſes detinetur. Ubi tamen autores disſentire deprehendimus. Nam *Juſtinus VII. 5.* bis eum obſidis loco datum memorat, ſemel Illyriis, iterum Thebanis à fratre Alexandro. *Diodorus* autem *XVI. 2.* à patre Amynta Illyriis datum ſcribit, qui eum Thebanis aſſervandum tradiderint; hos rurſus Epaminondæ patri adoleſcentem commiſiſſe cum mandato, ut depoſitum fidei ſuæ creditum diligenter cuſtodiret, probeq; educaret. In diverſa diſcedit *Plutarchus Pelopida*, ubi tradit, ab Alexandro fratre ipſum obſidem datum Pelopidæ, poſtquam compoſitæ fuerant lites, quæ ipſi hactenus cum Ptolomæo circa regnum intercesserant, ibique nutritum in ædibus Pamenis. Quicquid hujus ſit, id ſatis conſtat, in magnam Philippo utilitatem vertiſſe eam coſtodiam, dum urbs, æmulus, præceptor egregiam excolendo corpori juxta atque animo occaſionem præbent. Urbs moribus ſeveris, à mollitie luxus & ſpectaculorum vanitate averſa, ac alendo corporis robori dedita, plurimum conferre viro militari poterat, ut Martem non minus imperio atque hortatu, quam exemplo poſſet accendere; neque opus haberet illa Scipionis excuſatione, qua objicienti corporis imbelliam reſpondit; imperatorem ſe, non bellatorem à matre genitum. Ab Epaminonda ipſum in artibus militaribus haut parum profeciſſe vel id indicio eſſe poteſt, quod ſtatim ſub initio regni egregii ducis munia explevit. Nec invalidos ſtimulos in animo erecto ad ſectan-

dam

dam gloriam bellicam vertebat iſte vir, ex modica fortuna ad tantam nominis celebritatem illis artibus provectus. Quod vero *Diodorus l. c.* condiſcipulos ipſos facit, in eo labi videtur, quippe cum Olympiade CV. regnum ſuſceperit Philippus, non multum viginti annis major; Epaminondas autem occubuerit jam anno 3. præcedentis Olymp. ætate jam vergente. Præceptore uſus traditur Lyſide Tarentino, Pythagoræo, ſene ſevero & triſti, ſub quo an multum profecerit dubium. Ajunt *Diodorus & Juſtinus.* Ipſe videtur negare apud *Plutarch.* dum Alexandrum filium monet, auſcultet Ariſtoteli, detque operam philoſophiæ; ne, inquit, multa committas, quæ me feciſſe pœnitet. Sed nimirum ex traditis à præceptore mores emendare neglexerat. Et probabile eſt juvenili & præfervido animo parum grata fuiſſe ſevera ſenis dogmata circa extirpandas pravas cupidines, ac juſtitiam erga quoslibet exercendam. Metuebat fortaſſe, ne vigor militaris per illam compoſiti animi tranquillitatem ſuffocaretur; nec ſatis adparebat, quomodo bello poſſet inclareſcere, ſi ab alienis invadendis ita religioſe manus forent abſtinendæ. conf. *Tacit. A. XV. 1. 6.*

§. 23. Dum Thebis agit Philippus, cognoſcit, regnum morte fratris rectore orbatum. Igitur clam cuſtodia elapſus ad capeſſendum ejus regimen contendit. An recte hoc, & quidem, ut neque eum reſtituere poſtulantibus Thebanis Macedones tenerentur, neque ipſe in ſui locum alium ſubſtituere, liquidius poſſet definiri, ſi ſatis conſtaret,

qua

qua de causa quibusvé legibus obses fuerit datus. Equidem si *Plutarchum* l. c. sequimur, non adparet, quare non licuerit Philippo custodia se liberare, cùm saltem alteruter eorum, quos inter controversia fuerat, jam fato esset functus; nec Thebanorum quidquam amplius interesset, quibus alienæ duntaxat pacis pignora asservanda erant credita. Nec minus per tradita à *Diodoro* excusari poterit Philippus cum jam abrupta foret pax, cui firmandæ obses iste esset datus, uti probabile est, injuria Illyriorum. Nam in recens exorto bello frater ipsius Perdiccas post ceciderat. Imo videmur nostrum posse vinculo obsidis liberum pronunciare, etiamsi *Justinum* sequamur. Cum enim datus fuerit firmando fœderi, non quo Macedones post bellum Thebanis redderentur obnoxii, aut ad certi quid præstandum adstringerentur, sed quo duntaxat amicitia mutuo exercenda sanciretur; inhumaniter postulassent Thebani diutius detinere obsidem, postquam Macedones fidem fecerant serio quæsitæ Thebanorum amicitiæ. In hoc enim casu obsides haut videntur diutius detinendi, quam quoad constiterit, non simulato, aut struendæ ad fraudem occasioni amicitiam quæsitam, eademque jam colendo fuit sancita. Quemadmodum si dantur obsides ab una parte, quæ alteri ad præstandum quid tenetur, eo exhibito, isti quoque liberantur. vid. *Liv. l. 32. c. 2.* Quod si autem personale fuerat fœdus illud Alexandri, jam sine dubio, isto defuncto, Philippus liber erat. vid. *Justin. l. 34. c. 3.* Et sane si abs rege aliquo obses datur in familia regia,
hæc

hæc conditio censetur tacite inesse ipsius traditioni, ut tunc liber dimittatur, quando ordo successionis ipsum tetigerit. Imò leguntur reges insidiarum anxii, vel ideo liberos suos aut cognatos nomine obsidum apud alios velut in tuto deposuisse, ut ipsis sublatis successor & ultor ne deesset. vid. *Tacit. A.II.2. XII.10.* & *Strab. l.16.* Etsi aliis hoc modo suspectos æmulationis amoliri artificium fuit. vid. *Tacit. A.XIII.9.* Illud autem caute Philippus, quod clanculum Thebis profugit, ne fortasse, si aperte dimitti postularet, à Thebanis ad iniquas conditiones adigeretur.

§.24. Quo titulo regnum acceperit, dubio non caret. Equidem ex *Diodoro* nihil aliud colligas, quam ipsum defunctis fratribus successisse. His an proles mascula relicta, tacetur. Ast *Justinus* autor est, Perdiccæ fratri superstitem fuisse parvulum filium, cujus tutorem diu egerit Philippus; verum imminentibus gravioribus bellis, cum serum auxilium in expectatione infantis esset, compulsum à populo regnum suscepisse. Hoc si adsumamus, quæri potest, num pupillo isti à populo aut à Philippo sit injuria facta? Ut igitur rem ab ovo, quod dicitur, repetamus, sciendum est; postquam suasu rationis, actu tamen hominum, dominia rerum fuerunt introducta, eousque extensam fuisse eorundum vim, ut non solum quis suas res in proprium usum exclusis cæteris posset convertere, sed & easdem in alios transferre, pari jure ab iisdem deinceps tenendas. Nec id solum institutum, ut vivus vivo posset res suas tradere; sed etiam, ut

vivus

vivus voluntatem ſuam poſſet declarare, ad quemnam bona ſua deberent pervenire, ipſo è rebus humanis ſublato. Nam acerbum videbatur, quæ quis per totam viam non ſine labore quæſiviſſet, aut quæ interdum ſuum defraudans genium minutatim comparſiſſet, à morte ipſius, quæ incapacem eundem reddit ad jus inter vivos retinendum, pro derelictis haberi, & abs quovis poſſe occupari. Neque id arridebat, ut vivus in vivum dominium in res ſuas transferret, recepto ſibi usque ad obitum earundem uſufructu; cum facile & in voluntate noſtra, & in meritis alterius ea poſſet intervenire mutatio, ut hautquidquam velimus bona noſtra ad iſtum pervenire. Et quanquam illa translatio juris potuiſſet fieri revocabiliter, ſeu ut iterum à transferente poſſet revocari, exiſtente aliqua conditione cauſali aut poteſtativa ex parte ejus, in quem facta erat translatio; (nam ut conditio revocabilitatis ſtatueretur in mero arbitrio transferentis, incongruum erat; tamen immenſam litium ſegetem erant præbitura dubia, quæ circa exiſtentiam conditionis, aut quæ alia ex utraque parte poterant prætendi, oritura fuerant. Ergo ita demum inter homines convenit, ut quis poſſet vivus adhuc citra translationem juris voluntatem ſuam declarare, ad quem poſt obitum bona ſua ſint perventura, cum hoc effectu, ut ſiquidem eadem acceptaverit, dominium, quod defunctus habuerat, in ipſum tranſiret, nec cæteris fas foret illud intercipere. Quod ſi quis autem voluntatem expreſſe non ſignificaſſet, tunc inſtitutum, ut ex præſumta voluntate

luntate dominium in res ipsius transiret, scil. in eos, quos probabilissimum est defunctum bonis suis gaudere velle. Qui communi hominum persuasione intelliguntur proxima defuncto cognatione juncti. Atque ex priori conventione ortum trahunt testamenta, ex posteriori successiones ab intestato. Etsi vix in ulla parte juris ita solicitæ fuerint leges positivæ, perveniendis fraudibus, ac dirimendis contentionibus, quas habendi cupido creberrimas atque acerrimas potest suscitare; cum nihil minore adquiratur labore, quam opima hereditas. Uti autem homines non solum res inanimatas & bruta, sed etiam alios homines servitio subjectos in bonis habere cœperunt; ita quoq; receptum, ut non illa tantum, sed & hi dictis modis ad successores transferrentur.

§. 25. Cæterum ad eundem fere modum introductum deinceps fuit, ut etiam imperium in homines liberos ab uno in alterum possit transferri; idq; alicubi arbitrio subjectorum. Qui enim usto bello victos citra peculiares conditiones in ditionem receperant, uti imperium absolutum in eos sibi quæsiverunt; ita idem quoque ad suos posteros, aut his deficientibus, proximos cognatos ad instar alicujus hereditatis voluerunt transire. Sæpe etiam populis, qui ultro aliquem sibi regem sumsere, vel consideratis electionum incommodis, vel ob merita jam ab ipso in remp. collata, aut ob spem talium, placuit, ut iste immediate, & citra actum, quo novum esset jus quærendum, imperium in suos posteros

aut

aut propinquos transmitteret. Quanquam tale ſtatutum non ipſum imperium afficit, ſed duntaxat circa modum idem habendi verſatur. Adeoque adparet errare eos, qui ex ſucceſſione aut electione putarunt judicandum, abſolutum an limitatum principi eſſet imperium. Nam ſucceſſio in ſe nihil dat, niſi quod habuit ille, cui quis ſucceſſit. Nec ideo viliores debet habere cives princeps, quem naſcendi ſors ad id faſtigii provehit; cum & ipſum beneficio populi in autorem generis ſit collatum, & ſub quibus obligationibus ille imperium accepit, cum iisdem idem in omnes ſucceſſores transeat. Quanquam autem imperia ad imitationem rerum aliarum facta ſint hereditaria; tamen natura atque utilitas reip. in quibusdam juſſit diſcedere à communi modo, quo reliquæ res in hæredes transeunt. Cum enim regna in plures partes diſcerpta valde reddantur debilia, & utplurimum mares ad remp. gerendam ſint aptiores quam fæminæ; ideo in plerisque regnis conſtitutum, ut ea non dividerentur inter plures liberos ejusdem regis, & in eodem gradu mares præferrentur fæmellis licet prius genitis. Illud autem communi gentium more receptum, ut regnum indiviſibile ad primogenitum devolveretur; (etſi interdum fuit dubitatum, an non, qui primus in fortuna regia eſt genitus, debeat præferri primogenito in privata patris conditione. vid. *Juſt. II. 10. Petr. Greg. de Rep. VII. 9. Hotom. quæſt. ill. 2. Arniſ. l. 2 c. 2. ſect. II.*) Cujus ratio non hæc tantum fuit, quod is propter ætatem aptior quam cæteri ad gerendum

rendum imperium censeatur esse; sed etiam ut præscinderetur occasio acerbissimis odiis atque litibus, quæ erant oritura inter fratres, si regnum dignissimo aut maxime idoneo deberet deferri. Non secus atque quondam inscriptio pomi Eridis dearum præcipuas magna contentione commisit. Adeoque eo gravius essent incubitura reip. incommoda electionũ, quo majori cum ardore odia & æmulationes semel inter fratres accensæ solent deflagrare. Ergo commodissimum visum, adeptionem imperii inter fratres suspendere ex re, quæ posthabitis nullam indignitatis ignominiam inferret; qualis est primogenitura, per quam deinceps geniti primogenito non nobilitate animi, sed nascendi sorte intelliguntur. Quam ob causam etiam *Hobbesio c. 3. §. 18.* primogenitura vocatur *sors naturalis.* Inde ap. *Justin. XI. 10.* dicitur; *Artemenes, maximus natu, ætatis privilegio regnum sibi vindicabat; quod jus, ordo nascendi, & natura ipsa gentibus dedit.* Add. *eund. l. 34. c. 3.* Demetrius dicit, *se regnum majori fratri cessisse jure gentium.* Ap. *Livium l. 21. c. 31.* duorum fratrum Allobrogum præ fratre habendum jactat facere *ætatem, jus gentium, & vetustum Macedoniæ morem.* Et si qui patres ab isto more discesserunt citra gravissimas rationes, hautquidquam cordatorum reprehensionem effugerunt. Sic Ptolomæo Lagi F. dissuasit Demetrius Phalereus, ne natum ex Berenice filio majori præferret; quod in ipsius vita tradit *Diogen Laert. l. V.* vid. *Justin. 16. 3. 7.*

§. 26.

§. 26. Enimvero complures populi, cum prospicerent, aut exemplis discerent, quantæ lites circa successiones regnorum possint oriri, si ambigeretur, quisnam defunctum regem proxime attingeret, dum alii ad ætatis prærogativam provocant, alii jure repræsentationis nituntur, successionem linealem introducere utilissimum judicarunt. Cujus hæc est lex, ut in lineam posteriorem non fiat transitus, quamdiu ex priore linea superest, qui alias per leges fundamentales regni est capax. Vid. *Grot. L.2.c.7.* §.*22.seq*q. Ergo ubi publica regni lege successio linealis est sancita, nullo modo patruus nepoti ex majori fratre controversiam circa successionem movere potest. Ubi autem simpliciter duntaxat regnum est hæreditarium factum, dari potest casus, ut non desit patruo, quod opponat nepoti, præsertim ubi hujus pater superstite adhuc avo obierit. Dicere enim potest, se propiore gradu contingere regem patrem, quam nepos avum: neq; patri hujus actu ipso jus ad regnum jam fuisse, sed spem duntaxat, eamq; cum in jus per mortem avi nunquam transierit, ad filium non potuisse transmitti: & æquitatem illam, quæ nepotes ex præmortuo filio cum patruis ad hereditatem avi vocet, in regnis non ita attendi; quippe ubi magis respiciatur, quid toti regno expediat, quam quid huic vel illi ex familia regnatrice oriundo. vid. *Justin.34.3.7. Hotom. quæst. ill.3. Pet. Gregor. de Rep. VII.10. Arnis.l 2.c.2.sect.10.* Verum ista Philippus nepoti ex fratre opponere non poterat; nã ipsius pater Perdiccas jã regno erat potitus. Ergo vix habet

Philip-

Philippus,quod pro ſe adferat, quam quod in regno Macedonico ſucceſſio linealis publica lege non fuerit introducta; neque in ſucceſſionibus regnorum eaſdem ſemper leges obſervandas,quæ in privatis patrimoniis: licuiſſe igitur populo,ſalute regni ita poſtulante,à vulgato alias more diſcedere,& infanti filio fratrem adultum præferre, qui majori cura proprium regnum eſſet proſecuturus,quam ſi idem tutorio duntaxat nomine adminiſtraret.Et ſane ex illis,quæ habentur ap.*Curt.l.X. c.6. 7. Juſtin. XV. 2. 3. Liv. XL.56.* ſuſpicari licet, Macedonicum regnum non ita abſolute fuiſſe hereditarium, quin populus quandoque exercuerit poteſtatem de ſucceſſione regni pro temporum uſu ſtatuendi. Quicquid hujus ſit,in hoc ſane aſtute egit Philippus,quod *compelli* ſe ad regnum capeſſendum paſſus ſit. Sane enim non crediderim,tam modeſtum ipſi fuiſſe ingenium, ut haut tangeretur cupidine ejus rei,cui ſoli adipiſcendæ multi etiam omne vas violandum putarunt; nec unquam privatam amaſſe ſortem videtur,qui potitus regno nihil aliud quam de eodē dilatando cogitavit. Sed nimirum uſus eſt notiſſimo accifmi artificio, cujꝰ magna apud imperitum vulgus utilitas, & cujus indutâ larva ſpecioſe minimum agit ambitio. Iſthoc enim comprimi poſſunt querelæ ejus, qui potius aliquod jus ad regnū prætendebat. Modeſtiæ laus captatur,ac inviſa dominandi libido tegitur. Glorioſum quoque eſt, ſolum videri idoneum, qui remp. ſervare poſſit.Et pignoratur ſibi promtiſſima civium obſequia,qui non niſi precibus expu-

gnatus imperare voluit. Et si quibusdem ipse displicuerit, aut successu parum ex voto fuerit usus, in promtu est excusatio; cur ergo invitum sceptro onerabitis? Deniq; cum generosis principibus molestissimum sit beneficio vinci, & vero inter summa beneficia censeatur imperium dedisse, cujus desiderium flagrans ostenderas; ideo longe splendidissimũ est, aliis ultro imputare posse, quod illud acceptaveris, cui aliàs, ubi ambienti datum fuit, par gratia vix referri posse putatur. conf. *Tac. A. I. 3. 3. &c. 7.*

§. 27. Prima regnandi tempora Philippo fluxerunt difficillima. Convulsa domus regia fratrum nece. Consternati cives clade recens ab Illyriis accepta. Finitimi velut conspiratione excidio Macedoniæ imminere. Domi insidiis omnia intuta. Pausanias & Argæus æmuli, uterque aliorum auxiliis fulti. Regni opes exhaustæ. Hæ difficultates, qua viribus solis superari non poterant, arte erant molliendæ. Inprimis suorum animos oratione erigit, ne ipsius silentium rebus dubiis pro desperatione interpretaretur populus, utq́ue animadversa regis fiducia etiam suis animis securitatem imperaret. vid: *Tacit. H. 3. 36. 1. Veget. li 3. c. 9.* Dein cum longum sibi bellorum ordinem nasci videret, nihil antiquius fuit, quam disciplinam militarem emendare, dexteritate vires juvare, congruis armis suos instruere, exercitio durare. Quæ semper prima pars laborum egregiis ducibus bello se accingentibus. vid. *Flor. 2. 18. 9. Salust. bello Jugurth.* ubi de adventu Metelli in Africam. *Tacit. A. 13. 35. Corn. Nep. Iphicr. c. 1. & 2. Scip. Amm. l. 1. c. 4. l. 14. c. 2. & 6.*

cap. 2. & 6. Inprimis hoc memoratur, quod cum primum exercitum constituisset, vehiculorum usum omnibus interdixerit, equitibus non amplius quam singulos habere calones permiserit, peditibus autem denis singulos, qui molas & funes ferrent in æstiva exeuntibus, triginta dierum farinam collo portare imperaverit, præter arma, & vasa ad quotidianum victum necessaria, recidendis scil. impedimentis, quibus maxime agmen oneratur, & durandis ad laborem corporibus. Et taliter onusti sæpe sexcenta stadia conficiebant. vid. *Frontin. Strateg. l. 4. c. 1.* §. 6. *Polyan. l. 4.* add. *Veget. l. 1. c. 19. Ælian. V. H. l. 14. c. ult.* Quam rigidus quoque disciplinæ fuerit exactor, vel hoc indicio esse potest, quod Tarentino cuidam cingulum ademerit, quod calidâ lavasset; addito, apud Macedones ne puerperas quidem calidâ lavari; quodque Æropum & Damasippum duces regno suo exegerit, quod in castra psaltriam adduxissent. *Polyan. l. c.* Celeberrimum ipsius inventum est phalanx, quam juxta *Polyb. l. 17. c. 25.* & *Diodor. l. 16. c. 3.* συνασπισμὸν heroum Trojani belli tempore expressit. Erat autem phalanx acies IIX. M. peditum constans, juxta *Veget. l. 2. c. 2.* (*Polyb. l. 2. c. 65.* habet X. M. unde colligitur augeri vel minui eandem solitam,) umbonum velut perpetuo textu conserta, ac objectu sarissarum munita. Eam accurate describunt *Polyb. l. 17. c. 25.* & *Ælian. tactic. c. 14.* etsi in iis, circa quæ discrepant, non dubium, quin hic ex illo sit corrigendus. Quotiens prælio imminente densatio fit, consistit unus

vir cum armis in ſpatio trium pedum: (Ælianus habet duorum cubitorum,) Sariſſarum longitudo ex antiquo erat 16. cubitorum, poſt ad 14. reducta. Hujus menſuræ 4. cubitos abſumebat ſpatium inter manus ambas, una cum libramento poſticæ partis ultra illud, quod prætenditur. Quod libramentum, neceſſarium ſane, & citra quod haſta tam longa ægerrime poteſt tractari, dum non attendit *Ælianus*, duobus cubitis longius, quam revera fiebat, ſariſſas pro corporibus eminere facit. Inde ſariſſa, quando ambabus manibus in hoſtem porrigebatur, 10. cubitis ultra corpus militis protendebatur. Illorum autem, qui in ſecundo jugo ſtabant, ſariſſæ primum jugum præminebant 8. cubitis; qui in tertio, 6. qui in quarto, 4. qui in quinto, 2. Illi autem, qui in reliquis jugis locati erant, (& patebat phalanx à fronte introrſus in 16 armatorum ordines,) ſariſſas non protendebant, quippe quibus hoſtem non poſſent attingere, ſed ad humeros præcedentium inclinatas, ac ſurſum ſpectantes geſtabant intercipiendis telis, quæ in poſteriores poſſent incidere. Simul ipſo corporis pondere antepoſitos urgebant, fugæq; facultatem adimebant, & ſi qui ceciderant, in eorum locum ſubibant. Hujus phalangis impreſſioni à fronte nullam parem potuiſſe aciem eſſe, oſtendit *Polybius*, ne ipſam quidem Romanorum aciem, quippe in qua militibus ſingulis duplo latius ſpatium, quam in phalange, erat attributum; adeoq; uni militi Romano decem ſariſſæ erant oppoſitæ, quibus cum decertaret. Una ratio illam ſuperandi

erat,

erat, si vel à tergo & lateribus posset incurri; vel ubi inæqualitate & asperitate locorum ejusdem compages dissolveretur. vid. *Polyb. l. c. Liv. 9. 19. 31. 39. 32. 17. 33. 9. 44. 41.* & ex his *Scip. Ammirat. l. 2. c. 5.*

§. 28. Enimvero inter tot circumstantia pericula, viribus nondum satis coalitis, consilio plura quam armis erant avertenda. Et cum ne Hercules quidem adversus duos, quod est in proverbio; ideo noster quædam interposita pactione componit, alia redimit, facillima quæque aggreditur, ut iis victis & seorum animos firmaret, & contemtum sibi hostium demeret. Quam in rem prudentissimum dicterium Franc. Sforciæ refertur à *Scip. Ammir. l. 13. c. 4.* si cui tres sint hostes, illi omnem industriam esse impendendam, ut cum uno pacem, cum altero inducias faceret, tertium alacri bello pulsaret. Cui gemellum dictum traditur de Rudolfo I. cum ipsum adhuc comitatus Habspurgicus caperet, progeniem tam late regnantem datu-rum. Igitur Philippus Pæones donis ac pollicitationibus avertit. Æmulum Pausaniam removet, pertracto in suas partes rege Thraciæ, qui auxilia ipsi missurus erat. Cumque Athenienses videret ob recuperandam Amphipolin Argæum incitare ad turbandam Macedoniam, ultro eam urbem liberam reliquit, imminentem necessitatem sponte præveniens. conf. *Valer. Max. l. 7. c. 6.* His temen admiscet aliquid fortioris ausi, ut contemtum sui amoliretur, novisque rebus egregiam famam circumponeret. Nam Argæum, cui

Athenienses adsistebant duce Mantia, subito aggressus profligat, & cum omnes copias posset delere, incolumes Athenienses sine pretio dimittit. Mox missis legatis pacem cum illis jungit, inter initia potentiæ suæ omnibus modis validam civitatem sopiendam ratus. Rebus domi compositis in exteros arma convertit. Primi Pæones, morte regis Agidis duce orbati, improviso invaduntur, ac pro illatis Macedoniæ malis pœnas dant. Hinc Illyrii petiti, quorum rex, audito Philippi adventu, legatos de pace committit, dimidiam partem urbium Macedonibus ereptarum offerens. Sed cum Philippus pacem abnueret, ni omnibus cederet, acerrimum committitur prælium, in quo Illyriorum VII. M. cecidisse dicuntur. vid. *Frontin. Strateg. l. 2. c. 3. §. 2.* Inde Amphipolis situ peropportuna urbs, & Pydna expugnata. Olynthiis quoque ad opprimendam Potidæam auxilium latum, & iisdem Pydna donata; scilicet ut isthoc beneficio in securitatem data urbs valida insidiis se Philippi præberet. Crenidas urbem auctam de suo nomine Philippos dixit. Quo in tractu venæ erant auri nondum satis exploratæ, quas iste ita instruxit, ut annua inde ipsi redirent M. talenta. Nobilissimis inter antiquos Philippæis materia, queis ea vis inerat, ut vel asinus iisdem onustus munitissimam posset expugnare arcem. Inde Thessalia subito oppressa, juxta *Justinum*, non ob prædam, sed ut celeberrimum ejus equitatum sibi adjungeret. Etsi probabilius *Diodor. l. 16. c. 14.* tradat, cum Thessali intestinis bellis invicem colliderentur, Philippum

ab

ab altera parte in auxilium vocatum, victos clementia, suos socios beneficio sibi addictissimos reddidisse; inprimis cum plebem & demagogos sibi colendos sumsisset, quibus nullum genus hominum ad prodendam libertatem aptius, cum nulli eam jactantius crepent. Conf. *Ulpian. comment. in Olynth. 2. Polyæn. l. 4. Isocrat. orat. ad Phil.*

§. 29. Cæterum cum incrementa Philippi jam vicinis regibus Illyriorum, Pæonum, & Thracum formidarentur, junctis ipsum viribus aggredi statuunt. Id quod periculum tamen ipsius dissipavit celeritas, dum in bello adparando adhuc occupatos opprimit. An utrique heic recte? Equidem nihil frequentius audias, quam hoc; minuendam esse potentiam unius nimis crescentem; vid. *Alber. Gentil. l. 1. c. 14. de jure belli.* Recte tamen illi, qui fas utili anteferendum censent, negant, eam solam causam sufficere ad bellum inferendum; præsertim ubi quis potentiam suam industria aut per benignitatem fati citra aliorum oppressiones adauxerit. Quam ipsi invidere, nedum destructum ire, inhumana foret malitia. Quia tamen notum est, quanta plerorumque animos agitet dominandi libido, inprimis ubi vires suæ ipsis placuerint; inde consultum est, innoxia sibi munimenta mature circumponere; puta proprias vires bene disponendo, aliosque fœderibus sibi adjungendo. Quod si autem aliquis non vires solum nocendi, sed etiam voluntatem inesse sibi ostenderit, ne sic quidem statim mihi adversus ipsum nascitur justa bellandi causa. Neque sufficienti est

argumento, ipsum etiam mihi nociturum, ideo quia aliis nocuit; cum causæ peculiares adversus alios eundem incitare potuerint, quæ in me non deprehenduntur. Et licet alteri ab hoc injuria fiat; tamen nondũ sat causæ subest, ut ego ultro ipsum bello petam, quamdiu uterq; tam lædens quam læsus solo humanitatis vinculo mecum jungitur. Etsi facile sit, ut læso peculiariter obliger, puta si ab ipso imploratus auxilium meum fœdere ipsi promiserim. Nam id apud omnes in confesso habetur, posse nos, licet propria haut affectos injuria, ad depellendam ab altero vim injustam ex vi pacti bellum sumere, ut isti lædenti nullam faciamus injuriam. Quod si autem probabilis accedat suspicio, istum, altero oppresso, in me quoq; transiturum, & priore victoria pro instrumento sequentis esse usurum; eo promtius alteri petẽti erit succurrendum, quod ipsius conservatio meam quoq; incolumitatem in tuto ponat. vid. *Grot. l. 2. c. 1.* §. *17.* & *c. 22.* §. *5.* Ex hisce igitur de facto regum istorum est judicandum. Circa factum autem Philippi, si ponamus, injustum eos reges ipsi bellum movisse, dici poterit; etsi alias ad defensionem inculpatam tradatur requiri periculum præsens & quasi in puncto: (vid. *Grot. l. 2. c. 1.* §. *5.*) id tamen proprie intelligendum videri de iis, qui in civitatibus degunt, & quorum salus publicis viribus tuta est. His enim hactenus violenta sui defensio indulgetur, quatenus publicum implorare auxilium tempus non fert. Verum illi, quibus proprio ex judicio, & per proprias vires sua salus est defendenda, non ita arctis

limi-

limitibus circumſcribuntur. Unde putamus, tales poſſe violentam ſui defenſionem auſpicari, ſtatim atque certis ex indiciis conſtiterit, alterum in eo occupari, ut injuriam ipſis inferat, licet nondum conatus ſuos in effectum deduxerit: neque teneri ad expectandum & excipiendum ejus inſultum, ut bello ſuo ex licentia defenſionis juſtitiam adſtruant. Adeoque heic pro aggreſſore eſt habendus, qui primus ſeſe movit ad alteri vim inferendam, ſeu qui intentionem ad nocendum alteri prior concepit, & ad eandem exſequendam ſeſe comparavit; licet alter, animadverſis illius cœptis, celeritate uſus eundem, dum bellum lentius molitur, occuparit. Neque ad defenſionem requiritur primum ictum excipere, aut ictus, qui intentantur, eludere tantum, & repellere; ſed quacunque ratione alterius violentiam, quam prior in me eſt molitus, infringere.

§. 30. Auctis non mediocriter viribus jam Philippo præcipue in oculis verſabatur Græcia, cujus libertati velut è ſpecula inſidiabatur. conf. *Iſocrat. orat. ad Philipp.* ubi iſtam famam falſo à malevolis de ipſo jactari dicit vir juſto prolixius de bonitate Philippi ſentiens; an ſubtili modo dehortandi utitur, dum velut incredibile rejicit, quod ne ab ipſo ſuſciperetur, metuebat. Eam porro ad rem exoptata ipſi præbetur occaſio, dum bello ſacro, cui cauſam dederat ſacrilegium Phocenſium, Græcia ardet. Heic Philippo ratio erat utrique ſe parti oſtentare; imploratum illis palam adſiſtere, quo-

rum causæ apud vulgus plurimus favor; & tamen langvide initio auxilia ferendo bellum alere; demum mutuis cladibus fessos opprimere. Qualia fere consilia Tissapherni suggerit astutissimus Alcibiades ap. *Justin. l. V. c. 2.* Imo & ipsos Athenienses tunc discordias Græcorum fovisse, non obscure innuit *Demost. cont.* A*ristocrat. E rep. nostra est,* inquit, *ut neque Thebani neque Spartani sint potentes, sed ut illi Phocenses, hi alios habeant adversarios. Sic enim vos summam potestatem securi tenebitis.* Astute autem hoc Philippus, quod discordantibus sese Græcis non prius immiscuit, quam ultro arcesseretur. Alias enim metuendum erat, ne canes in se invicem morsibus sævientes, & jam in iras efferati, contra ingruentem lupum, communem hostem, inito syncretismo juncti ruerent. Ast qui ultro vocatur, ubi caute partes elegerit, & suos socios statim habet obnoxios, & adversariis oppressis plurimam prædæ partem in se trahere potest. Usque adeo insaniebant Græci, qui externum jugum invitare malebant, quã lites suas inter se placide concedendo componere. Nec subibat illud *Demosth. Olynth. 1.* oraculi instar habens; ὅλως ἄπιστον ταῖς πολιτείαις ἡ τυραννὶς, ἄλλως κἂν ὅμορον ἔχωσιν. Id autem oportune cecidit Philippo, quod ambitionem suam & dominandi libidinem potuerit velare prætextu apud vulgus tam plausibili. Quantus ipsum favor prosequebatur jactantem; non opes sibi quæri, non ut fines proferat, aut servitio alios premat arma sumi: verum

verum hoc ſibi eſſe ante omnia, ne cui impio impune ſit numen violaſſe? Pietatis aſſertorem ſub ſignis quoque ſuis Deos ducere, quorum honor ſuis armis tutus ſtet. Profanos eſſe, & cum ſacrilegis numerandos, qui tam ſancta molienti non enixiſſime ſtuduerint. Neque vero diſſimulat *Justinus l. 8. c. 2.* quibus encomiis Philippus fuerit celebratus ab iis, qui inania ab arcanis rerum cauſis diſcernere ignorant. Inde quoque argutum valde erat ſtrategema, quod milites ſuos contra Phocenſes lauro redimitos in aciem juſſit prodire, velut duce Apolline ſacrilegos puniturus, quos ſceleris conſcientia tali commento excitata vecordes agebat. Eam poſt victoriam ſtatim in Phocidem erat tranſiturus, ni Athenienſes obſtitiſſent, occupatis Thermopylis, non ſine infamia defenſi ſacrilegii. Tandem cum decem per annos bellum hoc vario Marte fuiſſet geſtum, utrique defeſſi ad Philippum confugiunt, Bœotii auxilia petentes, Phocenſes bellum deprecantes. Ille ſecreto auditis legatis prolixe pollicetur, cum prius jurejurando eosdem adegiſſet, nemini reſponſum enunciaturos. Athenienſes quoque pro Phocenſibus apud ipſum intercedebant, quorum legatos ille diu ludificatus, ad poſtremum re infecta dimiſit. Sic variato reſponſo ſecuris omnibus Thermopylas occupat, & Phocenſes nullo negotio opprimit. Bœotios autem ea de cauſa bellum vetuerat parare, ne in prædæ ſocietatem venirent. Philippus, bello ſacro ſic confecto, præmii loco accepit duo ſuffragia in concilio Amphictyonum,

quæ antea Phocenſes habuerant, & jus curandi Iſthmia. Mox etiam declaratus fuit αὐτοκράτωρ στρατηγὸς Græcorum, qui participes eſſent concilii Amphictyonum. De tragico exitu ſacrilegorum meretur legi *Diodor. l. 16. c. 62. ſeqq.*

§. 31. Cæterum occaſione belli hujus ſacri non incongruum fuerit inquirere, cur plerumq; mutuis odiis ardeant, qui circa religionem opinionibus diſſident; cum tamen alias inter cæteros religio hunc quoq; ſui præbeat uſum, ut plurimum conferat ad continendos in ſocietate homines. Nam eò utiq; omnis videtur tendere religio, ut Numen, ſaltem ſub generali & confuſo conceptu, colatur, eoq; cultu mortalibus reddatur propitium. Jam autem aliorum nihil videtur intereſſe, quo quisq; ritu Numen ſibi placandum arbitretur; præſertim ſi neutra diſcrepantium religionum aliquid tradat, quo minus invicem leges naturales, & alia humanitatis officia exerceri queant. Ac, ſi omnino illa cuilibet religioni neceſſario adhæreret opinio, diverſa à nobis ſentientes infenſum habere Numen; tamen miſeratione potius quam odiis proſequi videbatur humanius eſſe illos, quorum animos tam exitiabilis error occupatos teneret. Neque adparet, cur iraſci debeam illi, qui à me diverſa ſentit, ſi neque pro imperio illi præſcribere credenda poſſum, neque damni quid ſentiam ipſo pereunte. Equidem odii ratio in aperto eſt, ſi una religio alterius commoda intercipiat. Ubi enim v. g. religionem quæſtui habent ſacerdotes, non mirum, parū

gratio-

gratiosos esse illos, qui una cum dogmatibus ista quoque lucra eunt oppugnatum. Inde non poterat non invisus esse sacerdotibus Beli Daniel, nocturnarum commessationum proditor. Sic si aliqua religio cultoribus suis præscribat, ut diversa sentientes hostiliter persequantur, aut saltem tanquam impuros aversentur; apud hos eò majorem quis pietatis laudem referet, quo acerbius sese aut morosius adversus alios gesserit. Verum ubi neutrum horũ adfuerit, non modica odiorum pars videtur profluere ex labe illa humani ingenii, quã *Hobbes.* descripsit *c. 1. §. 5. de cive. Non modo,* inquit, *contra contendere, sed & hoc ipsum, non consentire odiosum est. Nam non consentire alicui in re aliqua, est eum erroris tacite accusare, sicut in valde multis dissentire, idem atq; eum pro stulto habere.* Cum igitur quilibet religionis suæ veritatem putet esse valde manifestam, ideo solet contemnere eos, tanquam hebetes, qui eandem perspicere nequeant, aut tanquam Numini invisos, quibus gratia eandem agnoscendi denegetur. Qui contemtus, inprimis si signis apertis ostendatur, ad odia excitandã est valde efficax. Eaq; aliquanto acerbius solent erumpere, si partes dissidentes eodẽ religionis principio utantur. Tunc enim dissensus creditur oriri vel ex insigni stupiditate alterius partis, consequentias tam manifestas, uti putantur, capere non valentis, vel ex pertinacia animi, quod in odium aliorum, & ne quid ab iis videantur didicisse, agnitũ licet errorem mordicus defendant. Ex dictis etiam ratio potest reddi, cur ut plurimum apostatæ acer-

rimo odio prosequantur sectā, abs qua defecerunt. Cum enim notum sit, quantam vim habeat, à teneris opinionem aliquam imbibisse; inde isti, ne ex animi levitate, aut ob lucrū & ambitionem in aliena castra perfugisse arguantur, videri volunt, intolerandos sese errores in antiquo cœtu deprehendisse. Id cum passim tuendæ existimationi omnibus nitantur persvadere, inter istam animi contentionem odium asperrimum subit adversus sectam, quam nisi infamaverint, ipsis est infamia subeunda. Deniq; cum cæteris omnibus velit videri sapiens, qui sibi talis videtur; in promtu est odiis fomes, si quis ad istam persvasionem concipiendam sit tardior. Defectores autem illos plerumque eximiam sibi rerum divinarum cognitionem vindicare, ubi vitæ genus id admiserit, sed eandem rarissimè ab antiquis ipsorum sociis æstimari, notissimum est.

§. 32. Durante adhuc bello sacro Philippus Olynthum invadit, cui diu inhiaverat. Causam ferebat, quod duos fratres ipsius consangvineos Olynthii suscepissent, quos velut æmulos regni tollere gestiebat. Urbs prodita à Lasthene & Euthycrate, summum tunc magistratum gerentibus, queis pecunia super caritatem patriæ & fidem fuerat. Quos tamen cum à Macedonibus per contumeliam proditores se vocatos quererentur, faceto cum solatio dimisit Philippus; *est*, inquit, *ista natio incivilis & rustica; scapham solet appellare scapham.* Scilicet exosum est istud genus hominum etiam illis, quibus servit, & scelus, parto quod quæsieras, veris mox pretiis æstimatur. conf. *Vopiscum Aureliano c. 23.*

c. 23. Nec deerant tamen, subigente auri sacra fame, qui certatim civitates suas Philippo proderent. Usque adeo recte judicabant Achæi, illa lege fundamenta libertatis contineri, qua interdictum erat; ne quis sive privatus, sive in magistratu constitutus, dona à rege quacunque tandem ex causa caperet. *Polyb. excerpt. legat. 41.* Nec errat *Demosth. Olynth. 3.* quando ait; tunc demum Græciam firmiter stetisse, quamdiu gravissimum erat crimen, si quis acceptorum munerum convinceretur, isque sine venia maximis afficiebatur pœnis. *Aurum* quippe *per medios ire satellites, Et perrumpere amat saxa potentius Ictu fulmineo. Diffidit urbium Portas vir Macedo, & subruit æmulos reges muneribus. Horat. l. 3. od. 16.* Post Olynthum captam velut in honorem Deorū olympia celebrat, in quibus egregia edit certamina. Heic commodissima homines corrumpendi occasio. Vulgus magnificentia spectaculorum delinitum. Plurimi donis, alii promissis, omnes humanitatis ostentatione inescati. Proditores hospitum atque amicorum nominibus honestati, ut munera non tanquam in autoramentum sce'erum viderentur accipere. vid. *Diodor. l. 16. c. 56.* His artibus quid non efficeretur apud vulgus legis aucupiorum ignarum?

§. 33. Post bellum Phocense, ut rebellioni occasionem subtraheret, atque unum velut corpus regni concinnaret, prout expedire visum, populos quosdam in finibus collocat, alios in medium recipit, pars infrequentibus oppidis in supplementum scribitur. Add. *Livius l. 40. cap. 3.* Quo

super

super facto vix recte videtur *Justinus* tantas excitare tragœdias. Nam, quod probabilissimum videtur, qui ita transferebantur, bello erant victi; in quos tale jus victores posse adquirere,& priscis inprimis seculis multos usurpasse, notissimum est. Plebem autem inopem & laris egentem alio in vacuas possessiones mittere,beneficium potiꝰ quam injuria est censenda. Sed ut rex tale quid in cives liberos,quique volentes imperio ipsius successerunt,illis invitis velit exercere, non ex obtentu pœnæ, id vix ferendum videtur. Neque enim ad jus dominii eminentis heic licebit confugere, cujus exercitio non quælibet reipubl. utilitas, quæ vim necessitatis non æquat, sufficientem causam præbet. Neque audiendum putem *Hobbesium c. 6.* §. *15.* quod *nemini proprium quid sit contra illum, qui habet summum imperium.* Non magis quam illud: *patres diversarum familiarum, qui neque patri, neque domino communi subjiciuntur, jus commune in omnia habere.* Si hoc admiserimus, nihil obstabit,quo minus rex vicino quævis eripiat, quousque viribus pertingere possit. Quod cum nemo sanus admiserit, fatendum est, dominia rerũ cum effectu potuisse introduci per sola pacta etiam inter eos, qui idem imperiũ non subiere. Etsi civitates faciant,ut illa longe firmius teneantur tã adversus concives quam exteros. Cum ergo potuerit quis sibi dominium quærere in res aliquas extra civitatẽ,potuit etiam deinceps civitati sese adjungere retento suo jure,ita ut in id civitati non nisi eminens competeret dominium, certis duntaxat

casi-

casibus exercendū. Et hoc fecisse præsumendi sunt omnes patresfamilias, qui ultro imperium civitatis subiere, scil. ut in summo imperio agnoscerent quidem dominium eminens, & jus indicendi tributa, ac ferendi leges circa usum bonorum ad salutem civitatis attemperandum; extra hoc autem in bona sua summo imperio nihil vellent licere.

§. 34. Hactenus quidem in plerisq; sat prospera erat usus fortuna Philippus, non item in obsidione Perinthi & Byzantii. Quæ oppida quantum haberent momenti ad eas, quas animo meditabatur res, recte ex situ eorū judicabat. Eo enixius ad illa conservanda incubuere & Persarū rex, & plurimi Græcorum; gnari insuper, magnos exercitus nulla fere re magis atteri, quam irritis validarum urbium obsidiis. Ne tamen inter moras illas nihil ageret, cum parte copiarū multas Chersonesi urbes expugnat; & more negotiantium impensas belli alio bello refecturus, in Scythas quoque movet. Ubi prælio quidem victor fuit, collocatis à tergo fortissimis equitum, qui cœteris pugnandi necessitatem adferrent. conf. *Homer. Il. δ. v. 297.* Auri tamen nihil heic partum. Et revertentem captivis & pecore Triballi exuerunt. Prudenter tamen Philippus, quod modicam ignominiam frustra tentatæ obsidionis subire maluit, quam pertinaciter urgendo impar cœptum tempus simul & vires disperdere, & aliis contra se præbere occasionē. Sanè enim ni fortunam sæpius, quam prudentiam in partibus habuisset Alexander, nostri filius, poterat Tyri obsidio rebus ipsius immedicabile vulnus infligere.

§. 25. Sed nimirum nihil sibi adhuc egisse videbatur Philippus, ni Atheniensium vires contudisset, qui soli Græcorum destinata ipsius remorari poterant. Illos hactenus fœderibus identidem renovatis averterat; ac nuper cum illa viderentur abrupta ipsis ad eximendum obsidio Byzantium concurrentibus, ultro missis legatis amicitiam instauraverat, quo incautis posset ingruere. Igitur refectis viribus repente Thermopylas trajecit, ne iis ab alio occupatis Græcia posset excludi. Etsi *Frontinus Strat. l. 1. c. 4. §. 6.* referat, præsidio quo Ætoli jam Thermopylas insederant, eluso, Philippum eas angustias evasisse. Repentino incursu occupatur Elatea, de cujus situ opportuno vid. *Strabo l. 9.* Quo audito ingens Athenis consternatio fuit exorta. Suadâ tamen Demosthenis erecti animi; simulque Thebani, fœdere licet Philippo juncti, suppetias tulere. Pugna committitur ad Cheronæam. Atheniensiũ tumultuariò scriptus miles Macedonum robori, assiduis durato bellis cedebat. Nec parum ad victoriam faciebat Philippi dolus, qui ut hostem, impetu duntaxat validum, defatigaret, de industria prælium trahebat, cessimque ibat, ac jam stando fessis signa acriter inferebat. *Frontin. l. 2. c. 1. Polyæn. l. 4. §. 2.* Chares quoque Atheniensium dux, artium bellandi rudis, documento erat, tanti esse exercitium, quanti est imperator. Etsi Athenienses, memores antiquæ gloriæ, strenue restiterunt, adversisque vulneribus ceciderunt, ipso Philippo laudante generosi militis indicium, stet seu cadat adversum hostem spectantis.

tis. Post victoriam modestia simulata. Hoc enim *Justino*, alias in nostrum parum æquo, malumus credere, quam quod alios de ipsius insolentia, à Demade castigata, tradidisse refert *Diodor. l. 16. c. 88.* conf. *Ælian. V.H. l. 8. c. 15.* Capti sine pretio dimissi, & pax, missis filio Alexandro & Antipatro, ultro oblata. In Thebanos asperius actum. Captivi venditi, occisorum sepultura non nisi pretio concessa. Principes civitatis pars necati, pars in exilium ejecti. Antiqui vero exules restituti, quorũ trecentis gubernationem civitatis victor commisit. Qui eo beneficio obstricti obnoxiam Philippo civitatem tenebant, simulq; plus quam hostili acerbitate eos vexabant, à quibus fuerant expulsi. Et justius sane poterat hisce irasci Philippus, quam Athenienfibus. In hos enim ipse perfidus; illi ultro hostilia sumserant, à Philippo licet de fœdere servando moniti. Et merebatur molliora ocellus Græciæ, de quo eruendo dum consultant Spartani, hoc respondisse Apollinem refert *Ælian. V.H. l. 4. c. 6.* τὴν κοινὴν ἑστίαν τῆς Ἑλλάδος μὴ κινεῖν. Thebani autem potentia recens parta insolentius usi plerisq; invisi erãt. Sic parum aberat, quin ultro Philippus Atheniensibus injuriæ temperamentum posset imputare.

§. 36. Jam igitur citra dubium Græcia infra Philippum erat dejecta. Quam tamen ille hautquidquam in provinciæ redigere formam audebat, aut instituta singularum urbium immutare, in tributum pecuniam egerere, præsidio urbes premere, quæve alia durioris sunt servitii. Nam neq; tumentes recenti libertate cervices tale jugum statim

ferre-

ferre poterant, neque in proclivi erat, tot civitates institutis, moribus, atq; æmulatione dissidentes in unum velut corpus compingere. Ideo destinatis suis in præsens sufficere credebat, si neq; ipsam metuere ulterius deberet, & viribus tamen ipsius suo uti posset arbitrio, eamque suis consiliis quocunq; modo haberet obnoxiam. Ab his initiis pressius subinde habenas erat adducturus. Igitur cum & ipse insatiabili gloriæ & potentiæ flagraret cupidine, nosletq; Asiam imbellem juxta atq; divitē, simulq; quam invisum Græcis esset nomen barbarorum, de bello in Persas transferendo publice spargit. Ad quod fors aliquid momenti attulerat oratio *Isocratis*, durante bello sacro conscripta. *Ælian. V.H. l. 13. c. 11.* conf. *Isocrat. epist. 3. ad Phil.* Omnes inde Græciæ civitates Corinthum evocantur, ubi cum multa verba de bello Persis inferendo fecisset, στρατηγὸς αὐτοκράτωρ omnium Græcorū contra Persas constituitur, Spartanis nequidquam refragantibus. Tum res Græciæ, prout sibi credebat expedire, componit, magistratusq; pro arbitrio cōstituit; quo modo populares civitates quam facillime retinentur. Neq; enim consultum erat longius movere, nisi prius rite compositis, quæ à tergo relinquēda. Ac ne facile se absente Græcia turbaret, effecturum credebat tum favore suscepti belli, tum quod ipsum florem Græcorum secum erat ducturus; qui gloriæ atq; prædæ participes suorum benevolentiam erga Philippum alerent, aut si hostilia molirētur, obsidum loco forent. Quorum posterius in simili casu multi ob oculos habuerunt. vid. *Curt. l. 8. c. 5.*

c. 5. *Polyb.l.3.c.33.Liv.l.21.c.21.Cæsar de B.G. l. 5.* ubi de trajectione in Britanniam. *Tacit.H. 1. 88.*

§.37.Enimvero gloriam superatæ Asiæ fata Alexandro reservaverant.Jam Parmenionem atq; Attalum cum parte copiarum præmiserat Philippus, tota mole belli ipse mox secuturus. Interea dum auxilia è Græcia congregantur,nuptiasCleopatræ filiæ,& Alexandri regis Epiri celebrat. Ubi nihil prætermissum,quod vel ad ostentandam regis magnificentiam, vel conciliandæ hospitum gratiæ faceret.Id insolens, quod in pompa cum duodecim deorum simulacris ipsius effigies tertio decimo loco transveheretur.Pleno jam theatro ipse candidatus prodit; spiculatores,ut longe absisterent, moniti,quo specimen præberet, salutem suam amore civium,non armis muniri. Sed ecce rerum humanarum vertiginem ! Dum ita superbus incedit, Pausanias repente accurrens ipsum confodit.(*Justinus* inter filium & generum medium tradit cæsum,quod vix probabile.)Iste adscitus inter satellites Philippi ab Attalo contumeliam erat passus fœdam dictu, de qua sæpius apud regem questus fuerat, sed qui in eum animadvertere ob affinitatem & autoritatem viri verebatur. Honoribus tamen & muneribus placare læsum studebat; (hoc enim *Diodor.*credere malumus,quam *Justino*, qui variis frustrationibus non sine risu dilatum ait;) quibus iste hautquidquam delinitus, ultionem ab ipso rege petere instituit.Confirmatum putant ab Hermocrate quodam sophista,qui percontanti,qua via quis inclarescere possit,responderit:si virum rebus

bus gestis clarissimum interficiat. Dum enim illius mentio habeatur, interfectoris quoq; memoriã servatum iri. Traditum quoq; fuit ab Olympiade imissum, quam non ita pridem domo exegerat ob suspicionem stupri, superinducta Cleopatra. Sane arguunt eam corona Pausaniæ in crucem sublato imposita, exsequiæ eidem ductæ; gladius, quo Philippus confossus, sub nomine Myrtalis ab illa consecratus; notumque furens quid fæmina possit. Quidam etiam Alexandrum filium in conscientiam cædis vocare non dubitarunt, quem inter atque patrem in nuptiis Cleopatræ acerba animorum exasperatio extiterat, vix post fideliter lenita. vid. *Plutarch. Alexand.* Neque inauditum inter principes, filios ante diem in patrios annos inquirere. conf. *Boccalin. cent. 1. relat. 56.* Ultionem tamen sumsit de consciis cædis paternæ, peragendis tristitiæ imitamentis, an tradito principibus more, ne cuipiam impune sit, quocunque sub prætextu regium sanguinem effudisse. vid. *Tacit. H. 1, 40. 4, 1. 44, 1.* Ferunt Philippum in Bœotia in æde Trophonii oraculum accepisse, ut sibi à quadrigis caveret. Inde nec ipse in quadrigas adscendit, & toto regno currus disjungi jussit, locumque, cui in Bœotia quadrigarum nomen, semper vitavit. Sed nimirum, ne oraculo fides videatur defuisse, fama est, quadrigas insculptas fuisse capulo gladii, quo est trucidatus. vid. *Ælian. V.H. l. 3. c. 45. Valer. Max. l. 1. c. 8. Cicer. de fato.* Omina futuræ cædis, quorum neque copia deest, & liquidissima interpretatio, post eventum, recenset *Diodor. l. 16. c. 92.*

c. 92. Regnavit annos 25. vixit. 47. postquam firma jecisset fundamenta rebus illis, quibus summum erat fastigium impositura felix filii audacia. Qui fato præ patre indulgentiore fuit usus, quo difficilius est, tenuibus ab initiis res modicas ad justum & solidum statum provehere; quam jactis jam fundamentis, & parata materia, aliquid superstruere. conf. *Tacit. A. 4. 7. 4.*

DE EXISTIMATIONE.

§. I.

EXistimationem famamque tueri integram, optimo cuique maxime cordi solet esse, & hanc qui amiserit, nullus judicatur. Sed & vegetissimum quemque animum vellicare deprehenduntur stimuli, ut subinde præstantiam suam præ aliis ostentare, atque inde aliis antihaberi ardeat. Quod antequam obtinuerit, etiam lautissimæ cætera fortunæ ipsum piget tædetque. Sic ut penitissime naturam humanam perspexisse sint censendi, qui pronunciant, omnem animi voluptatem in eo sitam esse, quod quis habeat, ut cum aliis sese conferens magnifice possit sentire de se ipso. Atque isti gloriæ igniculi, qui non nisi sublimiores animas creduntur adurere, multos quidem egregia patrare subegerunt. Verum ubi enormes, ac ratione non rite fuerunt temperati, haut

haut paucos perpulere, ut dum quacunque via ad laudem grassantur, aliis, & sibi demum ipsis exitium invenerint. Neque vero minori molimine super dignitatis eminentia multos videas certare, quam si de vita fortunisque omnibus ageretur. Sunt quoque, qui dum inanibus inflati stolide sese jactitant, cordatis ludibrium debent. Ut igitur solide intelligatur, quæ sit hominum nativa velut dignitas; quid per instituta civilia ipsi accesserit, quæ sint fundamenta, quibus unius præ altero eminentia nitatur, universam hanc materiam de Existimatione publicæ disquisitioni placuit exponere.

§. 2. Existimationem igitur commodissime videmur posse definire, quod sit Valor personarum in vita communi, secundum quem aptæ sunt aliis personis exæquari, aut comparari, eisque vel antehaberi, vel postponi. Habent scilicet non exiguam inter se cognationem duæ nobilissimæ species quantitatum moralium, Existimatio & Pretium, quarum illa in personis, hoc in rebus consideratur, quod ex illa Personæ, ex hoc res in vita communi æstimantur. Et quemadmodum pretia rebus eo potissimum fine sunt imposita, ut res invicem permutandæ, aut ab uno in alterum transferendæ, recte possint inter se comparari; sic & existimatio ei fini inservit, ut ratione istius tanquam valoris homines inter se queant comparari, quo decorus inter ipsos ordo, ubi conjungi eosdem contigerit, constitui possit; postquam omnimodam æqualitatem in genere humano sat commode servari hautquidquam posse satis adparebat.

§. 3. Pot-

§. 3. Poteſt autem Exiſtimatio in univerſum dividi in *ſimplicem*, & *intenſivam*. Quarum utraque conſideranda venit tam inter eos, qui in naturali utrinque libertate vivunt, quam qui eadem civitate continentur. In naturali autem libertate illos invicem vivere intelligimus, qui neque communi imperanti humano, neque alter alteri ſubjiciuntur.

§. 4. *Exiſtimatio ſimplex* inter eos, qui in naturali invicem libertate ſunt conſtituti, in hoc potiſſimum videtur conſiſtere, ut quis talem ſe ferat, & pro tali habeatur, quicum agi queat tanquam cum viro bono, & ad ſocialitatis humanæ leges ſeſe accommodare prono; quiq; adeo legem naturalem adverſus alios, quantum in ſe, obſervare ſit paratus. Scilicet uti rem, quæ qualemcunque uſum in vita humana obtinet, alicujus pretii eſſe dicimus: inutilem penitus nullius pretii vocamus; ita aliquem ſaltem valorem dixeris eſſe ejus, quicum utcunque tanquam cum animante ſociabili poteſt agi. Aſt ſi quis ineptitudinem ad ſocietatem palam oſtentet, quod fit, legem naturæ, & officia inde aliis debita proterve adſpernando & proculcando, eum merito nullius valoris hominem judicaveris.

§. 5. Exiſtimatio porro iſthæc conſiderari poteſt, vel ut *integra*, vel ut *deminuta*, vel ut penitus *conſumta*. *Integra* eſt, quando quis nondum per malitioſum aliquod & enorme factum ſciens volensque dolo malo legem naturæ adverſus alium violavit. Nam peccata infirmitatis humanæ

conditioni condonantur. neque per illa, statim opinio boni viri extinguitur, modo honestus animus, justumque sectari cupidus perstet. Atque isthæc existimatio omnibus adesse præsumitur, quousque ipsi per malitiam eandem non delibent. Adeoque naturaliter cuique hæc æqualiter dicenda est competere, ac citra antegressum pravum factum omnes æque honesti sunt judicandi. Quo spectat & tritum illud; quilibet præsumitur bonus, donec probetur contrarium. Neque obstant illa, quæ ab *Hobbesio de Cive c. 1.* prolixe disputantur de malitia humani ingenii, & ad lædendum alios libidine. Quæ si absolute vera sunt, sane jam quilibet præsumetur malus, donec contrarium probetur. Enimvero quod ille præsupponit principium, falsum est, *omnes homines sibi invicem posse, & velle nocere*. Non *possunt* immediate invicem nocere, nisi qui loco junguntur. Nam qui absens mihi nocet, id facit per aliquem præsentem. Neque res meæ nisi per præsentem perdi queunt. Sed nec *volunt* semper homines invicem nocere, quippe cum illi, qui ratione utuntur, satis intelligant, quibusvis velle nocere, in universum & ad diuturnitatem hautquidquam expedire. Et causæ, quæ ab illo afferuntur, quare homines sibi invicem velint nocere, particulares duntaxat sunt. Et multis horridum visum illud jus, quod natura cuivis in omnia dedit, semper per usum rectæ rationis temperari est intelligendum. Quia tamen homines sibi invicem *possunt velle* nocere, igitur naturaliter omnes homi-

homines habendi erunt pro bonis viris, sed qui mali fieri possunt, ac pro amicis quidem, sed quibus non usquequaque tuto fidas; adeoque status hominum naturalis invicem non quidem bellum proprie dictum erit, sed pax parum fida.

§. 6. *Diminuitur* isthæc existimatio per facinora malitiosa, inprimis enormia, contra jus naturæ aliis immerito illata; quæ efficiunt, ut non tutum sit aliis deinceps fidem ejusmodi deceptori habere, ac citra solidam cautionem cum ipso negotii quid habere aut contrahere. Diminuitur tamen per prava facta alicujus existimatio, non penitus consumitur. Nam etsi suspicari non improbabiliter possim, talem quemque fore erga me, qualem adversus alios sese gessit: id tamen non semper ita solet esse certum, quin interdum contrarium adpareat. Quippe cum peculiares potuerint existere causæ, quæ ipsum ad decipiendos alios irritaverint, quæ in me non deprehenduntur. Potuit & quis uno tempore pravis affectibus agitari, à quibus alio tempore ipsius animus est immunis. Et ex hisce explicanda trita quæstio, an fides perfido sit servanda? Scilicet si quis in eodem pacto non præstitit, quod promiserat, neque ego, quod promisi, præstare debeo; cum pacta mutua stent fide, & capita conventionum sibi invicem insint per modum conditionis; faciam si feceris. Quod si quis cum eo, à quo semel deceptus, denuo paciscatur citra peculiarem cautionem,

imprudenter ſane facit. Sic ut apud aliquos in proverbium abierit; qui ſemel me deceperit, illum dii perdant; ſi bis me deceperit, dii me perdant. Sicut & ubi tertius cum tali paciſci debeat, merito habet, quod majori circumſpectione utatur. Si tamen iſte aut hic, non obſtante morum opinione, cum tali contraxerit, fides utique erit ſervanda; cum eo ipſo, dum paciſcitur, iſti exceptioni cenſeatur renunciare; quod alias nihil inter ipſos actum foret. Niſi forte poſt pactum initum certa adpareant indicia, ipſum id agere, ut me decipiat. Tunc enim alterius fraudulentiæ ſeſe ultro præbere ſumma foret ſtoliditas. Poteſt tamen iſthæc exiſtimationis macula, ex prave factis contracta, deleri, præſtita ultro damni dati reparatione, aut æſtimatione, atque editis animi pœnitentis ſignis. Hæc enim ſponte elicita ſufficientem poſſunt fidem facere animi ſerio emendati.

§.7. Aſt vero hanc exiſtimationem penitus *conſumit* vitæ genus, & inſtitutum, directe ſpectans ad aliis promiſcue nocendum & rem ex manifeſtis aliorum injuriis faciendam. Equidem dantur & in civitatibus quædam vitæ genera, quæ exercitium certi cujusdam vitii profitentur; quali vitæ genere inquinantur meretrices, lenones, validi ac vagabundi mendici. Item apud Ægyptios fures profeſſi; de quibus *Diodorus Siculus l. 1. c. 80. Qui furtis operam dare volunt, nomina apud furum principem profitentur, & è veſtigio furtum ex pacto ad eum referunt: qui res ſuas amiſerunt, conſimiliter unumquodlibet amiſſorum literis conſi-*

consignatum exhibent, locumq; ac diem, quibus jacturam fecerint, adscribunt. Hoc modo cunctis facile repertis fraudatus taxatione rerum facta, quadrantem horum persolvit, & tum sua recuperat. Cum enim fieri non possit, ut omnes à furto abstineant, viam legislator invenit, quo tota res sublata præter exiguum redemtionis pretium servaretur. Enimvero crediderim pauciori privatorum dispendio id genus hominum posse sustentari, adhibitis diligenter ergastulis, virgis atque restibus. Talium quantilla sit existimatio, civitatis, quæ illos tolerat, est determinare. Saltem communi hominum jure frui debet, cui publice vitii professio exercenda indulgetur. Quo spectat illa expostulatio lenonis apud *Terent. Adelph. act. 2.* sc. *1. Leno sum, fateor, pernicies communis adolescentium, perjurus, pestis: tamen tibi à me nulla orta est injuria.* Item illud *Ulpiani in l. 4. §. 3. ff. de condict. ob turp. caus. Meretricem turpiter facere, quod sit meretrix; non turpiter accipere, cum sit meretrix.* Ast naturalem Existimationem vehementer profligari per vitæ genus, qualiscunque vitii professionem habens, constat; ni tamen illud vitium cum aliorum injuria sit conjunctum, non videntur tales tanquam communes omnium hostes posse tractari. Verum quorum professio injuriam aliorum habet propositam, quique adversus quoslibet homines, aut illos saltem, qui extra ipsorum consortia degunt, promiscuè eadem, quâ in bestias, licentia utuntur, eos penitus illa existimatio

deficit, qua quoslibet aliàs homines metimur. Inter quos referuntur piratæ, prædones, latrones, sicarii, manticularii, & id genus alii. Nec ab isto censu eximuntur, si qui non ad extremũ in omnes promiscue sævire soleant; puta, quod alii contenti res rapuisse, cædibus abstineant, aut crumena pallioque deliniti recedant. Nam justitiæ laudisque nihil habet, non omnes numeros injustitiæ explere. Æque mihi fures & prædones, qui interdiu tantum rapinam exercent, aut à bobus aratoribus abstinent: aut qui rapta æquo precio, si velint, dominis redimenda concedunt. Sic ut probari hautquidquam queant, quæ in excusationem, ut videtur, antiquorum illorum, quibus rapto vivere quæstus erat, afferuntur *Hobbesio c. 5. §. 2.* Quale genus vitæ plerosque veterum Græcorum agitasse memorat *Thucydides l. 1.* Et Heniochos *Strabo l. 10.* Nam neque ista licentia ex jure illo, quod natura ex mente *Ipsius* dedit in omnia, deducitur, & qui paria reponit illis, qui ex ipso prædas egerunt, nõ exercet ληςρικὴν, sed justum bellum gerit. Sed & quin sub hanc classem referri debeant integri cœtus piratarum & latronum, quamdiu quidem isti vitæ generi non renunciaverint, dubio caret; utut forte instar aliquod justitiæ inter se videantur exercere. Imò nec excluserim integras, si quæ essent, civitates, quæ coiverint quidem juris inter suos cives fruendi causa; de cætero autem in alios omnes hostilia exerceant, nulla pactorum & fidei aliis datæ ratione habita. Quod si autem sint civitates, quæ pacta cum aliis inita servant, sed vel adversus

versus quosvis alios, vel saltē adversus certas gentes quædam juri naturæ non congruentia citra justam causam inferre sveverunt; iis omnem existimationem detrahere non licebit, etsi eam non parum deformatam existere liquet. Id quod videtur adplicari posse ad incolas Barbariæ, qui pacta utcunque servant, & Muhamedanos suos non deprædantur; præsertim cum dicere possint, dari quoque inter Christianos, quibus implacabile in Muhamedanos bellum gerere officium habeatur.

§.8. Cæterum affectus, qui ejusmodi homines existimatione penitus destitutos apud alios consequuntur, hi fere sunt; ut nisi vitam istam cruentam & rapacem abdicatum eant, ab aliis non magis parci ipsis conveniat, quam lupis, aut aliis truculentis belluis. Et ubi deprehensi fuerint, atrocius plerunque solent tractari, quam alii hostes, utut & hi ultima nobis intentaverint. Sed & indigni habentur, quibus ullum humanitatis etiam simplicis officium exhibeatur, quippe quo ad nocendum aliis confirmantur. Quin & uti in ipsorum fide, si quam dare velint, nihil fiduciæ locandum, cujus apud alios opinionem vitæ ipsorum atrocitas elidit; ita nec fidei ab aliis datæ ipsos capaces esse, quamdiu istius scelestæ vitæ continuationem præ se ferunt, (id quod semper præsupponitur,) non absurde videtur asseri posse. Vel enim ultro cum tali paciscor, vel vi ipsius injusta compulsus. Prius quomodo fieri queat non video, nisi ut & ipse scelerum ejus contagione

inficiar, dum tanquam cum amico ago, qui se communem omnium hostem, præterquam suorum complicum, fert. Quid quod sæpe fidem latroni servare, v. g. in deposito, cum injuria aliorum est conjunctum. conf. *l.31.§.1.ff.Depositi.* Quod si autem latro operam mihi aliquam utilem præstiterit, qualem quidem abs tali acceptare mihi non turpe fuerit, æquum sane videtur, ut promissam mercedem ipsi solvam. Sed tunc iste latro non amplius erit, qualem heic supponimus, communis omnium, præter suorum sociorum, hostis. Sed ad quæ pacta ipsi metu alios compellunt, ea non solum vitæ genus, sed & metus iste ipso jure (loquimur heic ex lege naturali,) facit nulla; non obstantibus argumentis, quæ afferuntur à *Grotio l.2. c.11.§.7.* & *Hobbesio de Cive c.2.§.16.* Quin nec ista pacta, accedente licet jurejurando, valida fieri probabiliter defendi posse arbitramur. Quicquid contra tendat *Grotius l.2. c.13. §.15.* Cæterum recuperari potest ejusmodi hominum amissa existimatio, si vitæ genus scelestum exuerint, aliudque honestum susceperint. Quod non in singulis duntaxat hominibus, sed & integris in cœtibus latronum & prædonum procedit. Ex quo tempore cum illis tanquam cum honestis hominibus erit agendum. Ut tamen prius injuriarum datarum reparationem fecerint, aut condonationem obtinuerint.

§.9. *Existimatio simplex intra civitates degentium est,* qua quis pro membro saltem vulgari, eoque integro civitatis reputatur; seu ut quis juxta leges & mores civitatis pro vitioso ejusdem mem-

membro non fuerit declaratus, & aliquo esse numero, caputque habere intelligatur. Isthæc porrò existimatio in civitate deficit vel ex *mero statu*, vel ex *delicto*. Prius contingit itidem duplici modo, vel ut status in se naturaliter nihil turpe habeat, vel ut cum vitio aliquo, aut saltem ejus opinione, sit conjunctus.

§. 10. Solus status, qui natura sua nihil vitiosi habet, existimationem simplicem in multis civitatibus adimit mancipiis, quæ pro personis civilibus non reputantur; seu quæ caput civile non habere, nulloque numero intelliguntur esse. Quam vilis istorum conditio apud Romanos fuerit, notissimum. Speciminis loco potest esse, quod leges, quibus pœna stupri, aut adulterii constituta est, ad mancipia pertinere non existimabantur. vid. *l. 6. ff. ad L. Juliam de adulter. l. 23. l. 29. C. d. t.* Item quod testimoniis etiam juratorum pro tribunali nihil fidei fuerit tributum, sed non nisi per tormenta ex illis fuerit quæsitum; quasi non honestas aut conscientia, sed solus dolor abs tam vilibus hominibus verum posset elicere. Nec major servorum, saltem gentilium, æstimatio apud Ebræos, qui servo familiam, cognationem, prosapiam negabant esse. Adeoque utut ipse in servitute constitutus prolem procreasset, manumisso tamen eadem non proderat ad hoc, ut censeretur satis fecisse præcepto divino, *crescite & multiplicamini*: sed denuo post manumissionem uxor erat ducenda, & proles suscipienda. Quasi non hominem procreasset, qui servum generaverat.

Vid. *Selden.de J.N. & G. l. V. c.3.* qui *l. V. c. 17.* refert, apud eosdem servorum & ancillarum è gentilibus in servitutem redactarum cognationis ante manumissionem nullam fuisse habitam rationem in re concubitus. Qua in parte melius Romanæ leges etiam in servilibus cognationibus naturalem pudorem volebant inspici. vid. *l. 14.§.2. ff.* de *rit. nupt.* Sicut & naturale discrimen inter servos atque liberos melius videtur æstimasse Lycurgus, de quo est ap. *Ælianum V. H. l. 12. c.43.* Mothaces vocabantur servi locupletiorum, quos patres in gymnasia exercitatum simul cum filiis mitterent. Ὁ δὲ συγχωρήσας τοῦτο Λυκοῦργος τοῖς ἐμμείνασι τῇ τῶν παίδων ἀγωγῇ πολιτείας λακωνικῆς μεταλαγχάνειν. In quibusdam etiam civitatibus sat tenuis spuriorum existimatio; cum tamen, quod tali modo sint geniti, non ipsorum, sed parentum culpa versetur. conf. *l. 5. C. ad SCtm Orfitianum*, & *Stobæum serm. 75.*

§. 11. Posteriori modo status existimationem civilem tollit aut minuit, quod in isto constituti circa talia negotia occupantur, quæ sine vitiis obiri non possunt, vel propter sordes non nisi à vilissimi & abjectissimi hominibus animi exercentur. Quo loco prioris sortis homines censeantur, ex cujusq; civitatis legibus aut moribus patebit. Ad posteriorem classem pertinet, quod in multis civitatibus carnifices, lictores, foricarii, & similis farinæ homines ab honestiorum consortio

tio excluduntur; non tam quod legibus civilibus hoc sit constitutum, quam quod communi consuetudine & opinione talibus misceri pudendum habeatur. Idq; tum quia ministeriis illorum, cum atrocitate & fœditate conjunctis, plerunque mores solent respondere; tum quia non nisi viles animæ ad talia ultro sese adplicant. Aliquando & certa vitæ genera professi per ipsas leges inveniuntur notati. Uti sunt ex LL. Romanis, qui mercedis causa in scenam prodeunt. vid. *l. ff. de his, qui not. infam.* aut qui operas suas, ut cum bestiis depugnarent, locaverint. *l. 1. §. 6. ff. de postuland.* Ubi infamiæ irrogandæ fundamentum non tam consistit in aliquo malo facinore, cum talia etiam innoxie possint obiri; sed quod ista ob lucrum patrare tanquam fœdissimum Romanæ indoles gravitatis aversaretur. Sic & iisdem legibus non nisi ob suspicionem animi levissimi, & fidei amorisque desultorii infamiam pariebat, intra tempus luctui destinatum filiam viduam alteri nuptum locasse, talem duxisse, aut sub sua potestate constitutum pati ducere, aut hoc modo nubere.

§. 12. Ex antegresso autem delicto existimatio simplex civilis penitus deficit, quando quis juxta leges ob certum delicti genus, (nam omnia delicta civiliter existimationem non extinguunt,) infamia notatur; idque vel ut vita naturali simul expelatur, & memoria quoque ejus damnetur, vel ut cum infamia civitate penitus ejiciatur, vel ut in civitate quidem retineatur, non tamen velut membrum integrum, sed tanquam in-

H 6 fectum;

fectum, ut qui domicilio quidem civitatis, & communi legum tutela gaudeat, muneribus tamen publicis ac honestis societatibus exclusus, & ad exercendos actus legitimos, existimationem præsupponentes, inhabilis. Quæ autem crimina sint, talem infamiam conciliantia, ex cujusque civitatis legibus cognoscendum. Conf. *l. 5. §. 1. 2. 3. ff. de extraord. cognit.* circa quam tamen observandum, in uno atque altero exemplo non satis accurate distingui existimationem simplicem, ab intensiva. Notanda quoque heic lex Ægyptiorum, quæ ordinum desertoribus, aut imperatorum jussa non exsequentibus, non mortis, sed infamiæ extremam pœnam decernebat. Quod si postea ignominiam strenuitate aboleverint, in pristinam dignitatem restituebantur. Ita cum ignomiam gravius morte supplicium fecerit legislator, simul infamiam pro summo malo habendam docere voluit: simul nihil morte affectos vitæ communi profuturos amplius: honore vero dejector pristinæ ingenuitatis desiderio plurimum adhuc boni effecturos censebat. *Diodor. Sicul. l. 1. c. 78.*

§. 13. Observandum porro est ex mente JCtorum Romanorũ, turpia facta, quibus infamia contrahitur, notari vel immediate ipso jure, vel antegressa cognitione & condemnatione judicis, vel honestorum virorum quadam velut censura; quam vulgo vocant infamiam facti. vid. *l. 13. C. ex quibus caus. infam. irrog.* add. l. 2. ff. de *obseq. parent. præst.* l. 20. ff. *de his qui notant. infam.* l. 25. C. *ad L. Jul. de adult.* Circa quam tamen

infa-

infamiam facti judicaverim, illam non tam immediate resultare ex opinione virorum gravium, quam ex ipsa quoque lege infligi ideo, quod talia facta virorum gravium opinione damnantur, ac fœda habentur. Nam utut turpe sit, viris probatis non probari, tamen nisi declaratio legis accedat, solo privatorum judicio nemo jacturam facit existimationis hactenus, ut excludatur emolumentis & juribus illis, quæ integram existimationem ex legibus civilibus comitantur. Unde & illud apparet, non statim fieri infamem, qui accusatus fuit de crimine infamiam pariente, aut cui illud est objectum; nisi de eodem fuerit condemnatus, aut idem agnoverit. Id quod etiam facere censetur, qui cum actore paciscitur, ut is ab accusatione desistat: quoniam intelligitur confiteri crimen, qui paciscitur. *l. 5. ff. de his qui not. inf.* Nisi forte ostendi queat, non conscientiam criminis, sed alias fuisse probabiles causas, puta vexationem fori, judicis immanitatem aut inimicitias, ut quis maluerit pacto cum actore defungi. Quanquam autem eo ipso integram quis existimationem intelligatur retinere, si super objecto crimine à judice fuerit absolutus; tamen ut rei innocentia eo latius innotescat, simul puniendo calumniatori, in multis civitatibus receptum, ut ipse actor ad palinodiam adigatur, se ipsum mendacii arguere, deprecari, reoque honorem exhibere cogatur, & si quæ sunt alia.

§. 14. Ex hisce id quoque facile intelligitur, veram infamiam non posse alicui inde conci-

liari, quod injurias verbis aut re ſibi illatas non propriis armis, uti quibusdam in locis inter nobiles cumprimis & militares viros pravus mos invaluit, ſed per magiſtratum vindicare, aut easdem tacite concoquere voluerit; modo iſta patientia non arguat fœdi alicujus facinoris confeſſionem. Id quod olim apud priſcos Teutonicos populos videtur habuiſſe detrectatio duelli, quod in probationem juris, aut purgationem objecti criminis adhiberi moris erat. vid. *lib. 2. tit. 32. 33. Conſtitut. Sicularum* & *Frideric. Lindenbruch.* in *Gloſſario LL. Antiq.* voce *Duellum & Campio.* Etſi morem iſtum defendere non placeat. Habet equidem multum ſegnitiæ & timiditatis viro indecoris, quasvis injurias & inſultationes deglutire, nec ad defenſionem libertatis aut juris ſui ſtrenue accingi. Tamen ſi quis quarundam injuriarum vindictam cum judicio magis adſpernetur, quam per formidinem deſerat, celſi ſatis animi documentum edit. Neque in eo quid eſt, quod exiſtimationem naturalem aut civilem extingvat. Multo minus autam infamia contrahitur in illis civitatibus, ubi privata injuriarum exſecutio expreſſe per leges eſt interdicta, ſi quis legibus potius parere, quam obtentu vani honoris periculo ſimul pugnæ ancipitis, legumque ſeveritati ſeſe velit exponere. Neque ſemper ſignum timiditatis eſt, cum alio quavis de cauſa in pugnam nolle deſcendere, vitæque & fortunarum diſcrimen temere ſubire; cum aliæ longe tutiores, & vitio carentes dari queant occaſiones, quibus quis fortitudinem

ſuam

ſuam queat oſtentare. Exemplum Pulſionis & Vareni centurionum vid. ap. *Cæſarem* de B. G. l. 5. Neque cordatum vulgi heic vocabula debent movere; cum cujusque civis exiſtimatio judicio ſummi imperantis, legumque ſtet cadatque, & in eo virtus ſit, legibus velle parere, ſpreta inani maleferiatorum hominum opinione.

§. 15. Manifeſtum porro & illud eſt, exiſtimationem ſimplicem, tam naturalem quam civilem, non poſſe alicui adimi per imperantem pro mero arbitrio, niſi ex antegreſſo ipſius delicto, quod ſui fœditate, aut per legum ſanctionem expreſſam, infamiam habet comitem. Nam cum talis poteſtas nullo modo poſſit facere ad conſervationem aut emolumentum civitatis, eandem in nullum imperantem fuiſſe collatam intelligitur. Quanquam uti per injuriam imperans civem civitate poteſt ejicere: ſic itidem per injuriam poterit iſtum privare exiſtimatione civili, ſaltem hactenus, ut ſpolietur emolumentis illis, quæ exiſtimationem integram in civitate comitantur. Intrinſeca illa & naturalis exiſtimatio non magis tali adimetur, quam ipſius honeſtus animus. Accedit, quod contradictionem involvat, infamem aliquem declarare ex nuda libidine, id eſt, arguere aliquem affinem fœdorum criminum, non quia revera iſta patravit, ſed quia innoxium hoc modo tanquam noxium tractare placet. Sed & illud certum videtur, neminem civem obligari, ut exiſtimationem ſuam ſimplicem civitati impendat, ſeu ut veram infamiam contrahat

propter

propter utilitatem civitatis, Facta enim turpia, ex quibus vera infamia oritur, neque à civitate imperari possunt, neque à cive præstari debent.

§. 16. Illud non ita liquidum est, an ab honesto cive postulari queat, ut ipse Principis aut civitatis infamiam in se suscipiat, seu pro ipsius sceleribus sese velut reum subdat? Heic etsi videatur, vix posse quenquam sese scelestum sine scelere fingere; putaverim tamen distingvi debere inter delicta Principis domestica sive privata, & publica, seu quæ in totam civitatem redundant. Circa priora, ut quis se pro Principe reum subdat, neque hic honeste postulare potest; neque ille præstare, eo nempe fine, ut vel plausibilem prætextum sceleri Principis suppeditet, vel maculam, quæ hujus existimationem naturalem affectura erat, in se derivet. Nam civilem existimationem Principi supra judicia civilia posito nemo ademerit. Neque puto quenquam cordatum probaturum illud Aniceti factum, qui Octaviæ sese adulterum jactabat, ut Neroni prætextus foret ipsam matrimonio exturbandi. vid. *Tacit. A. XIV. 62.* Solet tamen non raro contingere, à ministro quidpiam tractari cum aliis ex mandato Principis, sed ita ut in reip. damnum sit redundaturum, si publico id consilio factum appareat; quod damnum declinari queat, culpa in ministrum collata, quasi privato id ausu ab ipso fuerit susceptum. Heic arbitror bonus civis non detrectabit ad avertendum à civitate sua magnum malum simulare, nullo publico mandato sese id egisse, modo ficta dun-

duntaxat infamiæ pœna defungi liceat. Nam mortem aut deditionem eo nomine pati, durum nimis foret. Illud autem quicquid est simulatæ pœnæ facile iterum tolli, aut alia via pensari potest. Cæterum id manifestum est, infamiam civilem aboleri posse per eum, cui eandem infligendi potestas est. Ita tamen, ut siquidem illa fuerit inflicta ex flagitiis, restitutio famæ tantum producat effectus civiles externos integræ existimationis; naturalis existimationis labem hautquidquam tollat.

§. 17. Existimatio *intensiva* est, secundum quam personæ, alias quoad existimationem simplicem æquales, sibi invicem præferuntur, prout uni præ altero insunt, queis aliorum animi ad exhibendum honorem permoveri solent. Est autem honor, qui intensioni existimationis respondet, proprie significatio judicii nostri de præstantia alterius; adeoque revera honor est non in honorato, sed in honorante. Etsi metonymica quadam ratione ipsa quoque existimatio, seu id, quod honorem meretur, eo vocabulo insigniatur: ut & peculiariter certi status, quos honor comitatur, honores dici sveverunt, quod regulariter illis conferantur, qui alios præstantia antecellunt. Argute porro ab *Hobbesio cap. 1. §. 2.* observatum est, causam gloriationis & honorem, cum comparatione & præcellentia constet, si omnibus adsit, nemini adesse. Neque societatem inter multos homines, aut multi temporis iniri posse gloriæ causâ, seu ut socii mutuo sese adjuvent ad nanciscen-

ciscendam gloriam & honorem. Quippe cum tanti quisque inter homines judicetur, quantum sine aliorum ope ipse potest. vid. *Senec. epist 27.* de Calvisio Sabino. Sicut & idem *Hobbesius d. l.* eleganter ostendit, quomodo in omni genere congressuum, qui ob voluptatem animi instituuntur, quilibet seipsum cæteris anteferre nitatur; adeoque homines quam maxime honoris & gloriæ stimulis agitentur.

§. 18. Potest autem existimatio isthæc intensiva considerari vel inter eos, qui invicem in *naturali libertate vivunt*, vel qui *eadem civitate continentur*. Deinde expendenda erunt *fundamenta* istius intensionis, & quidem prout producunt vel *aptitudinem* duntaxat ad honorem ab aliis expectandum, vel *jus* proprie dictum, quo idem ab aliis tanquam debitus postulari queat.

§. 19. Fundamenta intensivæ existimationis in genere censentur omnia illa, quæ insignem aliquam præstantiam aut perfectionem habent, (*Cicer.* de *natur. deor. l. 1. habet venerationem justam: quicquid excellit.*) aut eandem judicantur arguere; & quidem talem, cujus effectus cum fine legis naturalis aut civitatum congruit. Nam stulto vulgi judicio eos quoque interdum videas celebrari, qui circa vitium aliquod exercendum cumprimis sese strenuos exhibent. Uti sunt potatores bicongii, & tricongii, & in quos cadit illud *Juvenalis sat. 4. Nulli major fuit usus edendi tempestate mea. Aristophan. Acharnen.* act. 1.

act. 1. sc. 2. οἱ βάρβαροι γὰρ ἄνδρας ἡγοῦνται μόνους τοὺς πλεῖστα δυναμένους καταφαγεῖν τε καὶ πιεῖν. Item acerrimi præliatores Venerei, ῥιψοκίνδυνοι, astutissimi fures, & & id genus homines vitiorum suorum antesignani. Qui tamen quo perfectius artificium suum callent, eò nequiores a probis viris habentur. Etiamsi ista sæpe robur corporis, aut vividum animum arguant, sed qui in prava detortus eo vehementius vitiis exuberat, quo majore vigore florescit. In specie autem inter ista fundamenta sunt perspicacia mentis & capacitas animum variarum notitia rerum excolendi, maxime ubi actu capacitas ista fuerit impleta. Idoneum circa res gerendas, & discernenda ambigua judicium. Animus firmus, & per externa inconcussus, illecebrisque & terroribus superior. Facultas decore & copiose animi sensa explicandi. Tum robur, decus & dexteritas insignis corporis, prout isthæc præclari animi indicia vel instrumenta judicantur. Nam illud nimis quam simplex, quod tradit *Themistius orat. XIV.* Αἰθίοπες ἐχειροτόνουν τὸν βασιλέα πήχει καὶ μέτρῳ γνωματεύοντες τὴν ἀρετήν. Præsertim cum frequenter huc trahi possit illud *Oppia. Cyneget. l. 2. v. 68.* μείοσι μὲν μείζων τελέθει, μεγάλοισι δὲ μείων. Bona præterea quæ vocantur fortunæ, prout arguunt vel dexteritatē in adquisitione, vel facultatem aut materiam præclara patrandi. Maxime autem existimationem inten-

intendunt res egregie gestæ, quod & illæ intrinsecam præstantiam præsupponant, eamque in usum deductam, & ad legitimos fines adhibitam ostendant. *Aristot. Rhetor. l. 1. cap. 5.* τιμῶνται δὲ δικαίως μὲν καὶ μάλιστα οἱ εὐεργετηκότες, οὐ μὴν ἀλλὰ τιμᾶται καὶ ὁ δυνάμενος εὐεργετεῖν. Et quidem prout illa præstantia, aut res gestæ in plurimorum notitiam pervenerunt, *Claritas* proprie dicitur. Ubi autem comitatur aliquem apud alios opinio peculiaris prudentiæ ac sapientiæ circa dextre determinanda dubia practica, aut veritates theoreticas, *Autoritas* nuncupatur. Neque alio intuitu ætas provectior æstimationem judicatur intendere, quam quia ex multo rerum usu, & diuturna contemplatione negotiorum humanorum prudentiam conciliasse putatur. vid. *l. 5. ff.* de *Jure immunitatis. Diodor. Sicul. l. 19. c. 34. In omnibus sic comparatum videtur, ut plus reverentiæ & honoris grandioribus natu, quam minoribus exhibeatur.* Etsi non desint, in quos quadret illud *Ovidii metamorph. l. 9. fab. 11. Qui propter amara senectæ Pondera despicitur, nec quo prius ordine regnat. Strabo l. XV. Indi ætati senum prærogativam nullam tribuunt, nisi prudentia excellant.* Sed & sexui masculino majorem præ fœminino dignitatem tribuere putatur *l. 1. ff. de Senatoribus* add. tamen *Jacob. Godofr. de præcedent. part. 1. c. 5. §. 35.* Quanquam in universum sexus fœmininus cum masculino quædam existimationis fundamenta habet

habet communia; quædam peculiaria, uti est præcellentia in virtutibus & functionibus, quæ in eum sexum præcipue judicantur cadere; quædam demum mutuatitia, ut quod radiis maritorum dicuntur fulgere, aut quod se numero & præstantia prolis quam maxime efferunt. vid. *Ovid. metam. 6. fab. 4. 5. 172. seqq. 181. Valer. Max. l. 4. c. 4. §. 1. Plutarch. in C. Graccho.* de Cornelia.

§. 20. Porro de omnibus hisce existimationis intensivæ fundamentis observandum, ea in se non producere, nisi aptitudinem seu jus imperfectum ad habendum ab aliis honorem & venerationem; adeoque si eundem aliis etiam meritis quis denegaverit, non potest dici injuriam fecisse, sed duntaxat inhumanitatis, aut si ita loqui licet, incivilitatis notam sibi contraxisse. Nam inter eos, qui in naturali invicem libertate vivunt, adeoque naturaliter invicem æquales sunt, & ubi quilibet rerum suarum & actionum est arbiter, non adparet, quomodo quis ab altero jure suo honorem & venerationem postulare queat; cum ob naturalem illum amorem, quo quisque se & sua prosequitur, judicare possit, talia in se esse, quæ omnino paria sint aut superiora illis, quibus alter sese effert. v. g. Ostentat aliquis canos suos; ast alter juvenilem vigorem suum istis longe potiorem habet. Alium spes sua æque, atque alterum res inflant. Ferox est Ajax robore corporis: ast Ulysses prudentia, & facundia longe se præferendum isti judicat. Alius divitias jactat, alius animum regum opes æquantem. Deinde cum

cum delatio honoris ac venerationis eliciatur per id, ut quis agnoſcat præcellentem in altero præſtantiam, ſeque eam ob rationem ipſi ultro ſubmittat, & vero hoc per vim externam non poſſit extorqueri, quæ contumaciam potius animi obfirmat; patet inconveniens eſſe iſtis fundamentis in ſe tribuere vim juris perfecti, quod etiam vi armisque poſſit aſſeri. Accedit, quod cum intrinſeca veneratio per vim non poſſit extorqueri, externa autem ſigna, ni ex animi ſubmiſſione proficiſcantur, ſint inania, & ludibrium potius, quam honor; ſtultum ſane fuerit propter inanium denegationem in arma ruere. Inprimis ſi alter proteſtetur, ſe venerationem omittere non ex contemtu, ſed quia libertate ſua naturali velit frui; quæ ipſi indulgeat, non cogi per vim ad illa, quæ ex ipſius arbitrio & humanitate debeant dependere. Sicut maſcule quondam Scythæ ad Alexandrum: *Qui ſis, unde venias, licet ne ignorare in vaſtis ſylvis viventibus? Curt. l.7. c.8.* Ex quibus manifeſtum eſſe videtur, etiamſi rationi naturali congruum ſit, ut præſtantioribus honor deferatur; imò ſi quis velit per nos quoque inter ſe præcepta juris naturalis poſſit referre, digniores eſſe honorandos; id tamen officium inter illa eſſe numerandum, quæ alter ſuo jure non poſſit à me exigere, ſed quorum præſtitorum laus meæ humanitati, ac civilitati ſit relinquenda. Uti plurima aliarum virtutum officia, ad quæ præſtanda nobis obligatio imperfecta, aliis ad eadem habenda duntaxat aptitudo eſt. Verum ut quis ſuo jure poſſit

possit honorem aut quodvis ejus signum ab altero postulare, necessum est, ut vel imperium in ipsum obtineat, vel ex pacto tale sibi jus quæsiverit, aut ex lege per communem utrique dominum lata, vel adprobata.

§. 21. Cæterum inter privatos quidem super honore atque eminentia illud pulcerrimum fuerit certamen, si inter se contendant, quis promtior fuerit in honore deferendo, aut modestior in eodem deprecando. Et merito ridentur, qui super isto acrius certaverint, præsertim ubi idem sterilis, & nullo cum emolumento fuerit conjunctus. Ineptus, *per medium pugnat*, qui *prior ire lutum. Martial. l. 10. epigr. 10.* Sic ut merito commendari debeat sententia illius Principis, lata in duos ministros minorum gentium, super priori loco in templo contendentes; ut qui stultitia inter ipsos excelleret, priori loco sederet. *Seneca de Ira l. 3. c. 37. Minus honorato loco positus irasci cœpisti convivatori, vocatori, ipsi qui tibi præferebatur. Demens, quid interest, quam lecti premas partem? Honestiorem te aut turpiorem potest facere pulvinus?* Nam quod *Quintil. declam. 252. honorem* vocat *pretiosissimum pauperum censum;* id de existimatione simplici capiendum est. Enimvero inter Principes atque integros populos super eminentia dignitatis, & quæ inde dependet, præcedentia, majore prætextu nullis fere non seculis certatum deprehendimus. Sic ut in plurimos congruat illud ap. *Ovidium l. V. Fastor. Turbaque cælestes ambitiosa sumus.* Eas ad lites componendas quæ argu-

argumenta soleant adferri, operæ pretium puto fuerit paulo pressius considerasse. Illud igitur extra controversiam est positum, si unus principum ab altero dependeat tanquam à superiore, hunc isto esse digniorem, eique præ hoc deberi præcedentiam ex jure perfecto: utut fortasse pari uterque titulo gaudeat. Sic dantur exempla magnorum regum, qui alios sub se habent reges nomine, revera magistratus & gubernatores provinciarum. Quidam regna sua abs aliis agnoscunt tanquam feuda, alii alio titulo. Sic apud *Tacit. Agricol. Vetus ac jampridem recepta populi Romani consvetudo* vocatur, *ut haberet instrumenta servitutis & reges*. Et qui fœdere inæquali alicui jungitur, iis eo ipso alterius dignitatem eminentiorem fatetur, dum ad ipsius majestatem comiter colendam sese obstringit. Sed & illud dubio caret, ubi Princeps aliquis pro sua persona, aut tanquam caput suæ civitatis adversus alium jus præstantioris dignitatis, & præcedentiæ quæsiverit ex pacto, aut per consvetudinem & patientiam alterius, cujus nulla probabilior ratio possit proferri, quam quod hic istum se digniorum agnoscat; ei juri posse inhæreri, quamdiu durat iste velut character dignitatis, sub quo jus illud fuit quæsitum. vid. *Jacob. Godofred. de Præcedent. part.* 1. *c.* 1.

§. 22. Enimvero ubi nondum alicui tale jus fuit quæsitum, variis quisque argumentis sibi præ aliis dignitatem eminentiorem it assertum. Inter ea præcipue solet allegari antiquitas regni atque familiæ; amplitudo & opulentia ditionum, & potentia:

tentia; qualitas potestatis, qua quis imperium in suo regno gerit; & splendor tituli. Antiquitatem civitatibus & familiis venerationis quid addere persuasum vulgo est; jactantque inprimis, qui isthac nituntur, sese jam tum sua dignitate exsplenduisse, cum alia regna adhuc vilis pars servientium forent; aut cum familia illa, quæ jam novo diademate superbit, adhuc intra plebejam obscuritatem latitaret. Nefas esse de dignitate contendere adversus illum, cujus majores alrerius majoribus poterant uti ministris. Esse hanc velut naturalem & communem legem, ut quæ posterius tempore producuntur, prioribus subsint. Excurritur dehinc in magnificam commemorationem eorum, quæ ab isto regno, aut per familiam regnatricem præclare bello ac pace gesta sunt. Quorum novi isti parum aut nihil ostentare queunt. Potentia autem veneratione terrorem quoque miscet: & non imprudens solum, sed & temerarium videtur cum illo de dignitate velle contendere, cui plurima facultas nobis benefaciendi juxta atque nocendi. Et efficacissimus videtur modus ambiendi honores, si quis demonstrato suo gladio possit dicere; *si vos non vultis, hic faciet.* Sed & eminentius judicatur summa libertate gaudentem soli DEO subesse, quam legibus humanis aut pactis degere obnoxium. Denique cum per titulos res ipsa censeatur exprimi, tituli quoque splendorem & amplitudinem non inferiorem dignitatem arguere.

§. 23. Isthæc & similia, utut in contentione dignitatis sat plausibiliter possint jactari; faten-

dum tamen eſt, ea omnia per ſe non producere, niſi jus imperfectum ſeu aptitudinem, ni acceſſerit aliquod pactum expreſſum aut tacitum, quod recepto mori ineſſe intelligitur, aut alterius conceſſio. vid. *Benjam. Priolus hiſt. Gall. l. 12. c. 3.* Neque deſunt, quibus vis ejusmodi argumentorum poſſit elevari. Ipſam antiquitatem in ſe nihil habere dignitatis; cum illa nil notet, niſi tractum durationis, quæ vilem æque, atque præſtantem rem poſſit proſequi. Id habere omnia regna, ut ſint libera, & ab alio non dependeant, facultatemque adminiſtrandi ſuas res inter ſe poſſideant. Id diu obtinuerint, an recens quæſiverint, parum intereſſe. Equidem quod diu aliquod regnum floruerit, indicio eſſe, ejus compagem concinne diſpoſitam, idque bene fuiſſe adminiſtratum. Tum fati benignitate, aut civium virtute exterum hoſtem defuiſſe, aut feliciter fortiterque repulſum. Sed non minus recentes civitates commode poſſe diſponi, & adminiſtrari, quam veteres. Imò fortasſe commodius, quod harum bona inſtituta ex periculoſis ſæpe experimentis provenerint; illas autem optima quæque ab aliis jam inventa in uſus ſuos poſſe transferre. Diuturnam quidem fati clementiam ſibi neminem poſſe præſtare; id tamen effici poſſe, ne per prava inſtituta civitas in ſe ruinam trahere incipiat. Denique ex præſentibus quemlibet æſtimandum; præterita non amplius, futura nondum ad nos pertinere. Neque civitates aliquod velut ſyſtema aut concilium inter ſe conſtituere, ut recentiſſimæ cuique locus ſit infimus

simus occupandus: sed quamlibet seorsim sua sibi libertate gaudere. Unam familiam in civitate aliqua diu imperium tenuisse, sæpe quidem indicio esse, minores majorum virtutem æmulatos; plerunque opes ipsam suas firmiter disposuisse, ut non ausus fuerit aliquis solio eandem dejicere. Interdum ingenio populi, à rebus novis abhorrentis, aliquam familiam diuturnam imperii possessionem debere. Nonnunquam solius fati beneficium vocandum, quod Metelli Romæ sint consules. Ast qui recenter ad illud fastigium enituntur, reponere possunt tritum illud; *Et genus, & proavos, & quæ non fecimus ipsi, Vix ea nostra puto.* Nihil facilius esse, quam partam à majoribus opimam hereditatem cernere; sed suum patrimonium ipsi sibi adquirere virtutis opus esse. Sorti nascendi illos suam magnitudinem acceptam ferre; se propriæ præstantiæ. Illos aliena & obsoleta decora crepare; se propriis & recentibus enitescere. Deniq; præsentia jam æstimari, non præterita. Summum nobilitatis gradum haberi, regem esse. Hac recentem æque ac antiquam familiam efferri.

§. 24. Potentia autem hactenus quidem signa venerationis apud infirmiores potest elicere, quod stultum sit illi non cedere, qui nocere potest. Sicuti facete Favorinus apud *Spartianum Hadriano; arguentibus amicis, quod male cederet Hadriano de verbo, quod idonei autores usurpassent; non recte, inquit, suadetis familiares, qui non patimini me illum doctiorem omnibus credere, qui habet triginta legiones.* Enimvero si alicui regi tantum

ſit virium,ut regnum ſuum commode poſſit tueri, ille ſane non habet quare alteri cedat, opibus quidem ſuperiori,ſed quas ipſe neque metuere, neque ambire ſui conſervandi cauſa neceſſum habeat. Si tantus mihi ſit cenſus; ut meo ſucco commode & laxe queam vivere; quid opus eſt,ut alium, ſuperfluarum mole divitiarum turgentem, venerer,cujus iras poſſim contemnere, & cujus gratia beneficiisque non indigeam. Libertas in æquo poſita eſt, quæ magnitudine opum hautquidquam diſtingvitur. Pateat igitur unius imperium per ſexcenta milliaria, alterius per certum duntaxat. Idem tamen imperium hic in modica ſua, quam alter in laxiore ditione, obtinet: neque hic minus, quam alter finem civitatum inſtitutarum conſequitur. Ne dicam quod ſola potentia, prout notat vires aliis nocendi, in ſeſe non ſignificet talem præſtantiam, quæ ſit idonea venerationem ſeriam elicere. Nam hæc amore quopiam temperata eſt. Nocendi autem vires odium conciliant; etſi externa venerationis ſigna per eas poſſe exprimi manifeſtum eſt. add. *J. Godofr. d. tr. part. 1. c. 3. §. 19.* Porro abſolutam habere, & nullis legibus limitatam poteſtatem, omnino venerationem majorem terrore mixtam apud ſubjectos conciliat, non item apud alios principes, qui iſtius abſolutam poteſtatem in ordine ad ſe pro nuda libertate naturali æſtimant: quæ per ſe nullam dat præeminentiam in eum, in quem quis imperium non habet. Et cum Princeps non ex propriis tantum juribus, ſed & ex conditione illius civitatis,

cui

cui præest, æstimandus sit; potest utique princeps limitatus ex isthac talia habere, ut absoluto aliquo longe sit potior. Denique tituli, & quicquid est verborum, usu sicut nummi valent; & cum in rege nihil amplius possit inveniri, quam summum imperium, sufficit, si illud modo nativo sensu, aut ex usu vulgi exprimant; splendor aut modestia vocabulorum ipsi rei nihil addit demitvè. Sic quod Turcarum monarcha vulgo dicitur Imperator, Persarum Rex, id in se nullam isti præ hoc eminentiam tribuit. Ambitiosam autem encomiorum struem proprio titulo apponere, uti barbariem redolet; ita idem subjectos fortasse simpliciores ad venerationem movere potest, alios non potest. Quid enim intererat v. g. Imperatoris Romani, Sapores Persarum rex fratrem se Solis & Lunæ, an Saturni & Veneris nuncuparet? Aut quid hodie regum Christianorum interest, quantas lacinias titulo suo assuat Turcarum Imperator, qui tamen revera nihil aliud quam rex est.

§. 25. Ex hisce omnibus satis firmiter videtur concludi, ex obligatione perfecta, quæ in altero jus proprie dictum præsupponit, regem revera talem non teneri loco cedere alteri regi tanquam digniori, utut hic conditionibus jam enumeratis præpolleat; neque civitatem liberam alteri civitati liberæ, licet antiquiori aut potentiori. Quin nec civitas popularis in se videtur dignitate inferior civitate monarchica, quamvis in civitate democratica nemo unus reperiatur, qui cum rege comparari possit. Unde nec civitatis liberæ legatus ne-

cessario legato regis loco cedere tenebitur. Verum quia in dignitate vicaria & delegata tantum splendoris esse non potest, quantum in originaria, neque in magistratu tantum dignitatis, quantum in principe; & vero civitates liberæ, cum regibus in eodem loco convenire non possunt, nisi per legatos aut deputatos: adparet sane, omnino legatum civitatis liberæ cedere debere cuicunque regi aut principi, cui summum est imperium. Et ita quidem videtur sese res habere circa præeminentiam dignitatis, & præcedentiam inter eos, qui libertate naturali gaudent.

§. 26. Isthæc tamen æqualitas inter eos, qui summo sunt imperio præditi, non impedit, quo minus, si opus sit, congredi queant per se, aut per suos legatos, aut etiam in stabile aliquod concilium coalescere. Nam si unus regum ad alterum in ipsius ditionem accedat, lex utique civilitatis requirit, ut quis hospiti domi suæ primum locum deferat; nisi forte veniat tanquam subditus temporarius. Nam utut in territorio suo quilibet sit summus; tamen uti legati, sic & ipsi reges fictione quadam videntur constitui extra territorium regis, ad quem ejusdem consensu accedunt, non exuto fortunæ suæ splendore. Ubi duo pluresve in loco tertio congrediuntur, facile caveri potest, ut ne unus alteri prælatus videatur. Nam & conclavia licet comminisci, ut judicari nequeat, quis in iis prior aut dignior locus sit. Possunt etiam ab initio protestari, sese citra ullam præcedentiæ considerationem congressuros, sed vel promiscuè

& ci-

& citra ordinem sessuros, prout cuique lubitum, aut prout casus tulerit. Sicut de Brachmanibus Indorum sapientibus refert *Philostratus de Vita Apollonii Thyanæi l. 3. Nullum regi præcipuum locum assignantes, quod apud Græcos Romanosq; maximi æstimatur: sed ut cuiq; in mentem venit, accubuere.* Idque eo facilius procedit, si isti Principes, quod vulgo vocant, incognito & familiariter conveniant, id est, dissimulata velut fortunæ suæ mole, quo ipso testantur, sibi super dignitate curam aut contentionem haut fore. Et sane laudandum est istud commentum, incognito iter faciendi, aut cum aliis congrediendi, utut omnibus quis sit notissimus, parcendis plurimis sumtibus, & declinandis ceremoniarum, atque contentionum inanibus. Sed si hoc displiceat, sorti res potest committi, idque ut vel semper quis illum locum retineat, quem semel est sortitus, vel ut ordo per sortem constitutus deinceps velut in orbem eat. Atq; hæc facilius adhuc procedunt, si legati duntaxat congrediantur; præsertim cum circa hos aliud adhuc sit medium collisioni vitandæ; si non idem omnibus, sed disparis valoris velut character à suis principibus tribuatur. Nam isti dignitatum gradus, cum ex mera impositione oriantur, facillime plurimis modis variari possunt. Quemadmodum regi, si quem suo officio demovere subtiliori modo placeat, aliumque in ejus locum surrogare, novum officii vocabulum comminisci in proclivi est. Add. *Jacob. Godofr. tr. d. part. 3.*

§. 27. Quod si autem inter plures æquales

ſocietas aliqua duratura ſit inſtituenda, & ſinguli ſocii æqualitatem retinere velint. neque circa locum ſors aut alternatio placeat, alia ordinis ratio adhuc ſupereſt, quæ itidem aliquod ſortis inſtar habet; neque dignati alicujus fraudi poteſt eſſe; ut nempe eo quisq; ordine in communi conventu ſedeat, quo in eundem fuit receptus. Id quod inprimis locum habet inter eos, qui ſocietati jam conſtitutæ deinceps accedunt. Nam illis, qui primi ſocietatem conſtituunt, locum ſorte aut per conventionem attribui convenientius fuerit. Neque neceſſum eſt, ut qui primus collegii cujuspiam aut ſyſtematis conſtituendi autorem ſe tulit, idem in eo primum locum obtineat; ſecus atque arbitratur *Jac. Godofr. tr. d. part. 1. c. 3, §. 24.* Ubi vir cætera accuratiſſimus humani aliquid patitur, cum Tigurinis ideo primum in Syſtemate Helvetiorum locum attributum ait, quod iſti primi inter pagos libertatis autores extiterint; cum tamen conſtet, quinto demum loco ipſos fœderi Helvetico acceſſiſſe. vid. *Simlerus de Rep. Helvet. l. 1.* Sic & illud falſum, quod Geldri eam ob cauſam primum inter fœderatos Belgas locum obtineant. Et quia in plurimis conventibus & collegiis id uſurpatum, ut ſecundum ordinem receptionis locus cuique aſſignetur; hinc *Grotius l. 2. c. 5. §. 21.* tanquam univerſale pronunciatum ponit: naturalem inter ſocios hunc eſſe ordinem, prout quisque in ſocietatem venit. vid. etiam *l. 1. ff. de albo ſcrib. l. 1. C. de Conſul. l. ult. C. de Tironib. l. 1. C. de præpoſ. ſacri cub. l. 2. C. de Præfect. prætor.*

l. 10. C.

l. 10. C. de Professor. add. Jac. Godofr. d. tr. part. 2. c. 3. §. 17. 18. Ubi sciendum, in ejusmodi societatibus priorem aut posteriorem locum hautquidquam notare eminentiorem aut tenuiorem dignitatem: sed esse merum & nudum ordinem inter pares dignitate; ac inter tales revera obtinere tritum illum versiculum. *Ultimus & primus sunt in honore pares.* Nam illud *Ausonii panegyr. ad Gratianum: Nulla est quidem contumelia secundi, sed ex duobus gloria magna prælati;* locum duntaxat habet, cum prælatio ob majorem in prælato præstantiam facta est. Ubi & hoc obiter monendum in se locum unum non esse altero honoratiorem, sed id omne dependere ex impositione hominum, qui varii super ea re varie constituerunt. Sicuti notissimum est, alium locum heic, alium alibi pro honoratiore haberi. vid. *Jacob. Godofr. d. tr. part. 2.* Sed & illud *Grotio d. l.* notatum, eundem morem antiquitus in Christianorũ quoq; regum ac populorum conventibus, quibus ad constituendum Ecclesiæ velut universalis corpus concurrebant, obtinuisse, ut qui primi Christianismum professi forent, in conciliis ad rem Christianam pertinentibus præcederent cæteros. Quo argumento nonnullis præcipue niti placuit ad asserendam sibi præ ceteris præeminentiam, tanquam jure sibi debitam, etiam in aliis quibuscunque congressibus. Enimvero utut in istis conventibus sacris forte non sine ratione dictus ordo fuit observatus: tamen ut in omnibus aliis congressibus idem retineatur, aut ut ex sola anti-

quitate professionis Christianæ eminens præ aliis dignitas alicui generetur, necessarium non videtur. Præterquam enim quod inter decreta religionis Christianæ est, τῇ τιμῇ ἀλλήλους προηγεῖσθε, Rom. 12. 2. & τῇ ταπεινοφροσύνῃ ἀλλήλους ἡγούμενοι ὑπερέχοντας ἑαυτῶν, Phil. 2. 3. etiam in conciliis illis sacerdotes primas partes egerunt, seculares in accessorii fere locum venerunt, ac decretis illorum stare jussi. Sic ut reges atque principes in conciliis considerati fuerint fere ut sacerdotum subjecti, non uti nullum in terris superiorem agnoscentes. (Add. quoque *Sozomenus hist. Eccles. l. 2. c. ult. in fine.* cujus effatum nescio an oraculi vim obtinere debeat.) Ex cujus moris reliquiis fortasse etiam illud adhuc alicubi superest, quod quando in precibus publicis homines Deo commendantur, sacerdotes obnixe primum sibi locum vindicent; aut quod in enumeratione illa vulgari statuum, Ecclesiasticus semper præmittatur. Alias enim non poterant cordati dispicere, quam decorum foret, v. g. quod quando Kal. Jan. à votis concionum auspicia petuntur, minister aliquis domino suo collegæ diacono sibique propitium Numen ante omnia precetur, principem demum in secundas partes vocet, quasi in ipsis salus reip. & ecclesiæ magis quam in principe vertatur; præsertim cum iste non sit ex hostibus aut persecutoribus Ecclesiæ, qualibus tamen Paulus Apostolus æque honorem vult tributum, i.e. ex obligatione perfecta, tribui jubet, sed nutri-

nutritius atque defensor Ecclesiæ, imo summus in sua ditione Episcopus. Sed quicquid hujus sit, non statim, qui in certo conventu ob certum quempiam respectum, qui ipsius dignitatem in universum hautquidquam afficit, alteri cedit, is ubique, & quando istius respectus ratio non amplius habetur, alteri tenetur cedere. Sicut & in civitatibus videmus multos diversis interesse collegiis, & in uno collegio alteri loco cedere, extra illud autem, aut in alio collegio priorem præ eodem locum obtinére.

§. 28. Enimvero illud manifestum est, imperio hanc quoque vim inesse, ut prælationem tribuat per modum juris perfecti valituram, adversus eum, in quem exercetur. Nam omnino præstantius est imperare. quam parere; alterius voluntatem suæ voluntati habere obnoxiam, quam ad alteram sese attemperare. Et necessum est, ut in me adversus illum existat veneratio, qui metu pœnæ quoque ad jussa sua obeunda me potest compellere. Sic ut imperium per se inæqualitatem inter homines introducat. Nestor ap. *Homerum Iliad* α. *Neque tu Pelide Velis contendere cum rege Ex adverso: nam nunquam æqualem sortitus est honorem Sceptriger rex, cui Jupiter honorem dedit. Si vero tu fortis es deaque te genuit mater; At hic quidem potentior est, nam pluribus imperat.* Etsi Achilles magis dictum Agamemnonis, quam imperium proprie dictum agnoscebat. Sed & illud apertum est, quo amplius est imperium & efficacius, eo majorem id dignitatē imperanti apud subjectos circumponere.

Quin ipsa imperii duratio, etsi per se ad vim ejusdem nihil faciat, imperantis tamen dignationem non mediocriter auget. Inter eos vero, qui in eadem vivunt rep. eidemque imperio subsunt, existimationi intensivæ certam velut mensuram constituere, & ad præcedentiam præ altero plenum atque perfectum jus concedere, sine dubio est illius, qui summum in civitate habet imperium. Quem iste locum cuique assignaverit, eum uti adversus concives recte tueri potest, sic & eidem omnino adquiescere tenetur. Et licet forte unus vel alter præter meritum præstantioribus videatur prælatus; tamen nihilo secius tanquam contemtor potestatis summæ plecti poterit, qui aut illorum locum velit solicitare, aut suo contentus non esse. vid. *l. 1. C. ut dignit. ordo servetur*. Nec incommode huc trahi potest illud M. Terentii apud *Tacitum A. VI. Non est nostrum æstimare, quem supra cæteros, & quibus de causis extollas. Tibi summum rerum judicium dii dedere; nobis obsequii gloria relicta est.* Nec absurde huc traxeris illud *Luciani Judicio Vocalium. Est pulcrum, unamquamque literam in eo ordine, quem primum sortita est, manere: transcendere vero eò, quo non oportet, ejus est, qui jus & æquum solvit. Et qui primus vobis has leges finxit & formavit, non ordinem tantum, per quem sua quibusque literis præsidentia dignitas firmiter permanet, definivit: sed* &c. Omnino tamen recte fecerit princeps, tollendis hominum ambitiosorum querelis, si in assignando loco honoratiore fundamenta

menta dignitatis, jam superius enumerata, insuper non habeat. Quia tamen molestum foret principibus, siquidem semper cuique extrinseca sua dignitate locus foret assignandus, tam sæpe suorum civium recensionem instituere, in qua non posset non longe maxima pars eorum offendi; cum plerique non eos soleant numerare, quos à tergo reliquerunt, sed quos sibi prælatos cernunt: expeditissimum visum, saltem primariis civibus, ex muneribus, quibus in rep. funguntur, dignationem assignare. Ubi itidem querelis ansa præscindetur, si merentibus & idoneis talia munera conferantur, sique ipsorum munerum ordo apte sit dispositus. Ordo autem munerum in repub. in universum hic maxime videtur concinnus, si eo major cuique adhæreat dignatio, quo præstantiora negotia, & ad summum reipub. plurimum facientia per id obeantur, & quæ nobilissimas animi artes requirant. In singulis autem munerum generibus eo dignior quisque habeatur, quo nobiliori opera fungitur. Etsi & hoc sæpissime contingit, ut unum quidem munus in se altero sit nobilius: non statim tamen omnes & singuli, qui nobiliori muneri operam dant, omnibus & singulis in altero munere constitutis præferantur; sed ut v.g. qui princeps est in posteriori munere, cedat quidem ei, qui priori in munere primas obtinet, reliquis tamen omnibus primo subordinatis præferatur. Quod si vero ipsi cives inter sese super loco conventionem ineant, aut si in aliqua civitate certus ordo sit per consuetudi-

nem introductus, utraque legis vicem obtinebit, siquidem à supremo imperante ipsi non fuerit contradictum. vid. *l. 2. C. ut dignitatum ordo ser-Vetur. & Ant. Perez. ad d. t.*

§. 26 Quod si autem inter se sint comparandi eminentes viri diversarum civitatum, patet, fundamenta illa intensivæ existimationis ne inter hos quidem aliud parere, quam aptitudinem recipiendi venerationem ab his, qui istis fundamentis minus pollent. Idque sive præstantior ille in civitatem alterius tanquam peregrinus veniat, sive in loco tertio congrediantur. Nisi princeps civi suo injunxerit, ut peregrino cedat; aut tertius, apud quem convenitur, rem definierit, aut conventione vel consuetudine res sit decisa. Adeoque ne ipsa quidem præstantia muneris, quod quis in sua civitate gerit, jus ipsi dat sese præferendi civibus alienæ reip. qui tali duntaxat munere gaudent, quod ipse in sua civitate præcedebat. Nam quod jus valet adversus alios. Prorsus uti leges aliarum civitatum non haudquidquam stringunt. Neque obstat, quod extraneus ille titulum gerat, qui titulū ejus, quicum contendit, in ipsius civitate præcellit. Nam in cujusque civitatis arbitrio est, qualiter cives suos velit æstimare; qualem itidem valorem apud se velit imponere titulis, aliisque honorum insignibus, quæ abs se aut aliis collata sunt. Quin & officiorum, quorum amplitudine utplurimum dignitates mensurantur, diversus apud diversos valor. Ipsæ quoque solidæ artes alibi plus, alibi minus æstimantur. Sicut alibi pacis, alibi

alibi belli artes plures fieri notum eſt. Cumprimis autem circa vocabula dignitatum gradus exprimentia obſervandum, quod illa non ſolum diverſis in civitatibus diverſas notent dignitates; ſed etiam in eadem civitate aliquando plus, aliquando minus valeant: prout tractus temporis aliarum quoque rerum pretia minuere aut intendere ſuevit. Scilicet exiſtimationis exteriora ſigna valorem determinatum habent ex impoſitione ſingularum civitatum; etſi fundamenta exiſtimationis intenſive in ſe, & prout ſapientibus æſtimantur, valorem ubique ſuum obtineant. Unde ubique terrarum virtuti, & eximiis artibus aut functionibus ſuus eſt honos, ſed ex illis ſolis certa honorum inſignia ſuo jure apud exteros poſtulare nemo poteſt, niſi modis ſupra dictis jus ſibi illud quæſiverit. Verum quia inſignia honorum ubique ob eximiæ virtutis opinionom tribui præſumuntur, cultiſſimæ quæque gentium exterorum honoribus eandem fere venerationem ſolent deferre, quam ipſorum civitas iisdem aſſignat. Id tamen ex civilitate & humanitate, non ex obligatione aliqua perfecta præſtare videri volunt. Quanquam non deſunt, apud quos extranei honores in exiguo ſunt pretio. Sic enim *Ciceroni* peregrini nonnulli; ſplendidis familiis orti, vocantur non abſolute, ſed *domi, aut apud ſuos nobiles*; ſcilicet quod peregrinæ nobilitati Romæ non idem eſſet valor, atque in ſua cuique civitate. Sic quis ignorat mediocriter eruditorum,

rum, quantus honos Olympionicis apud Græcos quondam habitus? Eundem si apud alios, queis tanti non æstimatæ fuerunt vires corporis aut agilitas, exhiberi sibi postulassent, rideri merebantur.

§. 30. Difficilius adhuc videtur fieri posse comparatio inter proceres alicujus regni regularis, & principes alicujus reip. irregularis. Ponamus v. g. magnum aliquod imperium, quod antiquitus quidem habuerit formam justi regni; sed quod lapsu temporum in irregularem plane formam degeneraverit; ut qui ministri quondam regis erant proceres, & provinciarum præsides, jam hæreditario, ac summo fere jure ditiones suas obtineant, inque eas omnes summi imperii partes proprio fere arbitrio exerceant. Sic ut ista respublica non amplius pro regno proprie dicto possit haberi, sed fere pro systemate plurium civitatum fœdere perpetuo connexarum, in quo dux velut fœderis titulo, & insignibus regiis conspicuus emineat. Heic sane adparet, cum ejusmodi reip. principibus ad summum imperium nihil, aut parum admodum desit, non posse cum illis comparari proceres regni alicujus regularis, qui utique regis sui subditi sunt proprie dicti; utut fortasse pari aut splendidiore titulo gaudeant, aut ampliores quam isti reditus percipiant. Nam titulorum in diversis civitatibus diversus valor. Et principibus istius systematis modici sui tituli ex antiqua conditione remanserunt, potestas autem opesque maxima incrementa sumserunt. In regulari autem regno

titu-

titulus, quamvis magnificus nihil aliud notat, quam eminentem civem, qui regis ſummo imperio non minus, quam alii, ſubſit. Sola autem pecunia hautquidquam ſufficiens eſt fundamentum, quare quis alteri ſe præferre aut æquiparare poſſit. Enimvero ſummum habere imperium tantam in ſe habet dignitatem, ut reliqua omnia, quibus alias hominum dignatio ſolet æſtimari, longe videatur præponderare. Sed quid ſi proceres iſtius regni regularis ſint ex ſtirpe regia, ad quam lege fundamentali ſucceſſio certo & immutabili ordine ſit alligata? Hi enim reponere poſſunt principibus reipubl. ut ita loquar ſyſtematicæ; citra controverſiam regem regni regularis cuivis ipſorum eſſe anteferendum. Spem autem, quæ in plenum & perfectum jus evaluit, poſſe pro re haberi. vid. *Jac. Godofred. d. tr. part. 1. c. 1. §. 4.* Verum reponi poteſt: non omnem ſpem, quæ ex lege regni vim juris nacta eſt, paris eſſe valoris; ſed eo majoris quamque habendam, quo propius ipſam velut rem contingit. Frequentiſſimum autem eſſe, ut quo antiquior ſit ejusmodi ſpes, eo longius quaſi a regno removeatur multiplicatis illis, qui propiori gradu à rege diſtant. Et quam ſplendida ſit illa ſpes, tamen quousque in rem mutetur, ſubditorum illos loco habendos. Denique illis ſe fortaſſe ceſſuros, quorum ſpes non niſi turbato mortalitatis ordine queat intercipi; quales ſunt primogenitus regis filius, aut primogeniti primogenitus, aut regis improlis frater, proximusve agnatus. Longius remotorum ſpei, quæ fortaſſe in infinitum

finitum extrahi possit, sese rem suam præsentem recte posse antehabere.

§. 31. Sed quid si debeant invicem comparari proceres duarum rerumpublicarum irregularium. Ponamus aliquam civitatem sat mediocri territorio comprehensam, sed cujus princeps peculiarem sibi autoritatem vindicet circa moderanda sacra, hominesque sacris addictos, etiam in aliis civitatibus. In eadem civitate ponamus esse septuaginta duos proceres, penes quos solos jus sit ex suo ordine ejusmodi regem sacrorum eligendi. Ex adverso locemus magnum aliquod velut systema, de quo in *proximo* §. innuimus, cujus caput eligendi itidem septem aut octo primarii principes jus habeant. Fingamus inter hosce electores, atque alteros illos oriri controversiam super præcedentia?Heic utrorum dignitas solidioribus nitatur fundamentis, cordatis non difficile est dispicere. Sacri proceres isthoc inprimis videntur jactare posse, quod cum sacra potestas animas hominum afficiat, secularis autem corpus duntaxat, illa utique hac sit præstantior & dignior censenda: Cui consequens sit,ut Rex sacrorum regem secularem dignitate superet. Quo posito, non posse non, qui istum eligunt, hujus electores dignitate eminere. Enimvero præterquam quod inter sapientes valde dubium sit, anne detur aliqua potestas circa sacra, quæ sese ultra limites unius civitatis extendat; etiam illa ipsa potestas circa sacra, statusque peculiariter sacris addictus, ex decretis religionis Christianæ non videtur

ido-

idoneum fundamentum superstruendæ venerationi, quæ ex jure perfecto in civitate debita intelligatur. Nam utut fortasse decorum sit, sacerdotibus reverentiam exhiberi ab illis, qui veræ ipsos religioni operari sunt persvasi: ut tamen hi suo jure præcedentiam sibi velint vindicare præ aliis, id omnino absurdum videtur; postquam ipsa religio docet, ejus ministros præcipue ab ejusmodi rebus affectandis alienos esse debere. Præsertim cum ipse sacer princeps inter titulos suos servum servorum sese profiteatur; & inter addictissimos ipsius ministros aliquando lites super humiliore loco agitatæ legantur. vid. *Jacob. Godofred. d. tr. protheor. c. IV. lit. d.* Sic ut dubitem, an sat gravem indignandi causam habuerit Papa Adrianus IV, quod Imperator Fridericus I. ipsi de equo descendenti *sinistram stropam tenuit, cum dextram tenere deberet*; apud *Helmoldum Chron. Slavorum l. 1. cap. 80.* Deinde si vel maxime fingamus, istum principem sacrum regi seculari dignitate parem aut superiorem esse; non tamen ideo statim, qui illum eligunt, præferendi erunt istis, qui hunc eligunt. Nam quo major est eligentium numerus, eo magis quod ex eo munere splendoris resultat, oportet velut dissipari atque attenuari. Splendor autem inter paucos collectus vividior est. Quod si & hoc accedat, ut electores principis sacri nil aliud sint, quam perpetuum consilium ejusdem, in quos ille utiq; summum habeat imperium; electores autem principis secularis ditionum magnarum sint domini, in quas ad summum imperium

parum

parum aut nihil ipsis desit; quique principis, quem elegerunt, magis tanquam fœderati majestatem comiter colant, quam imperio ipsius sint subjecti; qua fronte amplius isti his antehaberi postulabunt? Quid si autem iidem regerant, nonnullos ex electoribus principis secularis esse etiam membra civitatis sacræ, quorum munus sacrum istorum munere sit inferius; & isthoc saltem intuitu electores principis sacri esse superiores? Heic si nihil amplius refugii supersit, fortasse non absurde illi respondebunt: ubi contingat ipsos concurrere in actu aliquo soleni civitatis sacræ, sese illis loco ibi cessuros; verum hoc non obstare, quominus extra eum actum iisdem præferantur. Multo minus id præjudicare collegis suis, qui inter ordines civitatis sacræ non recensentur. Non autem insuetatum esse, certo respectu, & certo in concilio alicui cedere, quo in aliis locis sis superior. vid. *l. 6. §. 6. C. de postulando. Jac. Godofr. d. tr. part. 1. c. 8. & c. 34.* Neque statim sequitur; tu loco cedis illis, qui certo respectu mihi cedunt, (qui respectus tamen te non tangit:) ergo mihi quoque cedere teneris.

§. 32. Denique quia plurimas apud gentes natalibus aliqua dignitas putatur adhærere, ad argumentum quoque nostrum spectare videtur, curatius inquirere, quidnam solidi tantopere à multis jactatæ sangvinis nobilitati subsit, & quo illa in se spectata valore sit æstimanda. Id igitur in aprico est, natales nobiles hautquidquam per se tribuere præstantius temperamentum corporis, utut sæpe bonitas alimentorum aliquid huc faciat; aut præstan-

ſtantiorem animum, eximiamque vim ingenii. Sed plebejis ex natalibus æque feliciter hæc poſſe provenire. Nec alio ordine in producendis nobilibus, quam plebejis natura procedit. Sed & pari ſanctimonia plebejorum quam nobilium matrimonia coluntur, aut coli poſſunt. Nec facile quis præſtiterit, minus frequenter auratos thoros ab adulteris perſultari, quam modicas ſpondas. Adeo ut ſi vel maxime virtus parentum in prolem ſemper transfunderetur; multis tamen difficillimum ſit futurum probatu, abs prima ſtirpis origine intaminatum, ac citra alieni mixturam, ſangvinem ad ſeſe demiſſum. vid. *Grot. de J. B. l. 2. c. 7. §. 8.* Sed nec illud vulgatum, *fortes creantur fortibus & bonis*, adeo citra exceptionem eſt, quin in contrarium æque invaluerit, *heroum filii noxa.* Porro plebeji non ſemper deterius educantur, quam nobiles; imò ſæpe quo plura his media induſſit fortuna bene excolendo animo, eo turpius iisdem ad luxuriam, ſegnitiem, aliorumque vitiorum alimenta abutuntur. Recte *Plato Alcibiade.* I. Τοὺς εὖ φύοντας, ἐὰν καὶ εὖ τραφῶσιν οὕτω τελέους γίγνεσθαι πρὸς ἀρετὴν εἰκός. Et ipſa res oſtendit, multos nobilium degeneres majorum gloriam obfuſcaſſe. *Ariſt. Rhet. l. 2. c. 15.* ἔστι δὲ, εὐγενὲς μὲν, κατὰ τὴν τοῦ γένους ἀρετὴν γενναῖον δὲ, κατὰ τὸ μὴ ἐξίστασθαι ἐκ τῆς φύσεως. ὅπερ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ οὐ συμβαίνει τοῖς εὐγενέσιν, ἀλλ᾽ εἰσὶν οἱ πολλοὶ εὐτελεῖς. add. *Stobæus ſerm. 84. 85.* Multos quoque obſcuro na-

ros

tos loco per suam virtutem ad summa provectos constat; nec solus *Tydides melior patre*. Inde in ipsa quidem natura nulla adparet necessitas, quare aut in munera, aut in existimationis paternæ gradum solos ob natales filius debeat succedere, præsertim cum ultimo demum omnes ex eadem stirpe genus deducamus.

§.33. Nihilominus multis civitatibus placuit, ut præclare meriti cives statum illum, certis privilegiis, certoq; existimationis gradu donatum, in quem ipsi per civitatem sunt locati, in sobolem suam per solā nativitatem velut aliquam hæreditatem transmitterent. *Lesbonactes orat. hortator.*, τῶν ἐν τοῖς δεινοῖς ἀνδρῶν ἀγαθῶν γινομένων οἱ παῖδες εὐγενεῖς νομίζονται. Ex quibus satis adparet, in solis natalibus nobilibus præ plebejis naturaliter nihil inesse eximii: sed eam prærogativam esse ex impositione & indultu civitatis, quæ constituit, ut certus status, cui annexa certa jura, gradusque existimationis, in aliquem semel collatus ad ipsius posteros citra novam collationem per solos natales derivetur. Qua impositione sublata, vel quadraviti natales à cerdonis alicujus natalibus ne hilum discrepabunt. Unde quando princeps plebejum aliquem inter nobiles transscribit, in ipsius natura ortuque nihil immutat, nec novum aliquem vigorem ejusdem animo infundit; sed jubet ipsum censeri statu plebejis contra distincto, quem una cum adhærentibus juribus ad posteros suos sit transmissurus. Vice versa si quis ordine

nobi-

nobilium ejiciatur ob delicta, aut quod legibus nobilium in sua civitate positis conformem sese non gesserit, ejus sane neque animus mutatur, aut quem ex majoribus traxit sanguis; neque efficitur, ui qui nobilibus parentibus est natus, iisdem non sit natus; sed adimuntur duntaxat ipsi status atque jura nobilitati in ea civitate competentia. Quo facto statim plebejus est. Quemadmodum neq; legitimatio, neq; natalium restitutio aliquid in natura mutant, sed meros tribuunt effectus morales. Id quod sufficienti est indicio, nobilitatem generis substantiã velut suam non ab ipsã natura, sed ab hominum impositione mutuari.

§. 34. Fatendum tamen est, plerasque gentes in conferenda nobilitate præstantes quasdam artes, & egregia merita respexisse. Quibus, qui enituerat, uti recte dignatione reliquos eminebat; ita largius judicabatur æstimari virtus, cujus præmia ad istos quoque derivarentur, quos natura quilibet quam carissimos habet. Præsertim cum ea res speraretur civium virtutem extimulatura, acrius affectandis ejusmodi præmiis. Simul proles ista domesticis exemplis excitata, parentum virtutem æmulatura credebatur, splendoremque illum iisdem, quibus partus erat, artibus tuitura. Nec minꝰ putabantur parentes operam daturi, ut quantum in se prolem sibi non indecoram reipubl repræsentarent. Cui consequens erat, ut postquam nobilitatem forte nascendi adquiri receptum fuerat, curiose circa deligendas uxores versarentur nobiles, ne dispari se genere miscentes proli

proli suæ jura ista interverterent; an ut æqualium potius quam inferiorum filiæ in consortium ejus dignitatis adsciscerentur. Ac ne proli fortasse super natalibus lites moverentur, accurate majores longa serie annotare rationis erat. Cum contra plebeji supervacuum haberent, avos proavosque ambitiose disponere: quippe quibus ex natalibus nihil privilegii, sed propria cuique virtute & industria nitendum. Inde quoque nobiles, quo stirpem suam facilius possent docere, certis cognominibus atq; insignibus distingui receptum fuit; de quo itidem plebeji priscis temporibus parum fuisse curiosi deprehenduntnr.

§. 35. Hisce illustrandis non abs re fuerit Romanorum super nobilitate instituta curatius excussisse. Ut igitur suam illam hominum colluviem Romulus in justi formam populi componeret, ex universa multitudine centum delegit, consilio sibi præsto futuros, quos Patres appellari placuit, exprimendo muneri, aut propter ætatem: reliqui plebs mansere. Istorum progenies patricii appellati, simplicissima denominatione, quasi Patrum posteri; (vid. *Plutarch. quæst. Rom. p. m. 278. C. D. & in Romulo p. m. 24.*) aliis ideo, quod hi soli patres suos possent ostendere; cum cætera turba fugitivorum fuerit, nec valentium proferre patres ingenuos, verbo, terræ filii. In eam rem argumento usi sunt, quod quotiens patricii convocarentur à regibus, præcones quemque suo ac paterno cierent nomine; plebejos vero ministri quidam cornibus bubulis confertim buccinantes

in con-

in concionem excitaverint. Etsi more suo *Dionys. Halicarnass. antiq. Roman. l. 2.* institutum hoc mollius interpretetur, (quippe cui omnibus modis incunabula Romæ splendida reddere cordi est,) evocationem patriciorum per præcones honoris, plebis per cornua celeritatis causa factam asserens. Contra Dionysium tamen videtur valere illud Decii apud *Livium l. 10. c. 8. En unquam* (annon) *fando audistis, patricios primo esse factos non de cælo demissos, sed qui patrem ciere possent, id est, nihil ultra quam ingenuos? Consulem jam patrem ciere possum, avumque jam poterit filius meus.* Et in universum de prima familiarum Romanarum origine sat abjecte *Juvenalis sat. 8. Et tamen ut longe repetas, longeque revolvas Nomen, ab infami gentem deducis asylo. Majorum primus quisquis fuit ille tuorum, Aut pastor fuit, aut illud quod dicere nolo.* Ex quibus adparet, ad primævam in urbe Romana nobilitatem adquirendam suffecisse, ut quis ex legitimo natus esset matrimonio, parentibus ingenuis. Inde etiam est, quod patricii solis sibi *gentem* esse jactarent, ipsosque inter se *gentiles*. Sic enim gentiles definiuntur à *Cicerone in Topicis; qui inter se eodem nomine sunt, ab ingenuis oriundi, quorum majorum nemo servitutem servierit, qui capite non sunt deminuti. Boetius itidem in Topicis; Gentiles sunt, qui eodem inter se nomine sunt, ut Bruti, Scipiones; quod si servi sunt, nulla gentilitas esse potest. Quod si libertinorum nepotes eodem nomine nuncupantur, gentilitas nulla est, quoniam ab in-*

genuorum antiquitate gentilitas ducitur. Plebejorum quippe multitudinem fere à libertinis ortum habuisse credebant. JCtus *Cajus Institut. Libertinorum aut servorum gentilitas non est.* Etsi posterioribus temporibus plebejos quoque gentem sibi asseruisse constat. Addatur *Franc. Connanus comment. Juris civil. l. 2. c. 11.* Sic hodieq; linguæ, quæ ex latina profluxere, nobiles solent vocare *gentiles homines.* Ac in multis Germaniæ urbibus patricii solent vocari Geschlechter.

§. 36. Enimvero cum deinceps plebeji quoque honesta cum ingenuis inirent connubia; & lapsu temporum labes illa, si qua fuit, sordidæ originis exolesceret; inde ut alia differentia à plebejis distinguerentur patricii, sacris gentilitiis institutis peculiarem sibi sanctimoniam circumponere sunt aggressi. Quo nomine ipsis solis deferri posse magistratus contenderunt, quasi qui soli haberent auspicia. vid. *Liv. l. 4. c. 2. Quas quantasq; res C. Canulejum aggressum? colluvionem gentium, perturbationem auspiciorum publicorum privatorumq; afferre, &c.* De auspiciis quoque solis patribus competentibus vid. oratio Appii ap. *Liv. l. 6. c. 42. & l. 10. c. 7. ab init. orat.* Quod ludibrium tamen postea plebs non immerito explosit. Quanquam & plebejorum quidam, eluendæ isti patriciorum prærogativæ, privata sibi quoque sacra instituerunt. Quæ cum in hæredes transirent non sine onere, quomodo per coëmtiones sint extincta, docet *Cicero* pro Muræna. add. *Godofr. ad Ciceron. epist. fam. l. 7. ep. 29. Rosin. antiq. Rom. l. 8. c. 6.*

§. 37. Ast

§. 37. Aſt cum deinceps ſenatoria dignitas, & magiſtratus, qui hactenus penes ſolos patricios fuerant, cum plebe communicarentur; factum eſt, ut Romani dehinc nobilitatem non tam ex antiquitate generis, & patriciatu, quam multitudine imaginum æſtimarent. Ex quo tempore familiæ nobiles in patricias & plebejas diſtingui cœptæ. *Liv. l. 10. c. 7. Numerarentur triumphi plebejorum; jam ne nobilitatis quidem ſua plebejos pœnitere.* id. *l. 6. c. 37. Ex ea die* (qua conſulatus cum plebe ſit communicandus) *in plebem ventura omnia, quibus patricii excellant; imperium atque honorem, gloriam belli, genus, nobilitatem.* Equites autem ex inſtitutis civitatis Romanæ nobiles proprie loquendo non erant. Nam quod aſt apud *Tacit. Agricol.* eum habuiſſe utrumque avum procuratorem Cæſaris; quæ *equeſtris nobilitas* eſt; hunc habet ſenſum: ut eorum, qui in ſenatoriis ſunt familiis, nobilitas ex magiſtratibus curilibus æſtimatur: ita inter equites procuratorem Cæſaris fuiſſe, aliquod inſtar nobilitatis habet, cum poſt præfecturam prætorii vix ſplendidius munus in illum ordinem ut talem cadat. Sic igitur poſterioribus temporibus Romæ nobiles non conſtituebant peculiarem ordinem, & per inſignia jura à reliquis diſtinctum; ſed prout quis multos *fumoſos Equitum cum Dictatore magiſtros* in atrio diſpoſuerat, aut propria virtute ad honores adſpiraverat, ita majorum, aut propriis meritis nobilis cenſebatur. Quo facit illud *Claudiani paneg. de Probini & Olybrii conſulatu*:

K 2 *Quem-*

Quemcunque requires Hac de ſtirpe virum certum eſt de conſule naſci. Per faſces numerantur avi, ſemperq́ renata Nobilitate virent. Quanquam autem Romæ multi magiſtratus non minus belli quam pacis tempore valebant, puta dictatores, magiſtri equitum, conſules, prætores; tamen quia pax eſt velut ordinarium tempus reip. bellum extraordinarium, adeoque magiſtratus iſti & appellatione & indole ſua pacem magis quam bellum videbantur ſpirare; adparet paci magis quàm bello originem ſuam debere nobilitatem Romanam. Neq; vero congruens erat, ex ſimplici virtute bellica, & quæ non eſſet conjuncta cum munere & artibus ducis, nobilitatem derivare, quæ quidem peculiarem ordinem, & multis juribus præfulgentem conſtitueret in tali rep. in qua communis omnium civium ars & velut profeſſio erat militia. Sic igitur apud Romanos nobilitas non tribuebat peculiarem ordinem in rep. nec ex illa aliud fere emolumentum, quam quod majorum imagines aditum ad honores faciliorē panderent.

§. 38. Ex hiſce manifeſtum eſt, diverſum eſſe genium nobilitatis modernæ in plerisque Europæ regnis à nobilitate Romana. Nam apud nos nobiles peculiarem ordinem conſtituunt, à reliquis civibus dignitate & eximiis juribus diſtinctum. Dein nobilitas etiam citra officium publicum confertur ab eo, qui ſummum in rep. habet imperium, & quidem rarius togatæ, frequentius bellicæ virtutis intuitu. Cujus rei inter alia argumentum eſt, quod nobiles familiæ tam inter

ſe,

ſe, quam à plebejis diſtingui ſoleant inſignibus, quæ clypeo ſuſtinentur, impoſita galea, & inde *armorum* nomine veniunt. Ex quibus pleraque Arctoa nobilitas ante pauca ſecula cognomina ſibi cœpit adſciſcere, cum antea ſimplicius paternum nomen proprio adjicerent. Apud Germanos autem, & pleroſque alios Europæ populos, ubi nobilibus ad præſtanda munia bellica prædia, pagi, oppida & arces in feudum data fuerunt, plurimi nobiles ex hiſce ſibi cognomina ſumſére. De cauſis autem, quare virtuti bellicæ tantum detulerint pleræque nationes Europææ, ſic videtur habendum. Equidem in ſe non minoris ſunt, quæ in togâ in remp. poſſunt conferri, quam quæ in ſago Leges ſalutares condere, jus integre dicere, opes civitatis per artes & commercia introducta augere, eloquentia populi tumentes animos mulcere, & in quam partem expediat flectere, conſilio exterorum conatus adverſum nos ſubtiliter inveſtigare atque eludere, præclariſſima utique ſunt, & quovis honore digna. Neque iſta tamen ſemper, apud imperitos inprimis, ſat ample æſtimantur, tum quod artes, ex quibus talia promanant, non adeo in oculos incurrunt, & à plebe parum intelligi poſſunt; tum quod cum tranquillitate quadam, & citra impetum atque periculum ſeſe videantur explicare. Quæ omnia in virtute bellica ſecus ſunt. Atq; inde, quanquam adminiſtratio civilis citra fortitudinem atque firmitatem animi non poſſit obiri: longe tamen ſplendidius creditum, apud martii

ſpiritus populos, & qui ſanguine quam ſudore rem quærere maluerunt, contra tam terribilem armorum apparatum, & ubi præſentem omnia mortem intentant, intrepidum offerre pectus, & de pretioſiſſima rerum humanarum periclitari, ut cæteris eo tutius liceat ævum exigere. Imo monarchæ & primariæ his ſubordinatæ dignitates ad militiam fere incunabula ſua referunt. Sane enim in civitatibus interna civium concordia, boniq; mores tempore pacis commodiſſime videbantur ſervari poſſe per Senatum aliquem conſtantem ex viris ætate, ſapientia, autoritate, uſuque rerum venerabilibus. Sed cum in bello multitudine ducum, pari poteſtate præditorum, nihil nocentius, ad unum ſummam belli deferri expediebat; cui & pacis negotia committenda erant, ne biceps civitas & monſtroſa evaderet. Nec facile reperias regnum, cujus primus fundator bellica laude non claruerit. Sic Ebræi tunc demum de rege cogitare cœperunt, quando periculoſum bellum ingruebat. Nec abſurde omnino judicabat Domitianus ap. *Tacit. Agric. artium pacis defectum in principe* (qualis inprimis Romanus erat) *utcunq; diſſimulari: ducis boni imperatoriam virtutem eſſe.* Inde & nobilitas maxime ſolet florere ſub rege, tanquam militari capite, utpote ex eadem origine ſubnata. Nam populari in rep. invidioſum, ſolum ob naſcendi ſortem alios magnopere eminere. Et libertati prægravis creditur, quo quis bello magis inclaruerit. vid. *Cornel. Nep. Chabria c. 3. num. 3. 4.* Quid quod Imperatoris & Ducis vocabula prima origi-

origine mere sunt militaria? Et quod hodierni nobiles Equites volunt audire. In jure feudali miles fere idem est quod vasallus nobilis; cujus denominationis originem exponit *Cl. Salmasius de re milit Roman. c. 1.* In Germania immediati nobiles vocantur Imperii milites, deß Reichs Knechte. Et plerisque in regnis Europæ nobiles prædia sua feudorum nomine possident, à multis immunia oneribus, quibus plebejorum bona premuntur, ut isti militarem operam reip. præstent. Inde quoque nobilibus mercaturam exercere insolitum, non quod illa in se habeat quid inhonestum & sordidum; sed ne per eam nobiles à studiis militaribus abstrahantur, & feuda sua gratis possideant. Et si quibus in civitatibus nobiles citra deminutionem dignitatis mercaturæ dant operam, tuto judices licet, eam nobilitatem ex militia hautquidquam originem ducere. Facit etiam huc, quod tradit *Herodotus l. 2.* apud Ægyptios, Scythas, Persasque & Lydos, denique apud omnes fere barbaros haberi pro ignobilioribus civibus eos, qui artificia discunt, eorumque liberos: generosiores autem eos, qui à manuariis operibus abstineant, præsertim qui cessent ob bellum.

§. 39. In quibusdam tamen civitatibus exigua natalium dignatio, & sua cuiq; ex virtute propria, meritis in remp. ac muneribus nobilitas. *Diodor. Sicul. l. 1. c. 92.* de laudationib9 funebribus apud Ægyptios: *De genere quidem nihil, ut Græcorum consuetudo habet, memorant; quia omnes æque nobiles in Ægypto esse censent, sed ut à puero educatus, &*

 insti-

institutus, & ad virilem ætatem progressus pietatem in Deos, justitiam, itemq; continentiam & alias virtutes coluerit, recensent. De moribus Turcarum *Auger. Busbequius Ep. 1. Turcæ neminem, ne suorum quidem, nisi ex se pendunt: sola domo Othomanorum excepta, quæ suis censetur natalibus.* Ibid. *Gianizanorum magnus numerus, sed nullus in tanto conventu nobilis, nisi ex suis virtutibus & factis; natalibus nemo à reliquis distinguitur: honos cuique pro muneris & officii, quod administrat, ratione defertur: nullum ibi de loco certamen; muneris genus, quo fungitur, suum cuiq; locum assignat, munera vero & officia princeps ipse distribuit. In quo non divitias, non fumum nobilitatis pendit, non gratiam cujusquam aut multitudinis judicium moratur; sed merita considerat, sed mores, ingeniumq; atq; indolem intuetur, ex sua virtute unusquisq; ornatur. Ita muneribus, qui sunt ad ea obeunda idonei, præficiuntur, suos ibi quisq; natales, suam fortunam, quam fingat pro arbitrio, in manu habet. Qui rerum primas à principe tenent, fere sunt pastorum aut bubulcorum filii: de quo tantum abest, ut eos pudeat, etiam inter se gloriantur; eoque plus sibi tribuunt, quo minus majoribus aut natalium fortunæ debent. Neque enim aut nasci, aut propagari traduciq; virtutem putant; sed partim à Deo dari, partim bona disciplina, multoq; labore & studio comparari.* Hinc & *cum apud eosdem paterna nobilitas liberos non sequatur, nulla stemmatum cura: neq; in deligendis uxoribus genus spectatur, quippe quæ*

quæ in filios suos nil nisi propria matrum munera possunt conferre, generare & nutrire. Nec in iisdem viri quid præter corpora & moros spectandum habent. Et ne credamus ex sola barbarie talia proficisci, cui non notum illud Ovidii metam. 13. *Nam genus, & proavos, & quæ non fecimus ipsi, Vix ea nostra voco. Seneca Herc. Fur. Qui genus jactat suum, aliena laudat. Aristoteli Rhethor. l. 2. cap. 15.* εὐγένεια vocatur ἐντιμότης προγόνων. *Plutarcho de educ. lib.* εὐγένεια προγόνων ἀγαθόν. Et illud *Boetii de consolat. Philosoph. Quid genus & proavos strepitis? Si primordia vestra, Autoremque Deum spectes, nullus degener extat; Ni vitiis pejora fovens proprium deserat ortum. Horat. Serm. l. 1. sat. 6.* ad Mœcenatem: *Referre negas, quali sit quisque parente Natus, dum ingenuus. Claudian. l. 2. de laudib. Stilicon Lectos ex omnibus oris Evehis; & meritũ, nunquam cunabula quæris, Et qualis, non unde satus.* Graviter quoq; Antigonus fortis centurionis ignavo filio ad honores adspiranti; πὰρ ἐμοὶ (φησὶν) ἀνδραγαθίας εἰσὶν οὐ πατραγαθίας τιμαί, ap. *Plutarch. de vitios. pudore.* Et sane non absurde aliqui disputant; iniquum videri propter solos natales, (qui neq; per se quid virtutis conferunt, & quos nemo sibi ipsi præstare potest,) alicui conferre immunitatem à certis reip. oneribus in fraudem reliquorum civium, aut propiorem aditum ad munia reip. concedere; cum artes ad ista munera obeunda necessariæ in aliis æque, aut magis, quam istis inveniantur. Multo

magis, si quis ex illorum sit censu, de quibus *Aristophanes Ranis act. 3. sc. 1. v. 2.* Πῶς γὰρ οὐχὶ χρυσίδας, ὅστις γε πίνειν οἶδε καὶ βινεῖν μόνον; Esse deniq; morbum reip. non mediocrem, si sum̃a potestas civilis circa mandanda munia publica certo ordini sit ita alligatu, ut aliorum opera civium uti nequeat in negotiis, quibus maxime deprehenduntur idonei; præsertim ubi non sit ipsi concessum, egregios viros in istum ordinem cooptare. Nam si principi alicui nobiles ideo sint fovendi, ut horum ope reliquos cives eo melius possit coërcere, id signum est potestatis titubantis, & paulo minus quam curru jam excussæ; dum velut in factionem cum parte civium cogitur coire, nec amplius aperta imperii vi, sed callidis artibus nititur. Enimvero nobis hautquidquam in animo est, ullius jura legitime quæsita convellere aut elevare; sed illud duntaxat ostendendum fuit, si quæ dignatio natalibus certis adhæret, eam non à natura, sed ab impositione civitatum promanare.

DE SYSTEMATIBUS CIVITATUM.

§. I.

EOrum, qui de scientia civili tradiderunt, plerosq; animadvertimus sategisse circa explicandas regulares rerump. formas: de formis irregularibus, & quæ ex pluribus

civi-

civitatibus componũtur, ſyſtematibus multi ne cogitâſſe quidem videntur; pauci ſat ſuperfunctorie attigerunt. Nam quod aliqui heic jactant tradita *Ariſtot. polit. l. 3. c. 6. (9.)* & quæ ad eum locum commentatur *Michael Piccartus*, quam parum faciant ad genuina civitatum ſyſtemata, res ipſa loquitur. Inde factum eſt, ut ſi quando occurreret corpus civile, quod ad unam ex tribus illis ſimplicibus formis non quadraret, vix aliud, quam vocabulum mixtæ reip. vulgo ſuperfuerit. Atqui decantata illa mixtura multis rebusp. male adplicatur; & proprium civitatibus vinculum diſſuit, ac neſcio quam male cohærentem cœtum generat, id quod alibi latius oſtenſum. Credere autem præter regulares illas tres formas non dari irregulares alias, valde ſimplex eſt. Neque enim, ſi conſtat, quemnam ædificiorum habitum leges architectonicæ requirant, omnes ſtatim homines ſua domicilia ad regulas artis, aut pari modo extruxerunt. Cum autem plurimarum civitatum irregularis forma ita velut induruerit, ut ſine graviſſimis motibus, fors in exitium ipſarum erupturis, ad regularem aliquam formam nequeat emendari, aut ſaltem non niſi longo temporis tractu per obliquas artes, aut inuſitata rerum converſione; oportet utique civili ſapientiæ addictum noſſe, quæ debilitas, aut quæ morborum ſemina ex iſta irregularitate proveniant: citra quod intelligi nequit, qua ratione iſta velut fulciri, hæc ſuffocari poſſint. Sic & omnino ad integritatem civilis

ſcientiæ pertinet, cognoſcere in unum ſyſtema connexas plures civitates, & quæ ſit validitas vinculi, quo continentur, quid à perfecta civitate differant; quænam in ejusmodi compagem coaleſcere maxime ſint idoneæ; quæ denique ad ea ſyſtemata ſervanda faciant. Super iſtis nulla nobis in præſens commentari eſt animus.

§. 2. Syſtemata civitatum nobis appellantur plures una civitates, vinculo aliquo ita inter ſe connexæ, ut unum corpus videantur conſtituere; quarum ſingulæ tamen ſummum in ſeſe imperium retineant. Equidem in univerſum agere de vinculis, quibus vel ſinguli homines in corpora civilia, vel corpora civilia inter ſe nectuntur, nobis jam non vacat. Id duntaxat verbo monuiſſe ſufficerit, vinculorum, quibus civitates in ſyſtematis inſtar unius junguntur, alia eſſe laxiora, alia ſtrictiora. Unde & ipſorum ſyſtematum quædam laxius, quædam arctius cohærere manifeſtum eſt. Atque illud initio diſpiciendum videtur, anne inter talia ſyſtemata referri poſſit univerſum genus humanum, ſeu univerſitas omnium gentium atque populorum. Ubi non eſt, quod operoſe in illorum opinionem inquiramus, qui credunt, univerſum genus humanum, etiam uti in tantam amplitudinem jam excrevit, uni imperio humano debere ſubjici; atque id remedium fore bellorum & turbarum, queis mortales colliduntur; ſi omnes non niſi unius & ejusdem civitatis forent cives, vid. *Felden. ad Grot. l. 2. c. 9. §. 10.* Nam recte *Grotius Apologet. c. 5. Sunt qui putant utile futurum,*

rum, si totus orbis, præsertim Christianus, uni potestati pareat. Sed ridentur ab aliis talia commenta. Nam perfectum in re quaque intelligi debet non nuda contemplatione, sed inspecto, quid materia ferat aut recuset. Et cum *Herodotus l. V.* dixerit: Thraciæ populi, ἄπορον esse & ἀμήχανον, ut unius imperio regantur, aut idem sentiant, id est, ut unum regnum aut unum systema constituant; quid fiet de omnibus gentibus ingenio, moribus, lingva, locis adeo disjunctis? Nam ut multis ostendatur, unius hominis aut concilii animum tantam negotiorum molem non posse complecti; ex contumacia gubernatorum non minores oriri posse turbas, quam nunc bella externa dant, & similia multa, putidum foret. Id potius est ut videamus, num sit aliquod vinculum, quo quicquid in universo orbe est civitatum, connectatur, cujus intuitu pro systemate qualicunque possint haberi. Tale vinculum utique non agnoscunt, qui naturalem hominum statum inter se faciunt hostilem, & qui ante pacta omnia licere in omnes statuunt. Id quod inter antiquos re ipsa professi sunt plurimi populi, qui in quosvis externos parem fere licentiam, atque in hostes sibi permittebant. vid. *Grot. de J. B. P. l. 2. c. 15. §. 5. & l. 3. c. 9. §. 18.* Verius tamē & sanctius dicitur, omne genus mortalium duplici vinculo combinari, cognatione, & lege naturali. De illa sic loquitur *Florentinus l. 3. ff. de J. & J. Cum inter nos cognationem quandam natura constituerit, consequens est, hominē homini insidiari nefas esse.* Etsi fatendum est, plerosque

paganorum eam cognitionem sola naturæ similitudine definiisse; dum veras haumanæ gentis origines ignorant, atque primos mortaliū ultro, aut incertum quo architecto è terra fabulantur enatos; aut saltem de autore ejusdem Deo obscurè & confusè tradunt. vid. *Justin. l. 2. c. 1. Diodor. Sicul. l. 1. c. 7. Lucret. l. V. v. 788. seqq.* A quibus non multum abeunt Sinenses, teste *Martinio hist. Sinicæ l. 1.* add. *Lactant. l. 2. c. 11.* Equidem *Cicero de LL. l. 1.* hominē vocat animal, quod *quadam conditione sit generatum à supremo Deo.* Sed neque quomodo homo sit conditus, neque qui hominum numerus simul sit à Deo productus, ipsi constat. Qva de re divinæ literæ luculenter tradunt, omne genus hominum ex uno conjugum pari divinitus condito stirpem suam derivare. Quo ipso dogmate affectum socialem inter homines non parum excitari rectè judicat *Grotius prolegom. ad libr. de J. B. & P.* Sicut vice versa *Hobbesius de Cive c. 8. §. 1.* stabiliendo statui suo naturali jubet homines animo concipi subitò è terra *fungorum more exortos* sine ulla cognatione atque sine omni ŭnius ad alterum obligatione, ac velut Cadmæos fratres. Sed & lege naturali omnes populos in unum velut corpus connecti sapientes agnoscunt hactenus, ut etiam citra antegressum pactum nefas sit alterum ultro lædere, atque ut omnes, quæ reliqua ista lege præscribunrur, invicem teneantur exercere. Ejus legis contemtum qui apertè præ se fert, non amplius pro membro magnæ illius societatis habebitur, sed potius pro carcinomate, ad quod tollendum, velut ad com-

communem pestem, omnes junctis viribus debeant conspirare. Quem locum latius exeqvi solent, qui legis naturalis usum & efficaciam commendatum eunt. Ex antiquis præcipuè huc faciunt Stoici, qui totum orbem magnam aliquam civitatem ferebant, cujus velut domus aut familiæ sint reliquæ civitates. Quam in rem plurima loca congessit *Thom. Gataker.* ad *Marci Antonini lib. 2. §. 16. l. 3. 11. & l. 6. §. 44. Seneca de otio sapientis c. 31.*

§. 3. Paulò arctius vinculum est propior stirpis communio,& peculiaris cognatio,quæ plerumque conjunctam habet linguæ & morum similitudinem. Cui si accedant sedes vicinæ, tractum aliquem terræ naturalibus finibus designatum complexa, efficitur, ut ejusmodi cognatæ ac vicinæ nationes, eademque lingua & moribus utentes systema aliquod constituere videantur; etsi de cœtero singulæ illarum separatam faciant civitatem. vid. *Plato de republ. l. 5. p. m. 663. 664.* ubi de Græcorum inter se cognatione agit. Add. *Herodotus* Uraniâ circa finem. Ejusmodi Systematibus quondam oppletas fuisse plerasque orbis partes, quæ postea in grandes civitates coaluere, manifestum est. Cæterum ut hoc quoque obiter addamus, cum multitudo illa modicarum civitatum utplurimum populari usa legatur regimine, liquido id videtur indicio, democratiam esse formam reip. antiquissimam; utut vulgaris alias opinio sit, principio rerum penes

reges

reges imperium fuisse, & potestas patria, quæ instar aliquod imperii regii habere dicitur, statim prima cum sobole extiterit. Neque enim, ubi regium nomen auditur, regia quoque potestas statim existit. Et licet ponamus, patrem suos liberos, quamdiu vixit, sub potestate retinuisse; illo tamen defuncto singuli filiorum suam sibi familiam seorsim constituebant; nec primogeniti prærogativa tanti erat, ut per illam solam imperium, quod pater habuerat, in fratres suos posset continuare. Quin constat, plerosque patrum adultos filios domo sua emisisse, ultroque imperio domestico solvisse; cum antiquissimæ artes, agricultura & pecuaria, disjunctas sedes postularent. Isti multiplicata dein sobole paulatim in gentem evaluere. Sed & communis ratio ostendit, cum ab initio plures homines naturali libertate atque æqualitate gaudentes in aliquod corpus civile coire decrevissent, eos maluisse prius rem communem communi consilio administrare, adeoque democratiam constituere. Quippe credibile non est, patremfam. liberum, cui relicta vita segregè cum aliis jungi placebat, uno velut momento potuisse oblivisci pristini status, in quo omnia circa suam salutem ex proprio disponebat lubitu, ut statim unius aut paucorum arbitrio negotia illa, quibus ipsius quoque salus continebatur, voluerit committere; nec ipsæ in aliquam publicæ curæ partem venire. Porro istoc, quod dixi, vinculum paulo arctius, quam comune illud, homines connectere manifestum est. Nam & societatem alit eadem cum altero lin-

ro lin-

ro lingua uti, & cognatio, morumque & institurorum similitudo benevolentiam conciliat. Ipsa quoque vicinitas in propinqua parte amicitiæ putatur, nisi alieni cupiditas, aut invidia materiam litibus præbuerit. Quæ omnia plausibiliter valde disputantur, ubi de jungendis in communem hostem viribus agitur; præsertim ubi per alterius ruinam ad nos demum bellum sit transiturum. *Virg. Æn. 3. Quibus idem Dardanus autor, Atq; idem casus, unā faciemus utramq; Trojam animis.*

§. 4. *H*abetur & illa species quædam cognationis inter civitates, quæ ad earundem conjunctionem aliquid faciat, si duæ pluresve eandem originem agnoscant, non quidem propagatione sanguinis, sed ipsarum civitatum multiplicatione. Idque potissimum contingere videtur, si regnum aliquod inter plures fuerit divisum, sic ut quilibet regum suam ditionem proprio jure, nec velut ex altero pendentem possideat. Talia fuerunt regna Macedonum, quæ ex Alexandri M. imperio provenerunt. Tale quoque fuit imperium Roman. postquam in orientale & occidentale fuit discerptum. Ubi observandum, si neque inter reges cohæredes, neque inter ipsa regna pacto fuerit cautum, ut cujus regni rex, ejusve familia extincta sit, illud cum alieno regno denuo coalescat, divisionem in perpetuum durare intelligi. Nec in unum coire illa regna, quæ ex uno provenerunt, nisi novo utrinque suscepto actu. Sic ut frustra sit v. g. rex, qui post complura secula regnum aliquod jam ad se pertinere velit contendere ideo, quod

quod quondam iſtud cum ipſius regno unum imperium effecerit, quo plane diviſo duo deinceps regna extiterunt. Sed & ſpectat huc illa conjunctio, quæ eſt inter urbes matrices & colonias, prout quidem apud Græcos quondam easdem deduci moris erat. Nam hæ ſui juris civitates fiebant, niſi quod metropoli honorem atque reverentiam deberent. Ap. *Thucid. l. 1.* Corinthios in Corcyr. ira ſtimulabat, quod ſe ab ipſis, cum coloni ſui eſſent, contemni putarent. nam neq; in publicis conventibus & ſolennibus honorem eis debitum deferebant, neque in ſacris Corinthio viro principe, ſicut aliæ coloniæ, utebantur. Quibus reponebant Corcyræi; quamvis coloniam honorem metropoli debere, dum ab ea beneficium capit; ſin injuriâ petatur, abalienari, quippe non ut ſervi, ſed ut æquali cum reliquis iure ſint, in colonias mitti. Apud *Dionyſ. Halicarn. l. 3.* Fufetius ad Tullum regem Romanorum, *quem honorem*, inquit, *parentibus liberi, eundem coloni debent ſuis conditoribus.* Cui contra Tullus: *quod colonias ſuis matricibus lege naturæ ſubjici oportere contenditis, nec verum nec aquum nobis videtur.* Adducit quoque exemplum Lacedæmoniorum, qui Dorienſibus, quorum coloni erant, imperarunt; & ipſius Albæ, quæ colonia Lavinienſium erat. Ubi hoc obiter monemus, etſi ab initio forte pari cum Græcis atque Phœnicibus more aliquot colonias Romani deduxerint, ut nempe coloni eſſent deinceps ſociorum duntaxat loco; poſtea tamen uberiori longe cum emolumento eosdem, colonias voluiſſe manere intra

com-

complexum Romani imperii. Vid. *Tac. A. XI. 24. XIV. 31. Agric. c. 16. Machiavell. discurs. l. 1. c. 1. Bodin. de rep. l. 6. c. 2. Arnis. de rep. l. 1. c. 5. sect. 9. num. 10. seqq.* & passim.

§. 5. Facit quoque ad arctiorem civitatum conjunctionem consensus circa modum colendi Numinis; postquam circa hunc in plurima sententiarum divortia gentes discesserunt, & cuilibet persuasum, quam ipse fovet opinionem solam esse veram; reliquos omnes decipi. Cum autem & illud mortalibus sit infixum, Numen non nisi illis eximie favere, qui ad modum genuinum ipsique probatum ejusdem cultui operantur; consequens est, ut peculiaris cujusdam amicitiæ semina inter illos existant, qui æque propitio uti Numine censentur. Porro cum sacerdotes publici cultus sint administri, & plerunque divinæ voluntatis signa interpretari ad sese præcipue spectare contendant; adparet, ubi cum summo imperio civili prout decet conspiraverint, egregiam ipsos operam navare posse ad internam civitatis concordiam. Sicut contra quando seorsim sibi tendere instituunt, quanta mala rebusp. inferre queant, vel ex eo solo potest liquere, quod habetur apud *Diodor. Sicul. l. 3. cap. 6. Qui in Meroe dum cultus administrant sacerdotes, quandocunque ipsis in mentem venerit, misso ad regem nuncio vita se illum abdicare jubent. Oraculis enim deûm hoc edici: nec fas esse ab ullo mortalium, quod dii immortales jusserint, contemni. Alias quoque rationes adjiciunt, quas ingenium simplex.*

Vete-

veterique & perpetuo mori assuefactum, nec jussis non necessariis refragandi argumenta habens, facili credulitate admiserit. Et per superiores quidem ætates non armis aut vi coacti, sed mera superstitionis fascino mentem capti, ita morem gesserunt: donec Ergamenes Æthiopum rex. Ptolomæo II. rerum potiente, Græcorum disciplina & Philosophiæ particeps, mandata illa primus aspernari ausus fuit. Nam hic animo, qui regem deceret, sumto, cum militum manu in locum inaccessum, ubi aureum fuit templum Æthiopum, profectus, omnes illos sacrificos jugulavit, & abolito more pristino sacra pro arbitrio suo instauravit. Hactenus *Diodorus*. Cæterum ubi sacerdotum eadem sacra profitentium autoritas sese per vicinos populos exserit, & ipsi in commune solent consulere, isti quoque populi systematis instar videbuntur præferre. Id quod circa antiquam Galliam, ex multis civitatibus constantem, contigisse docet *Cæsar de B. G. l. 6. Druidæ magno apud Gallos sunt honore. Nam fere de omnibus controversiis publicis privatisque constituunt, & si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hæreditate, de finibus controversia est, iidem decernunt; præmia pœnasque constituunt. Si quis aut privatus aut publicus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt, hæc pœna apud eos est gravissima. Quibus ita est interdictum, ii numero impiorum ac sceleratorum habentur, iis omnes decedunt, aditum eorum sermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant, neque iis petentibus jus*

red-

redditur, neq; honos ullus communicatur. His autem omnibus Druidibus praeest unus, qui summam inter eos habet autoritatem. Is certo anni tempore in finibus Carnutum, quae regio totius Galliae media habetur, considunt in loco consecrato. Huc omnes undiq;, qui controversias habet, conveniunt, eorumque judiciis decretisque parent. De iisdem *Strabo l.4. Justissimi omnium opinione, ideo & privata & publica judicia eorum fidei mandantur, adeo ut rem etiam bellicam antea judicarent, & martem collaturi illis jubentibus desisterent. Capitis quoque judicia horum sententiae permittebantur.* Add. *Franc. Hotomanus Franco-Galliae c. 1.*

§. 6. Antiqua Græcia itidem qualiscunque systematis faciem habebat præter causas §. 3. adductas non solum ob judicium Amphictyonum, qui plurimorum populorum controversias decidebant ex fœdere & conventione; de quo vid. *Ubbo Emmius Vet. Graec. tom. 3. p. m. 338.* sed & ob sacras panegyres & ludos in deorum honorem celebratos; qui sacrorum & voluptatis communione, ipsoque conventus celebritate non parum ad conciliandos Græcorum animos judicabantur facere. Idem pensi habens Tarquinius Superbus post renovatum inter populos Latinos fœdus ferias Latinas instituit, quotannis in monte Albano per sacra atque epulas celebrandas. Quo loco non abs re fuerit obiter expendisse, quid rationis habuerint Græci atque Romani, nec non alii quidam, quod partem cultus divini ludos atq; spectacula fecerint. Neque enim adparet, quam con-

convenientiam cum majestate Numinis habeant ista jocularia; aut quid venerationis concipere possint animi, in lascivam utplurimum lætitiam effusi. Sane in istos ludos gravissime invehitur *Lactantius de vero cultu c. 20.* ostenditque, quantopere rationi virtutis studio isti fuerint adversati. *Inhumanos & crudeles esse ludos; humani effusionem sanguinis voluptati haberi; in fabulis comicis agi de stupris virginum, aut amoribus meretricum; in tragicis parricidia, & incesta regum malorum, & cothurnata scelera demonstrari; histrionum impudicos motus quid aliud nisi libidinem docere: mimos corruptelarum præferre disciplinam: Circensium quoq; ludorum rationem quid aliud habere nisi levitatem, vanitatem, insaniam? Tanto namq; impetu concitari animos in furorem, quanto illic impetu curritur.* Addit demum: *ludorũ celebrationes deorũ festa sunt: siquidem ob natales eorum, vel templorum novorum dedicationes sunt constituti. Et primitus quidem venationes, quæ vocantur munera, Saturno attributæ sunt; ludi autem scenici Libero; Circenses Neptuno. Paulatim vero & cæteris diis idem honos tribui cœpit; singuli ludi numinibus eorum consecrati sunt. Arnobius l. 7.* ubi itidem absurditatis istos ludos arguerat, subdit, *ideo creditum fuisse, deos ejusmodi rebus delectari, quod mortales ignorantia naturæ divinæ ex suo ipsos ingenio metiendos duxerint, deosque ex se finxerint, & qualis sibi natura est, illis talem dederint actionum, rerum, voluntatumq; naturam.* Isthæc, uti recte omnes

pii

pii testantur; ita in veram ejus rei rationem, & quam antiquissimi illi civitatum rectores videntur ob oculos habuisse, utut posteri foedos in abusus sint prolapsi, ducit *Cicero de LL. l. 2. Ludis publicis, quod sine curriculo, & sine certatione corporum fiat, popularem lætitiam in cantu, & fidibus, & tibiis moderantor, eamq; cum divum honore jungunto.* Ejus legis non aliam videtur rationem assignare, quam quod varii canendi soni magnam vim habeant in flectendis animis. Pertinet huc illud *Strabonis l. 10. Commune tam Græcorum quam barbarorum est, sacrificia festiva cum animorum remissione agitare. Nam ipsa remissio mentem ab humanis abducit, ac intellectum revera ad divinitatem convertit. Recte illud dictum est, mortales tunc maxime deos imitari, quando benefici sint. Rectius quis dixerit, quando felices sint, quod gaudere est & festos dies agere, & philosophari, & musicam attingere.* Hæc *Strabo.* Scilicet cum dii omni circumfluentes lætitia ævum agitare, omniumq; bonorum mortalibus autores esse crederentur, conveniens videbatur, dies ipsorum honori destinatos cum lætitia celebrari. add. *Virgil. Æn. 1. v. 731. seqq.* Credebantur quoque plebis animi in amorem deorum excitari, qui isthæc ipsis otia fecissent, & à laboribus curisque respirationem indulsissent. *Seneca de tranquillit. animi c. 15. Legū conditores festos instituerunt dies, ut ad hilaritatem homines publice cogerentur; tanquam necessarium laboribus interponentes temperamentum.* Sed hæc in transitu.

§. 7. *San-*

§. 7. Sanctissimo vinculo recte creduntur inter se jungi, qui religioni Christianæ nomina dederunt; quippe cum illa suis sectatoribus tam solicite pacem, concordiam & dilectionem mutuam inculcet, eorumque conjunctionem blandissimo fratrum vocabulo designet. Et sane si pressius expendamus ejusdem decreta, prout ab ipso Salvatore, ejusque primis ministris sunt tradita, (nam post nonnulli sacerdotes non pauca in quæstum suum, aut alendæ ambitioni detorserunt,) præter ea, quæ adversus DEUM exercere jubentur homines, in illam maximè deprehenditur agere, ut ex animis hominum extirpentur ea vitia, quibus in odia mutua, & discordias iidem solent irritari. Quo cum accedat, ut omnes eadem religione initiatos DEUS filiorum nomine dignetur, omnes quoque iisdem mediis DEUM propitiandi utuntur, & post expletam mortalitatem ad ejusdem felicitatis consortium vocentur; fieri non potest, quin arctior quædam necessitudo intelligatur inter eos, quorum animos penitius ejusdem efficacia emendavit. Enimverò illud operosius dispiciendum fuerit iis, qui ex professo sacra tractant, an quod ex isthoc vinculo resultat systema, tantum absolvatur nudo consensu in eadem dogmata, & conspiratione animorum in mutuam dilectionem; an verò eidem continendo requiratur quoque instar aliquod imperii sacri, quod ejus religionis exercitium eidemque peculiariter operatos homines in quibuscunque civitatibus moderetur. Id duntaxat

monen-

monendum fuerit, bicipitem reddi civitatem, si penes unum suo jure summa & independens sit potestas circa sacra, reliqua reip. administratione penes illum manente, cui de cætero sumum imperium civile tribuitur. vid. *Hobbes de cive, c. 6. §. 11. & c. 12. §. 5.* & *Leviath. c. 29.* Quanquam & alii præterea disputant, ut primarius scopus religionis Christianæ obtineatur, non videri necessarium, ut peculiaris resp. sacra constituatur, à civili potestate disjuncta; cum æque civilis potestas procurare possit, ut populo scita doctrinæ Christianæ ritè promulgentur. Nec ad expedienda dubia, si quæ circa isthæc occurrant, opus esse perpetuum velut oraculum adiri; sed illa posse componi vel autoritate summi imperantis in ea civitate, ubi sunt exorta, vel adhibitis aliis eadem sacra professis in locum velut arbitrorum, saltem ad temperandum fervorem dissentientium. Sed ea de re alii viderint. Id duntaxat paucis attingendum fuerit; Annon officium foret civitatum Christianarum saltem per Europam, in systema aliquod perpetuo munitum fœdere coire; cujus duplex potissimum finis sit; placidis modis sopire controversias, quarum violenta disceptatio tantam vim sangvinis haurit: & infensam Christiano nomini Turcarum potentiam coërcere. Præsertim quia nonnulli addunt; *bella in Turcam Europæis Christianis tanquam populis acribus & bello pronis pro præcipuo instrumento domesticæ pacis & tranquillitatis amplectenda esse.* add. *Grot. de J. B. P. l. 2. c. 15. §. 15.* Quin & cir-

& circumfertur delineatio ejusmodi reip. Christianæ, designans, quæ civitates isti societati dare nomina debeant, quibus finibus singularum ditiones sint circumscribendæ, qui locus habendo concilio perpetuo, quæ potestas concilii, qui numerus assessorum: quid copiarum sit comparandum extirpando communi hosti, & quæ sunt alia. Nec deficit dux, qui ad ejusmodi systema constituendũ volentes invitet, tergiversantes vi compellat, & supervacuas opes uni demendo, aliis addendo in æquilibrium sociorum vires temperet. Enimvero præterquam quod valdè adhuc dubitemus, serio talia sint cogitata, an iste color tegendis longe diversis consiliis sit obductus; circa introducendam istã remp. talia præsupponuntur, quibus confidere, aut rationes suas superstruere temerarium aut vanum fuerit. Fundamenti enim loco ibi habendum est, eum, qui per istam mutationem ditionibus suis diu possessis est exuendus, non omnem moturum lapidem, ut sua defendat, ac omnibus ipsius conatibus fortunam adversaturam. Tantam quoque multitudinem Regum, Principum ac rerump. liberarum, quorum multi exigua valdè commoda ex tali mutatione poterant expectare, in id consilium conspiraturos, ac nemini subituram invidiam in eos, quos solos gloria & utilitas ex eo facinore manebat. Dissidium quoque religionis ejusmodi conjunctioni nullam remoram injecturum. Tum nihil improvisi velut ex transverso intercursurum in consilio, cujus executioni novem anni destinabantur, puta mortem ejus prin-

principis, qui iſtarum rerum præcipuus autor erat: nec diſcordiam inter ſocios interea poſſe oriri, aut diverſam partem, quæ in ordinem erat redigenda, non poſſe unum aut alterum, oſtentato majore emolumento, ſibi adjungere. Denique omnes tam obeſæ naris futuros, ut credant, eum, qui primas in ea mutatione partes egerit, ſola facti gloria fore contentum, omnesque ſumtus ac labores in aliorum uſum gratis impenſurum, nullâ prædæ parte ſibi decerpta. Præſertim cum non infrequens ſit, ſuum quam maximè commodum captare tunc, quando ambitioſiſſimè quis ſtudium ſuum erga alios oſtendat. Sicut hautquidquam tanto elogio efferri merebatur factum Romanorum, Græcos liberos pronunciantium apud *Livium l. 33. c. 32. 33.* De cætero quam fragilia ſint fœdera, plurimis exemplis docet *Forſtnerus ad Tacit.* A. 1. ad verba, *poſt Antonium Tarentino Brunduſinoque fœdere.*

§. 8 Verum ex iſtis vinculis laxiora tantum ſyſtemata efficiuntur. Ad arctiora ſyſtematum explicanda priusquam accedamus, nonnulla fuerint præmittenda, ne civitates aliquæ per errorem inter ſyſtemata referantur. Ac illud initio manifeſtum eſt, civitatem veram, non ſyſtema exiſtere, utut illa ſit compoſita ex pluribus corporibus ſubordinatis, quæ & ipſa *Hobbeſio Leviath. cap. 22.* ſyſtemata nuncupantur, atque cum muſculis in corpore humano comparantur. Sed nec ſtatim ſyſtemata ſunt magnæ civitates, quæ incrementa

sumserunt absorptis aliis civitatibus,& in unū secū corpus redactis.Id quod duplici potissimum modo videmus fieri.Uno,ut victor devictarum civitatum cives in suas quoque sedes transferat,aut jure propriis civibus exæquet, altero; ut devictæ civitates antiquis in sedibus relinquantur,& extincto,quod penes se antea habebant, imperio, victrici civitati mere fiant subditæ. Prioris generis incrementa comparari possunt cum urbe, quæ manentibus antiquis pomœriis incolarum aut ædium numero crescit; posterioris, cum urbe, quæ extra mœnia suburbiis augetur. Utrinque victa civitas esse desinit; sed illic victi victoribus exæquantur, heic fere deteriori conditione esse jubentur, in formam provinciarum redacti. Etsi frequenter etiam bello devictis provinciis aliqua pars antiquorum privilegiorum, aut legum relinquantur,utut a legibus aut moribus victricis civitatis discrepantium. vid. *Hobbes. Leviath. c. 26.* Nam ad unitatem civitatis non requiritur, ut omnes ejusdem partes integrantes iisdem utantur legibus positivis, aut pari omnes conditione habeantur; sed sufficit, si ab uno omnes imperio dependeant. Et sæpe inter artes victoris est,de pristino more eorum,quos vicit,nihil immutare. Cæterum circa administrationem provinciarum expendenda sunt, quæ tradit *Hobbes. Leviath. c. 19. Quando Romani quondam v. g. Judææ per præsidem imperabant, resp. Judaica ideo non erat democratica: quia non regebatur per ejusmodi concilium; in quo quilibet comparere poterat: sed nec aristocratica erat, quia non regeba-*

gebatur ab ejusmodi concilio, in quod pauci electi admittebantur. Verum imperabatur ipsi ab uno homine, qui intuitu populi Judaici, cujus nulla in imperio partes, pro monarcha erat habendus. Quanquam enim, ubi populus regitur per concilium, quod ex ipso constat aut eligitur, resp. vocetur democratica aut aristocratica: tamen ubi populus regitur à concilio, quod ipse non eligit, pro monarchia haberi oportet, non unius hominis in alium hominem, sed unius populi in alium populum. Sic igitur ex mente *Hobbesii* monarchiæ erunt vocandæ etiam illæ provinciæ, quæ subsunt civitati alicui democraticæ aut aristocraticæ. Enimvero etsi facile admittamus, frequentius esse, ut provinciæ regantur ab uno homine, quam concilio ex pluribus constante, id quod *Idem l. d. c. 22.* latius ostendit: tamen supervacuum nobis videtur disquirere, quænam forma reip. sit in aliqua provincia. Isthæc enim duntaxat invenitur in civitatibus: provinciæ autem civitates esse desierunt, factæque sunt aliarum civitatum appendices, quæ in se ipsis nihil imperii habent. An autem ejusmodi provincia ab uno præside, an ab aliquo concilio regatur, ad ipsum imperium nihil interest; cum tam ille quam hoc delegata duntaxat potestate utatur. Sic ut quod in provincias sive appendices civitatum exercetur imperium, uniforme videatur, & non nisi improprie monarchicum, aut aristocraticum dici queat; quippe cum isthæc formarum reip. discrimina ad civitates proprie dictas pertineant, & quæ suum

in se ipsis imperiū possident. Sed & paucis perstringi meretur musteus quidam conscribillator, qui efficacissimum modum ambiendi locum in supremo Arcadiæ concilio credidit perituræ non parcere chartæ; qui nobis *corpora civilia ex distinctis rebusp. mixta* comminiscitur. Cui commento stabiliendo sane quam subtiliter tradit; *inter corpora civilia, quæ ex aliis conglomerata sunt, duplex discriminis intervallum intercedere. Ita namq; cum illis comparatum esse, ut inter totum corpus & singulas particulares resp. sit quædam aut coordinatio, aut subordinatio.* Prioris generis exemplum ponitur fœderatum Belgium, posterioris specimen ipsi habetur Imperium Germanicum. Ubi quæro, *corpus illud conglomeratum* an una sit civitas, an verò idem plures civitates proprie dictas contineat. Si sit una civitas, non potest plures in se civitates aliter continere, quam ut illæ civitates esse desierint alterutro eorum modorum, quos paulo ante designavimus. Sed si plures illæ civitates manent civitates, sive cœtus perfecti, quarum singulæ suum imperium in se retineant, & tamen eminentiori alicui capiti sint *subordinatæ;* tunc scire velim, quodnam vocabulum conglomerato suo corpori iste sit indituturus, postquam tantopere systema irregulare sociorum velut inæqualiter fœderatorum fastidit. Nam κρησφύγετον illud de mixta rep. ipsi mixturæ patroni occludunt, dum *etiam mixtam civitatem unam esse civitatem* diserte tradunt. Ipse ergo viderit, quomodo ex hisce difficultatibus sese extricet.

§. 9. Ar-

§. 9. Arctiorum systematum duas potissimum deprehendimus species; unam, si duæ pluresve civitates unum & idem habeant caput; alteram, si duæ pluresve civitates fœdere in unum corpus connectantur. Circa priora systemata observandum, in corporibus moralibus utique fieri posse, ut plura corpora unum duntaxat habeant caput, utque adeo una persona caput esse possit plurium & distinctorum corporum. Quod in corporibus naturalibus monstrosum erat futurum. Quia autem unio ejusmodi systematum in sola persona regis, aut ejusdem familia fundatur, inde fit, ut ista extinctâ ad singulos populos seorsim redeat jus de suo regimine pro arbitrio statuendi, neque ipsis necessarium sit deinceps quoque eodem uti capite. Cæterum quod plures istæ civitates, utut idem habeant caput, distinctæ tamen maneant, in aperto est. *Grotius Apologet. c. 1.* verba Caroli V. Anno 1555. Belgarum principatu abeuntis hæc recitat: *Quanquam ea* (nationes) *essent diversa ac separata: ab iis tamen unum constitui corpus, atq; ejus corporis membra debere opem inter se ferre mutuam.* In literis ad regem Hispaniæ Anno 1573. Hollandiæ & Zelandiæ proceres ita scribunt: *Nationes hasce, cum olim diversis principibus regerentur, matrimoniis, pactis, hæreditatibus venisse sub domum Burgundicam primum: deinde per nuptias Austriaca, ac potentissimo Hispaniarum regno connexas: sed dicta semper lege, ut quaq; natio sua jura, leg[illegible] & proprium regimen ita ut antiquitus retin[illegible]* Et quanquã

L ex

ex commodo imperantium ſit, ad eundem modum omnes ſibi ſubjectos poſſe regere : ut tamen diverſos populos in unam civitatē compingant, ſæpiſſime eorundem pertinacia antiquis legibus atque moribus inhærendi obſtat. *Grotius Apologet. c. 1. Carolus Imperator, princeps adeo præpotens, operam dedit, (quod nonnulli narrant,) quo tota Belgico-Germania in unam imperii formam coiret, etiam ſub iisdem legibus, nummis, menſuris, ponderibus, rebusque aliis ejusmodi: quale erat, quod olim Aratus in diverſis Græciæ urbibus effecerat. Sed hic diverſitas ſitus, ingenii, aliaq; circumſtantiæ id vetabant.* Sic quando Jacobus VI. unionem regni Angliæ & Scotiæ meditabatur, ut in unum regnum coaleſcerent ſub vocabulo Magnæ Britanniæ, reluctantibus Angliæ proceribus id non potuit perficere. Quorum rationes à *Pet. Matthæo in hiſt. Henric. IV. l. 7. membr. 1. num. 13. & Thuano l. 131.* afferuntur: nullam inſignem utilitatem aut neceſſitatem id ſvadere. Nam ad eum finem, ut deinceps neceſſe non eſſet in finibus præſidia alere, aut novis ad hoſtium incurſiones arcendas limitem firmare, unione opus non erat: cum eo ipſo, quod regna illa communem haberent regem, perpetua pax inter eadem eſſet ſancita. Secuturam confuſionem in negotiis, in comitiis convocandis, in ſigillis, munerum publicorum diſtinctione, legibus ſanciendis, libertatibus, privilegiis, actis publicis, & contractibus privatorum. Extincta Jacobi familia regnum iri devolutum ad ejusdem agnatos [illegible]cos, excluſis hæredibus Anglicani

cani nominis Nationis Anglicanæ splendorem novo vocabulo iri obductum; simul perituram prærogativam, quam Anglia sibi præ Scotia quæsiverit; & quæ sunt alia. Trahi huc possunt illæ preces Junonis apud *Maronem Æn. 12. v. 823. Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos, Neu Troas fieri jubeas, Teucrosq; vocari: Aut vocem mutare viros, aut vertere vestes. Sit Latium, sint Albani per secula reges.* Quanquam an illæ rationes tanti sint, & annon incommodis quæ metuebantur remedium potuerit adhiberi, dubium est. Certe *Hobbes Leviath. c. 19.* judicat, si consilium Jacobi effectuum fuisset sortitum, facile potuisse elidi semina bellorum civilium, quibus post ista regna misere fuere quassata. Id tamen nomen Magnæ Britanniæ efficiebat, ne Scotis præberetur causa querendi, non citra sui contemtum Scotiæ nomen Angliæ postponi à rege, qui prius Scotiæ quam Angliæ rex fuerit, & abs se paternum, ab Anglis maternum duntaxat stemma derivaret. De cætero recte huc adplicari possunt illa *Jacobi Godofr. de praced. part. 1. c. 1. num. 5. Unio plurium regnorum sub unum & novum nomen non inducit novam reip. formam, neq; hac unione fit novum regnum. Idem enim status est, eadem potestas, eadem substantialia & formalia, & subrogatio alterius nominis non facit, ut res alia videatur.* Add. *Idem* ad l. 123. §. 1. ff. *de Reg. Juris.*

§. 10. Cæterum possunt ejusmodi systemata provenire ex variis causis, quas inter frequentissimæ sunt matrimonia principum, & jus hereditarium. Sunt enim civitates, in quibus summum imperium

L 5 etiam

etiam ad fœminas ex familia regnatrice oriundas devolvitur, non ſolum quando omnes maſculi ex eadem deficiunt, ſed & ubi in propiore aut pari gradu nullus maſculus extiterit. Nam ut propter ſolam prærogativam ætatis in pari gradu fœmina maſculo præferatur, exemplum me legere non memini. Heic igitur ſi contingat, fœminam regni dominam nubere viro itidem regi, ſaltem in ipſorum ſobole regnorum fiet conjunctio. Nam in ejusmodi matrimoniis non eſt neceſſum, ut uxor mariti ſeſe imperio una cum ſuo regno ſubjiciat. Sic in pactis matrimonialibus inter Mariam reginam Angliæ & Philippum Caroli V. filium apud *Thuanum l. 13.* Philippus tantum *ſocius in adminiſtratione* regnorum uxoris eſſe, jubetur, æque ut illa in regnis mariti: *plena tamen ac libera beneficiorum, gratiarum, ac functionum diſtributione penes reginam remanente.* Ex quo ipſo matrimonio juſtum potuiſſet provenire ſyſtema, ſi, ſuperſtite Principe Carolo, ex Philippo & Maria nata fuit ſoboles; quæ in omnia regna matris, & præterea in omnes Belgii & Burgundiæ, quos Cæſar poſſidet, principatus debebat ſuccedere, eoque defuncto in omnia quoque Hiſpaniæ & Italiæ regna ac ditiones. Sic ſi contingat in regno indiviſibili, ubi ſucceſſio hæreditaria ſimplex aut linealis eſt recepta, ut ex remotioribus regni hæredibus aliquis novum ſibi regnum quocunque modo adquirat; ſi propioribus extinctis illum lex ſucceſſionis ad regnum vocet, noviter quæſitum regnum utique cum avito copulabitur. Idem accidit

cidit, si populus regem eligat, qui jam antea regnum aliud possidet, aut quem alterius regni successio manet. Possunt quoq; duo aut plura regna fœdus aliquod inire, ut eundem regem concordibus suffragiis eligant, ut tamen de cætero singula regna separata maneant, nec negotia sua in communi aliquo consilio expediant. Denique tale quoque systema exsurget, si rex aliquis libera populi voluntate constitutus, armis sibi subjiciat alium populum proprio nomine ac periculo, propriisque sumtibus, non nomine aut sumtibus populi, cui præest. Frustra est enim *Hotoman. quæstion. illustr. 1.* dum contendit, si quos populos rex bello quæsierit, cum eos non sine civium sanguine & sudore quæsierit, civibus potius quæsitos credi debere, quam regi; quo argumento evincere vult, non posse ullum regnum esse in patrimonio regis. Constat quippe non omnia bella geri ex sumtibus ærarii, quod ad tolerandas necessitates reip. est institutũ, neq; per operas militares civium, quas civitati tuendæ debent. Fieri enim potuit, ut ex privato patrimonio rex exercitum comparaverit, & aluerit; aut ex reditibꝰ patrimonii regni, de quibus, quod superest expensis publicis, ipsius dispositioni relinquitur, addicentibꝰ insuper nonnullis civium gratuitam operam, aut ut & ipsi in partẽ prædæ veniant. v. *G. de J. B. & P. l. 1. c. 3. §. 12.*

§. 11. Dispiciendum porro, quæ commoda aut incommoda ejusmodi conjunctionem soleant comitari. Inter commoda illud non postremum est, quod dissidia, quæ quondam istos populos committebant, hoc modo sopiantur, & firma amicitia

citia atque concordia invicem ſtabiliatur. Videatur epiſtola Somerſeti ducis ad proceres Scotiæ, ut Maria Regina Scotiæ Eduardo regi Angliæ deſponderetur, apud *Sleidanum l. 20.* Præſertim cum vicini aſperrimis odiis aut frequentibus rixis ſæpius collidantur. Habet quoque ejusmodi conjunctio arctiſſimi inſtar fœderis; & cum omnes populi ad eundem regem pertineant, ipſe facile efficiet, ut per conjunctas omnium opes ſinguli defendantur, ſuumque jus adverſus alios exſequantur. Huc accedunt omnia illa commoda, quæ ex amicitia & familiaritate inter diverſos populos ſolent redundare; puta ut ipſi commercia invicem ſecure exerceant, connubiis & affinitatibus jungantur, & coalitis paulatim animis in commune decus nitantur, atque mollius invicem quam alias extraneos ſeſe tractent. Quo pertinet exemplum, quod habetur apud *Zouchæum de Jure inter Gentes part. 2. ſect. 2. quæſt. 11.* Cum alias extraneus non ſit capax hæreditate adquirere fundum in regno Angliæ, poſt conjunctionem ſub Jacobo VI. factam Robertus Calvinus Scotus obtinuit contra Joannem Bingley Anglum, ut capere poſſet terras in finibus Londinenſibus ſitas. Ubi ratio decidendi non erat, quod ex regnis illis jam unum fuiſſet factum; ſed quod quondam incolis Normanniæ & Aquitaniæ, & hodie Hibernis jus eſſet hæreditatem in Anglia cernendi. Cumprimis autem ex ejusmodi conjunctione inſigne emolumentum poſſunt capere illi populi, qui junctim regionem aliquam incolunt

colunt naturalibus finibus circumscriptam & munitam; uti est Britannia Magna, Hispania, & ex parte regna arctoa. His enim non amplius necessum est fines, quibus inter se junguntur, munire; & cum domestico velut hoste non distrahantur, sedesque ac velut fons virium exteris non temere pateat, ipsis citra probabile periculum sua amittendi, ubi opus fuerit, utiliter licebit in aliorum terras sedem belli transferre. Nam quanti sit, bellantem proprias regiones à bellorum calamitatibus habere immunes, optime intellexit Hannibal, qui Romanos extra Italiam bello invictos judicabat, apud *Livium l.34.c.60.* & *Justinum l.31.c.5.*

§.12. Aliquando tamen non minora incommoda talem conjunctionem possunt sequi. Primo enim sæpe rex diversorum regnorum negotiis distractus singulis expediendis minus est sufficiens; præsertim si populi diversis legibus atque institutis utantur, & diversis moribus atque ingenio præditi pari modo tractari aspernentur. Nam ut rex singulorum moribus, prout cum unoquoq; negotium intervenit, dextre sese accommodet, in arduo est. Porro cum rex diversis in regnis simul versari non possit, neque facile sit talem invenire regiam, quæ singulis populis æque commoda sit, ac si in meditullio singulorum regnorum sedem haberet; necessarium fuerit, cives non citra molestiam in aliud regnum proficisci, ubi desideria sua ipsi regi exponere placuerit, aut absente rege per vicarios remp. administrari. Qui sæpe remissiore

L 7 affe-

affectu aut cura regnum, tanquam alienum, prosequuntur, quam ipse rex. Atque isthæc eo gravius premunt populos, quo remotius ista regna invicem sita sunt. Nam quod apud *Thuanum l. 61.* Henricus ex Gallia ad Polonos inter alia scribit; *utrumq; se regnum mutuis caritatibus connectere ita velle, ut sociatis ac permistis eorum bonis* (per interjectam sc. Germaniam, aut mare) *singulorum mala ad neutrum, bona ad utrumq; perveniant*: id quale sit facile intelligitur. Ut autem rex perpetuo ex uno regno in alterum circumcurrat, ægre fieri poterit. Sed & illud inde provenire potest, quando rex uno in regno perpetuam sedem posuerit, ut aliorum regnorum opes eo paulatim confluant, ubi regia est. Grave quoque, sed & frequens est incommodum, si rex in unum populum, quam in alterum pronior sit, sive quod ex illo originem ducat, seu quod ingenio, aut affectu peculiari, aut per similitudinem religionis eidem magis concilietur; sive quod stabilem apud unum sedem posuerit, aliis nunquam aut raro aditis: seu denique quod unus alterum splendore, opibus, aut regionis amœnitate longe superet. Heic enim proximum est, ut adamata natio ubiq; in aula regis emineat, reliquæ despiciantur. Quo si accedat, ut ex eadem magistratus atque præfecti aliis dentur, eorundemque loca munita dilecti populi milite insideantur; prona datur via illos paulatim in provinciarum formam redigendi. Expendi quoque heic meretur, quod refert *Franc. Baconus de Verulamio in historia Henrici VII. &*

Poly-

Polydor. Virgil. histor. Anglic. l. 26. Cum deliberaretur de jungenda Henrici VII. filia Margareta regi Scotiæ Jacobo IV. quosdam *supposuisse; si duo regis filii sine hæredibus masculis defuncti essent, regnum Angliæ ad lineam Scotiæ devolutum iri, quod monarchiæ Anglorum præjudicio esse possit. Cui objectioni rex respondit; id si contigerit, Scoticam accessionis Angliæ futuram, non Angliam Scotiæ; majus enim regnum minus ad se tracturum. Ideoque unionem illam tutiorem futuram, quam fuerat illa Franciæ.* Accedit denique & hoc, quod quæ unum peculiariter regnum tangunt lites, reliqua quoque, ad quæ alias illæ nihil spectant, sæpé involvant; dum hostis ex pluribus ejusdem regis regnis bello invadit, prout quodque oportunum bello est, etsi lis ad illud haudquidquam pertineat. Ubi eo deteriore quodlibet regnum est conditione, quo pluribus id hostibus ad incursionem patet.

§. 13. Consequens est dispicere, quænam regna sub uno rege uniri maxime sint idonea; simulque quid cavendum sit ita uniendis ad declinanda, quæ indicavimus, incommoda. Uniri commode possunt regna, quæ non vicina solum sunt, sed & quæ simul naturalibus munimentis, puta mari, magnis fluviis, aut montibus, saltem majori ex parte, cinguntur. His enim, per unionem intestini velut hostis metu sublato, in proclivi est, externa bella propulsare, aut ultro inferre. Sicut contra absurdum est, illa regna sibi communem velle regem adsciscere, quæ interjectis magnarum regio-

regionum aut marium ſpatiis disjunguntur, ſic: ut commode abs eodem rege nequeant obiri, aut bona viresque ſuas invicem communicare. Facit quoque ad concinnitatem ſyſtematis, ſi populi jungendi eadem lingua utantur, ac moribus, inſtitutis, ingenio non multum invicem discrepent. Neque obſtat, æmulationem aliquam aut odia inter iſtos hactenus interceſſiſſe. Cum enim illa ex mutuis injuriis aut bellis ortum traxerint, hisce ſublatis, paulatim quoque iſta exoleſcunt. Porro uti rationis fuerit illos conjungi, qui eundem hoſtem omnibus pariter imminentem metuunt; ita imprudenter aliquis populus ultro cum eo ſeſe copulaverit, cui multæ cum aliis controverſiæ intercedunt; præſertim ubi is regionum eſt ſitus, ut ipſe facilius ab hoſte poſſit invadi, quam alter populus, quem peculiariter iſtæ controverſiæ tangunt. Scilicet ubi me ipſum propriis viribus conſervare poſſum, ſtolidum foret, alterius me turbis ultro immiſcere, & ex iis redundantia damna in me derivare, alieniſque bellis arenam præbere. Aſt qui cavere vult populus, ne tali conjunctione libertatis ſuæ jacturam faciat, non temere ſe adjunget populo nimis potenti, nec adſciſcet regem, qui alteri populo non poſſit non eſſe magis addictus, quam ſibi. Vid. quæ contra unionem Benearnij cum regno Galliæ diſputantur apud *Barth. Gramondum hiſt. Gall. l. 3. p. m. 193*. Provideat quoque, ut omnia reip. ſuæ negotia, atq; munia per indigenas obeantur, utq; regi apud alrerum licet populum moranti ſit adjunctum conſilium ex indige-

digenis constans, per quod ipsius negotia expediantur, nec unquam concedat, ut loca munita non in domesticis militis sint manu.

§. 14. Verum cautelæ istæ melius puto intelligentur, si earum unum atque alterum exemplum heic adducamus. Apud *Thuanum l. 13.* ordines Angliæ pactis connubialibus inter Mariam reginam & Philippum Caroli V. filium isthæc addenda censebant: *Ut Philippus nullum ad munus publicum aut dignitatem in regno admittere possit, nisi qui in Anglia natus sit, & reginæ subditus: non possit reginam ex Anglia, nisi ipsa roget, secum abducere, nec filios, quos ex ea susceperit, qui in Anglia adolescent & educabuntur in spem successionis, nec inde exire permittentur, nisi necessitas aut legitima causa inciderit, idq; ex Anglorum consensu. Philippus nihil in iis, quæ ad jura sive publica sive privata, immunitates, consuetudines regni spectant, innovet: antiqua regni jura confirmare & servare teneatur; nihil gemmarum & pretiosæ suppellectilis ex Anglia avehi permittat; nihil ex regio patrimonio alienet, naves, machinas, & omnem apparatum bellicum conservet; arces & munita loca diligenter custodiri curet; postremo hujus connubii ratione nihil fœderi inter regem & reginam nuper inito derogetur, paxq; inviolata inter Gallos & Anglos maneat.* Huc quoque faciunt illæ conditiones, quas Philippus II. offert Lusitanis, si ultro ipsi regnum vellent tradere, apud *Connestaggium de unione Lusitaniæ cum Castilia l. 4.* quas inter sunt, ut

con-

conventus ordinum non habeantur nisi in Lusitania: omnia officia regni conferantur tantum indigenis; miles præsidiarius sit Lusitanus: ne aliis qvam Lusitanis navibus navigetur ad extranea Lusitanorum loca; moneta in Lusitania cusa ejus regni tantum insignia præ se ferat: omnia beneficia Ecclesiastica, ut & feuda vacantia denuo conferantur in Lusitanos: si rex in Lusitaniam venerit, domicilium capiat admodum Lusitanis, non Castilianis, usitatum: regi ubicunque fuerit adsistat consilium ex Lusitanis constans, per quod ejus regni negotia expediantur, atque idem in literis decretisve utatur dialecto Lusitanica; omnes causæ justitiam spectantes intra Lusitaniam decidantur, & exsecutioni dentur: rex ipse quantum potest in Lusitania sedem habeat, aut ipso absente Princeps filius, quo ibi educatus notitiam & amorem gentis concipiat: Gubernator regni semper sit unus è familia regia, &c. Etsi postea cum regnum istud per vim subegisset Philippus, complura ejus generis petentibus Lusitanis abnuit; uti refert *Idem l. 8.* apud *Hieron. Osorium de rebus gestis Emanuelis l. 1.* cum rex Emanuel postularet, ut ordines Lusitaniæ filio suo Michaëli ex Isabella, filia Ferdinandi Catholici, (qui si superstes fuisset, Lusitaniæ simul & Hispaniæ rex futurus erat,) fidem darent; hi vicissim postularunt, jurato sibi promitteret, ut nunquam jurisdictiones, neque vectigaliū administrationes, neque arcium præfecturæ ad Portugalliæ ditionem pertinentes, sive citra sive ultra mare, ali-

alicui, qvi non esset natura Portugallensis, ullo tempore aut conditione mandarentur. Cumprimis quoque adduci merentur præcipuæ leges unionis inter tria regna Arctoa sub Margareta regina factæ, prout referuntur à *Loccenio histor. Svecic. l. 3.* in *Erico Pomerano: Ut hæc tria regna unum duntaxat agnoscerent regem. Singula tamen regna suis & domesticis legibus, & immunitatibus uterentur: ut præfectura, judicia, & officia publica per indigenas cujuslibet regni, non exteros administrarentur: ut nulla nova lex ferretur nisi volentibus omnibus: ut rex quotannis, duobus ex Senatu sibi adjunctis, circuiret provincias, & quatuor menses plus minus in quolibet regno subsisteret, ad audiendum cognoscendumq; desideria subditorum. Si quod bellum instaret, omnes conjungerent operam & vires ad illud propulsandum, ita tamen ut quodlibet regnum suis impensis aleret exercitum, donec ille ad destinatum locum pervenerit; ubi ex communi ærario sumtus promentur. Nullum regnum alteri bellum inferat, nisi communi consensu. Non fas erit legere regem, nisi communi omnium autoritate. Prima vero suffragandi regemq; dicendi partes per vices ibunt. Regi non fas sit ex uno regno in alterum ejus facultates, thesauros, & archivum transportare.* Sic apud *Eundem l. 4.* in *Stenone Sturio Seniore*, cum trium regnorum imperium Johanni deferretur, pares fere leges ipsi fuere dictatæ. Quas inter sunt; *ut administratio*

trium

trium regnorum secundum leges singulorum & mores majorum instituatur. Ut nulli exteri in ordinem senatorum regni recipiantur. Nec ditiones, arces & feuda per extraneos, sed solos indigenas regantur. Ut beneficia ecclesiastica & paraeciae nullis nisi indigenis committantur. Non emet rex aut pignori capiet pro se aut suis haeredibus bona sola propria & haereditaria nobilium. Unum annum in Dania, alterum in Svecia, tertium in Norvegia aget. Usque dum commoratur in regno, Marescallum, Cancellarium, & magistrum aulae ex regni illius indigenis capiet. Absente rege quae ex illius regni senatu supremam juris administrationē exercebunt. Quotannis ex singulis regnis tres convenient, qui an haec capita rite serventur, dispiciant. Proscripti ex uno regno justis de causis, in aliud non recipientur, &c. Conferri quoq; possunt pacta Sigismundi cum Ordinibus Sveciae ap. *Eundem* l. 7. quibus inter alia cavetur; ne quid Sveciae demtum Poloniae adjungat, ut minimū quolibet triennio Sveciam revisat: nihil Sveciae regalium, thesauri, tormentorum, armorum, cancellariae aut fisci rerum regno efferat: ne Svecus extra Sveciae limites in jus vocetur, non nisi Svecis committendum exercitum Svecicum & munitiones, & ab isto occupata Sveciae bono retinenda. Si rex in Svecia esset, regis Sveciae titulum praeponendum regis Poloniae titulo, & vice versa, si in Polonia esset, &c.

§. 15. Dissolvuntur ejusmodi systemata extincto rege, in cujus solius persona unio fundata erat; aut extincta familia regnatrice, si singula regna ad eam jure

jure hæreditario pertineant. Tunc enim ad singula regna seorsim redit jus novum sibi regem constituendi, aut quam velint reip. formam introducendi, inconsultis reliquis. Ponimus enim nullo præterea vinculo ista regna fuisse conjuncta. Sic si contingat, regem unum quidem regnũ possidere jure hæreditario, in alterum autem adscisci per liberam electionem, isthoc rege mortuo dissoluta quoque erit regnorum conjunctio; nec necessum erit, ut posterius regnum regis defuncti filium sibi imponat. Quod si autem unio ista nitatur fœdere, inter regna unita inito, apertum est, capitibus fœderis saltem præcipuis violatis, unionem quoq; abrumpi posse ab illis, qui per alios læsi sunt. Ubi tamen accuratè distinguendum est inter obligationem, qua singula regna regni tenentur, & qua ipsa regna inter se connectuntur. Rex semel à civibus electus, & cui fides data fuerit, destitui ob quævis prave facta, aut conventioni suæ contraria non poterit, qvamdiu sese apertum regni hostem non tulerit. Nisi forte pacto inter regẽ & regnicolas clausula commissoria sit expresse inserta, ac omne subditorum obseqvium ab impletione omnium & singulorum pacti capitum tanqvam à conditione sit suspensum. Ast obligatio, qvæ regnis unitis invicẽ intercedit, abrumpi potest ex parte ejus, in cujus fraudem leges unionis sunt violatæ, utut læsio nõ adeò enormis fuerit; si modò alia regna ad eam læsionem concurrerint, aut illa in horum usum suscepta aut conversa sit. Unde rege defuncto regnum læsum unioni poterit renunciare, salva actione adver-

adversus autores, adjutoresve læsionis rerumque ablatarum vindicatione. Qvin valde ignavum oporteret esse populum, qvi, animadverso communem regem in alia magis regna propendere, atqve id agere, ut iste adamati regni provincia fiat, dato interregno abs noxia sese societate non averteret. Qvod si autem per matrimonia principum utrinqve hæreditariorum conjungantur plures civitates, in qvibus diversus succedendi ordo publica regni lege est receptus, dissolvetur unio, si talis emergat casus, ut eadem persona in singula regna succedere per leges puplicas non sit idonea. Ponamus unita esse duo regna, in qvorum uno sit recepta successio linealis agnatica, in altero cognatica, qvarum illa qvoqve vocari solet Francica, hæc Castiliana Heic si contingat, communem regem mori sine prole mascula, relicta tantum filia, posterius regnum devolvetur in filiam, prius in proximum agnatum. Etsi unio heic facilè possit instaurari, nuptiis inter hunc & illam conciliatis. Quod si autem unio, qvæ ab initio occasione matrimonii contracta est, postea confirmetur & perpetua esse jubeatur, fœdere inter omnia & singula regna invicem inito, aut sanctione communis regis, ab omnibus & singulis regnis comprobatâ; eo ipso varietas, qvæ antea circa successionem deprehendebatur, sublata esse intelligetur. Deinceps autem seqvendus erit ille succedendi ordo, qui expressè in fœdere vel sanctione est designatus, vel quem autorem unius maximè pro-

probasse constat, aut qui rationi, & regnorum saluti maxime congruit. vid. *Grot. l. 2. c. 7. §. 12. sqq. Hobbes. de Cive. c. 9. §. 12. sqq.* Ast si contingat, ut unum regnum alteri tanquã provincia subjiciatur, unio ex fœdere resultans expirat, & in ejus locum arctior coalitio in eandem civitatem subit.

§. 16. Dispiciendum jam est de illis systematibus, quæ ex pluribus civitatibus constant, fœdere perpetuo inter se nexis, in quo conventum fuit circa exercendam communi consensu partem unam aut alteram summi imperii. In hoc enim fœdus systema producens potissimum videtur differre ab aliis fœderibus, quæ alias frequentissima inter civitates iniri sveverunt, quod in hisce singuli fœderati proprio ex judicio sese determinent ad mutuas quasdam præstationes; ita tamen ut de cætero exercitium istius partis imperii, ex qua præstationes istæ fluunt, hautquaquam socii consensui velit alligare, nec de plenissima & illimitata sua potestate remp. gerendi quidquam delibare. Sicut & simplicia fœdera utplurimũ particularem duntaxat diversarum civitatum utilitatem, in unum conspirantem, sibi habent propositam; nec perpetuam aliquam conjunctionem in negotiis summã rerum spectantibus producunt. Quæ in fœderibus, ut ita loquar, systematicis secus sunt; quorum is scopus est, ut in perpetuum distinctæ civitates summam salutis suæ invicem habeant implicitam, atq; eo nomine exercitiũ certarum partium summi imperii ex mutuo sociorum consensu suspendant. Longe aliud quippe est; ego tibi in isthoc bello

bello auxilia feram, & qua ratione hostis sit invadendus, communiter statuemus: &, nemo nostrûm, qui societatem coivimus, jus belli & pacis exercebit, nisi de communi omnium consensu. Diximus autem, per istiusmodi fœdera certarum duntaxat partium summi imperii exercitium suspendi à consensu sociorum. Nam vix videtur contingere, plurium civitatum rationes ita esse invicem innexas, ut omnium & singularum intersit, nullam partem summi imperii nisi de consensu universarum exerceri. Aut si tales dentur, præstabat ipsas in unam civitatem coalescere potius, quam fœdere duntaxa necti. Igitur conveniens erat, singulas civitates liberum sibi servare exercitium illarum partium summi imperii, quæ quomodo gerantur, reliquarum parum aut nihil, saltem directe, interest. Item, quæ circa negotia quotidiana occurrunt, aut quæ moram non patiuntur, ut superiis cum aliis consultetur. Enimvero illa negotia, ex quibus omnium sociorum salus conjunctim pondet, communi consilio tractari omnino par fuerit. Quæ inter primum videtur locum occuparebellum, tam quod ab aliis illatum propulsatur, quam quod aliis ultro infertur; & qua istud finitur, pax. Cui adjungenda sunt tributa, quantum communi bello inserviunt: & fœdera cum exteris ad communem salutem spectantia. Quo & istud pertinet, ut si quid controversiarum inter ipsos socios oriatur, reliqui, quorum nihil interest, statim tanquam mediatores interveniant, nec ad arma rem pervenire patiantur.

Reli-

Reliqua autem, quæ communi consilio exerceri non adeo necessarium videtur, ut sunt fœdera commerciorum, tributa, quæ ad singularum civitatum necessitates requiruntur, constitutio magistratuum, leges, jus vitæ & necis in cives, jus circa sacra, & quæ sunt alia, in singularum civitatum arbitrio relinqui nihil obstat. Etsi & ista quælibet ita moderabitur, ut ne totum systema inde perturbetur. Ex quibus illud per se liquet, unum atque alterum sociorum à reliquis non posse impediri, quo minus pro suo arbitrio exerceat illas partes summi imperii, de quibus communi consilio exercendis in fœdere nihil fuit conventum. Facit huc illud *Grotii Apologet. c. 1. Trajectino fœdere de summo nationis cujusque imperio nihil deminutum esse. Quanquam enim fert fœdus, nationes omnes inter se vinciri colligarique, ac si una natio essent; hoc ipsum tamen quousque se porrigat, sequentia indicare, ne scil. divellantur, sed auxilio sint alia alii. Neutiquam vero id fuisse propositum, ut misceretur summa imperii, parere ex ipsa voce fœderis, (est enim fœdus multorum summo imperio utentium pactio,) dein quod non omnes nationes deinceps una natio futuræ dicantur, sed junctæ velut si una natio essent, &c.* Inde quoque *Idem* passim inculcat, cum singulæ nationes etiam post fœdus Ultrajectinum sibi inter alia jura summi imperii exceperint jus circa sacra publica, & jus vitæ ac necis in suos cives; non recte potuisse proceribus Hollandiæ à reliquis sociis negotium facessi eo nomine, quod in sua provincia quadam

circa sacra constituissent, quæ reliquis displicerent; nec si cujus criminis ipse argueretur, Ordines Generales esse judices competentes, sed vel magistratus oppidi Roterodamensis, vel Ordines Hollandiæ & Westfrisiæ. Sicut & late ostendit, absurde sibi fuisse impactum crimen læsæ majestatis, cum nihil sit abs sese actum, nisi jussu aut adprobatione magistratus Roterodamensis, & Ordinum Hollandiæ, qui soli in ipsum supremam potestatem obtineant. Scrupulum tamen potest injicere, quod habetur in *l.7.§.1.ff. de captiv.& postlim. At fiunt apud nos rei ex civitatibus fæderatis, & in eos damnatos animadvertimus.* Eum ut eximat operose satagit *Grotius de J.B.& P.l.1.c.3.§.21.* quem tamen nihil agere, facilè agnoscet, qui penitius locum inspexerit. Sane enim nihil ibi respondetur ad illud dubium, quomodo illa civitas libertatem seu possessionem summi imperii retinere queat, cujus cives alia civitas suo jure ad tribunal suum evocare, inque eos ibi nossit animadvertere. Et maximum detrimentum judicabatur cepisse libertas Achæorum, quando proditione Callicratis præstantissimi ejus gentis viri insimulabantur rebus Persei contra Romanos studuisse, iique Romam ad causam dicendam evocabantur; occasione arrepta, quod Xenon conscientia recti fretus dixisset, se paratum esse, si quis ipsum accusare velit, in Achæorum consessu, vel ipsos apud Romanos judicium subire. Qua de re latius *Pausanias Achaicis*, eamque tangit *Polybius excerpt. legat.CV.* Nobis igitur planissima isthæc responsio vide-

videtur, cum in antecedentibus verbis dictum fuerit, quid natura fœderum ferat, & quid debeat fieri, allegatis verbis exponi, quid factum fuerit posterioribus temporibus, quando Romani superbiam addente fortuna, socios, qui ultro ipsorum amicitiæ per fœdera accesserant, pari modo tractabant, atque bello devictos. Qua de injustitia queritur ipse *Cicero Off. 2.* Addatur exemplum de Decio Magio ab Hannibale victo apud *Livium l. 23. c. 7. 10.* & quod Scipio dissvadet, ne Romani delatores Hannibalis audiant ap. *Eundem l. 33. c. 47.*

§. 17. Cum autem in hisce systematibus debeant invicem communicari certa negotia, fœdere expressa, atque id circummissis literis ita commode fieri nequeat; necessum est certum locum, tempusque constitui agendis conventibus, & si quid extra ordinem inciderit, moram non ferens, unus pluresve designari, penes quos sit socios convocare. Quanquam longe compendiosius fuerit, si certo in loco resideat perpetuum aliquod concilium, ex delegatis singulorum sociorum constans, cui potestas sit, quotidiana aut minoris momenti negotia ex formula mandati expediendi. Si quid gravius inciderit, ab hoc ad singulos socios referendum, & quæ ipsis placuerunt, promulganda atque exsecutioni danda. Eidem quoque directè exponenda, quæ abs communibus sociorum ministris apud exteros agentibus referuntur. Idem cum exterorum legatis tractabit, & quæ cum hisce concludentur, istorum nomen, ve-

lut omnes socios repræsentantium, præferet. Ne quid tamen mandati sui limites ab ipsis decernatur, nisi prius ad omnes socios super eo fuerit relatum. Cæterum quanta ejusmodi concilio deputatorum potestas competat, ex ipso fœdere, aut eorundem mandatis erit cognoscendum. Id sane constat, quicquid id est, alienum esse, & a sociis delegatum; & quanquam decreta ab eodem promulgata ipsius solius nomen gerant, vis tamen omnis atque autoritas à sociis, qui id constituere, promanat. Sic ut isti deputati sint duntaxat ministri sociorum, neque hisce pro imperio magis aliquid possint injungere, quam legatus illi, abs quo mittitur. Illustrari possunt hæc ex illis, quæ *Grotius Apologet. c. 1.* tradit. *Apud nos summum imperiū non est penes illos legatos nationum, qui fœderati proceres dicuntur, sed penes cujusq; nationis primores, quæ quidem nationes ad opem mutuam fœdere connectuntur; ita ut in fœderatorum procerum potestate ea sint omnia, quæ ad communem defensionem pertinent, aut quæ nominatim ex fœderis formula, aut consensu peculiari ad eum conventum deferuntur; manentibus rebus cæteris penes singulorum nationum primores, Etsi exterorum quidam falso crediderint, summam rerum esse penes proceres fœderatos seu Status Generales, quod in eorum conventu audiantur legati, responsaq; accipiant; quodq; nomine Fœderatorum maximè ad reges, principes atq; civitates literæ præscribantur.* Item, *A proceribus nationis cujusq; leges conduntur & edicta super omni*

omni negotio civili, inconsultis primoribus Fœderatis. At quæ leges à Fœderatis procedunt, ad nationum singularum primores diriguntur non jure imperii, sed cum rogatu: ut eas publicari sinant. Item, *Primores nationum singularum, ubi ad Fœderatos primores scribunt, socios se vocant, non autem subditos, ut solent oppidani magistratus, quoties nationis suæ rectoribus scribunt. Simlerus de rep. Helvet. l. 2.* recte quidem facit, quod conventus istorum non habet pro pleno senatu aristocrat. cum illi non habeant liberam decernendi potestatem, sed omnia ex mandato civitatum suarum agant. Sed illud præstiterat omisisse: *cum tota civitas Helvet. constet ex his populis, qui non una eademq; reip. forma singuli utuntur, non una quoq;, sed mixta quadam est politia, quæ ex his conficitur.*

§. 18. Cæterum etsi illud satis manifestum est, singulis civitatibus in aliquo systemate competere liberum exercitium partium summi imperii, de quibus in fœdere nihil fuit conventum: dubitari tamen adhuc potest, an non universitati sociorum, aut majori parti sit potestas in singulos aut pauciores circa illa negotia, ob quæ societas fuit inita, & quæ ut communi consilio gerantur, expresse in fœdere fuit designatum; hactenus, ut ad id, quod majori parti placuit, pauci quoque dissentientes nolentes volentes teneantur. Id quod nobis negandum videtur, siquidem agatur de systematibus regularibus, & ubi singulæ civitates suam sibi libertatem reservant illibatam.

Nam quo minus tale quid obtineat in systemate aliquo irregulari, & quod propius ad naturam civitatis accedit, nihil impedit. Scilicet libertas civitatis, quæ nihil aliud est, quam facultas ex proprio judicio de negotiis ad conservationem sui spectantibus ultimato statuendi, nequit intelligi, ubi ipsa pro imperio ad aliquid suscipiendum invita ab alio possit adigi. Neque obstat, quod in fœdere conventum fuit de certis partibus summi imperii non nisi communi consilio exercendis. Aliud enim est, si dicam; ego non exercebo meum jus, nisi vobis volentibus? aliud si dicam, vobis facultas erit, etiam invitum me adigendi ad jus meum exercendum. Prius duntaxat, non posterius in fœdere continetur. Ea res, ut penitius intelligatur, probe observandum est, ut plurium hominum voluntates in unum teneantur conspirare, id oriri vel ex nuda conventione, vel ideo quod unus voluntatem suam alterius voluntati submiserit. Conspiratio voluntatum ex nuda conventione libertatem illam, de qua innuimus, hautquidquam tollit. Nam vel in antecessum communi consensu statuitur de negotiis junctim expediendis; vel si quid deinceps statuendum est, ad id singuli non imperio; sed per solas rationes volunt adigi. Ast vero quando voluntatem meam alterius voluntati submisi: etiam ad illa potero obligari, quæ mihi displicent. Non autem loquimur de illa submissione, qua partes litigantes per compromissum sese obstringunt sententiæ ab arbitrio pronunciatæ: sed cum penes unum est statuere

tuere

tuere de negotiis, penes alterum exequi, quod ab isto statutum est, ob potestatem, quam iste in hunc ex submissione quæsivit. Neque est, quod nobis aliquis occinnat decantatum illud jus majoris partis, de quo *Grotius Apologet. c. 8.* ita loquitur: *Non mos tantum omnium gentium, quæ sub institutis civilibus vivunt, sed & ipsa natura docet, ubi penes cœtum est potestas aliqua, veniendum ad illud legitimum: hæc pars major videtur. Nam neq; rerum in deliberationem venientium difficultas, neq; humanarum mentium varietas permittit, ut super re quaque eadem singulis placeant; tum vero multa res nihil agendo fiunt deteriores, & ut pars major minori cedat, manifestam habet iniquitatem.* Nam primo major pars ad se trahit minorem in cœtibus duntaxat constitutis, non in iis, qui adhuc sunt constituendi. v. g. Sint in aliqua urbe centum mercatores, ex quibus sexaginta societatem volunt constituere, nemo erit tam simplex, qui credat, reliquos quadraginta omnino teneri sequi id, quod pluribus istis placuit. Deinde revera ex instituto & conventione hominum, non à natura est, quod in cœtibus constitutis major pars obliget universos; etsi naturalis ratio illud tanquam convenientissimum svadet recipi in cœtibus numerosis, & ubi varia, & quotidiana negotia sunt expedienda. Atque hoc ut fiat, necessum erit singulos suam voluntatem submittere voluntati universorum aut majoris partis; hactenus ut illi etiam dissentientes teneantur omnino sequi, quod hi decreverint; id quod sine impe-

rio horum in illos intelligi nequit. Neque vero in conventibus sociorum jure illo majoris partis adeo videtur opus, cum & isti ex populis non ita multis soleant constare,& communi utilitate maxime jungantur, cui nemo sanus pertinaciter reluctari præsumitur. Quod si tamen alicujus malitiosa, & rationi cedere abnuens pervicacia cæterorum salubri consilio sese adjungere adspernetur, communemque salutem aut utilitatem hoc modo proditum eat, licebit adhibere illa media, quæ contra violatores pactorum natura indulsit. Ni magis placeat ejusmodi intractabilem societate penitus excludere. Quid quod & sæpe magna cum iniquitate conjunctum foret, si in systemate sociorum suffragia numerarentur; quando scilicet socii disparibus sunt opibus, adeoque unus plura confert ad communem salutem, quam alius. Quanquam enim æqualia videantur conferre, qui pro ratione suarum opum conferunt; sæpius tamen contingere potest, ut quis modicas suas fortunas periculo malit exponere, quam alter opimas. Sic ponamus in aliquo systemate unam civitatem ad defensionem communem plus conferre, quam reliquas omnes conjunctim sumtas, sane iniquum foret isthanc invitam per reliquas consentientes adigi posse ad aliquod negotium, cujus onus in ipsam maxime recumbit. vid. *Grot. Apologet. cap. 1. sub finem.* Quod si autem suffragia debeant valere, prout quisque ad societatem confert, eo ipso prævalidæ isti civitati in reliquas imperium dabitur. Ex quibus omni-

mnibus colligitur, ſicubi negotia ex majori nu-
ero ſuffragiorum deciduntur, ita ut diſſentien-
es quoque obligentur; diſcedi à regulari forma
ſtematum, & vel irregulare corpus, vel civita-
em unam proprie dictam effici. Unde civita-
em potius, quam ſyſtema conſtituiſſe arbitramur
rbes Lyciæ, de quibus *Strabo l. 14.* Sunt viginti
tres urbes, quæ in ſuffragiis dandis participant,
in commune collegium conveniunt, id decer-
entes, quod pars maxima comprobavit. Maxi-
narum autem civitatum unaquæque ferre poteſt
ria ſuffragia, mediæ duo, cæteræ unum. Sic eti-
m proportione tributa pendunt, & alia munera.
In concilio eligitur primum Lyciæ præfectus, poſt
alii urbium magiſtratus. Judicia in communi
fiunt. Hi prius de bello, de pace, de ſociis con-
ſultabant, nunc id non licet per Romanos. Eo-
dem modo & judices & magiſtratus proportione
ſuffragiorum ex unaquaque civitate capiuntur.
Idem putaverim judicandum de Cabyra, & tri-
bus vicinis oppidis, quæ junctim Tetrapolis vo-
cabantur: ex quibus trium poſteriorum ſingulæ
unum habebant ſuffragium, Cabyra vero duo: quia
plus quam cæteræ pollebat. *Strabo l. 13.* Nec video,
quare non idem de rep. Ætolorum ſit pronunci-
andum, de qua *Ubbo Emmius Veter. Græc. tom. 3.*
Concilium, quod Panætolium vocabant, quotan-
nis conveniebat tempore ſtato, aut alioqui quoties
res poſcebat. Eo in conventu præfectos aut magi-
ſtratus toti ſocietati communes eligebant, inpri-
mis prætorem ſeu ϛρατηγὸν, cui reip. cura do-

 mi

mi militiæque commendabatur. Ad hoc concilium coibant ex omnibus locis delecti cum mandatis,& agendi poteſtate. Id leges ferebat,& abrogabat, fœdera ſanciebat,& tollebat,bellum pacemque jubebat, magiſtratus generales creabat. Ad id univerſæ reip. negotia referebantur. In eo legati audiebantur, & reſponſa iisdem dabantur, ab eo legati nomine Ætolorum ad exteros mittebantur, literæ ſcribebantur, &c. Ubi obſervandum,quemadmodum civitas una eſſe non deſinit, ideò quod populus in certas tribus ſit diſtinctus; ita nec unitati ejusdem officit, quod populus diverſas urbes incolat. Sicut neque illud democratiam tollit, ſi in communi concilio pauci delecti nomine ſingularum tribuum aut urbium ſuffragia ferant, prout in mandatis acceperunt.

§. 19. Cæterum civitates ariſtocraticæ & democraticæ quam maxime ſunt idoneæ,ut in ſyſtemata coaleſcant. Equidem apud *Herodotum Euterpe*, & *Diodorum Siculum l. 1. c. 66.* memoratur, poſt Vulcani ſacerdotem regem Ægyptios libertatem adeptos duodecim ſibi reges delegiſſe, in totidem partes omnem Ægyptum diſtinguentes. Qui junctis inter ſe affinitatibus regnaverint, pactionibus initis, ne mutuo auferre imperium conarentur, nevè quis plus alio quidpiam obtinere quæreret, ſed ut eſſent inter ſe quam amiciſſimi. Verum iſta ſocietas diuturna hautquidquam fuit, oppreſſis per Pſammetychum reliquis. Scilicet fundamenti loco in ſyſtematibus eſt habendum,

ne

ne quis præ altero ſeſe ſtudeat efferre, & ut diſpares licet inter opes par ſit omnium libertas. Atqui neſcio quare non paucorum monarcharum ingeniis æqualitatis impatientia adeo familiaris ſit; & quod *ſua retinere privata domus; de alieno certare regiam eſſe laudem* credant. *Tacit. A. XV. c. 1.* Et qui adſueti ſunt, ut omnes ſubjecti ad ipſorum nutus ſeſe ſtatim non citra trepidationem componant, fere indignantur, ſi cæteri non confeſtim in ſuam ſententiam velint concedere. Et tamen in diſceptatione negotiorum communium ſæpe uſu venit, ut diſſentientes non niſi blandis modis corrigi queant. Multo ineptius ad diuturnitatem videtur, immixtas liberis civitatibus monarchias velle combinare, quas nunquam bona fide inter ſe coaleſcere tralatitium eſt. vid. *Polyb. excerpt. legat. 41. cap. 2.* Et potentiſſimas licet democratias tanquam plebejum quid olentes monarchæ faſtidiunt: iſtis contra triſtem gravitatem faſtui propiorem averſantibus. Igitur quam maxime aptæ inter ſe jungi ſunt democratiæ & ariſtocratiæ, quarum rectores jam antea ſveverunt alios diſſentientes audire & ferre, rerumque deciſionem magis per rationes utrinque ventilatas, quam autoritate & imperio invenire. Quos itidem, cum alienæ duntaxat rei ſint adminiſtratores, minor fere ambitio agitat ſuper alios ſeſe efferendi. Inde recte Achæi eis, qui ſeſe ſocietati ipſorum erant adjuncturi, perſvadebant, ut, quo ipſi utebantur, popularem ſtatum in ſuas civitates introducerent. vid. *Polybium l. 2. c. 38.*

Quanquam iste gravis esset in rep. Achæorum morbus, quod ad consilium universorum sociorum multitudo plebis admitteretur: cum præstet ejusmodi negotia, quæ ferè vulgi captum superant, per paucos selectos tractari. vid. *Hobbes. de Cive c. 10. §. 9. 10. 19.* Etsi aliquam, non tamen plenam medicinam illis incommodis afferret, quod ex sociorum universitate eligerentur decem prudentia insignes viri, qui super negotiis proponendis prius consultarent; & nisi ea majori parti probarentur, ad totum concilium non posset referri. Item quod externo legato concilium non daretur, nisi scripto editis prius suis mandatis, ut judicari posset, an talia rectè possent multitudini proponi. *Polyb. excerpt. legat. 41. c. 6.* Sicut & credo eum in finem, ne dissentientis multitudinis animi longa disceptatione exacerbarentur, apud ipsos receptum fuit, ne liceret aliquam actionem ultra diem tertium extendere; intra quod spatium nisi convenisset, concilium dimittebatur. Etsi frequenter arduæ deliberationes ejusmodi angustiis includi recusent. Plurimum porro ad concinnam systematum compagem, simulque ad alendam inter socios populos familiaritatem facit eandem linguam, moresque & instituta non multum discrepantia habere, nec non communibus sacris uti. Huc pertinet id, quod narrat *Polybius l. 2. c. 39.* Cum Crotoniatæ, Sybaritæ, & Cauloniatæ societatem Achæorum imitari constituissent, eos Jovi Homorio ædem posuisse, & locum in ea cepisse ad agendos conventus & concilia communia haben-

enda. Eodem etiam fine Iones communibus
imtibus extruxere Dianæ fanum Ephesi,Dorien-
es Apollinis Triopii,quo statis temporibus conve-
nientes post sacra peracta,si qua inter cives inter-
cessisset offensio, judices designabant, qui litem
omponerent: tum de bello contra barbaros ge-
endo, deque mutua gentis concordia consuleba-
ur in medium. Sic Servius Tullius Latinis persva-
et,ut communi pecunia extruerent templū Dia-
æ in monte Aventino, ad quod quotannis con-
enientes sacra facerent, & si qua offensa inter po-
ulos incideret, inter sacra deorum conciliaretur
x arbitrio aliorum populorum. vid. *Dionys. Hali-
arnass. l. 4.* Neque parum ad firmitatem systema-
um faciet, si populi paribus fere inter se sint opi-
us, nec unus potentia reliquos omnes multum
mineat, ne istum libido subeat reliquos oppri-
nendi, his necessitas fiat formidolosum socium
uovis modo destruendi. Saltem inter dispares
pes par omnium jus esse debet, nec insignis ali-
ua prærogativa, quæ fœdus reddere possit inæ-
uale, uni erit indulgenda. Unde in Achæorum
ocietate laudat *Polybius l. 2. c. 38.* quod nullum
rivilegium iis fuerit reservatum, qui ab initio
um condiderant, sed ut quisque assumebatur, eo-
em penitus jure cum cæteris esse incipiebat.
Quam maxime autem talia systemata continet
onspirans in unam omnium & singulorum utili-
s, quam singuli citra conjunctionem cum aliis
mnino non, aut non æque facile possint obtine-
. Cumprimis si accedat ejusmodi regionis situs,

 ut

ut oppreſſo ab exteris hoſtibus uno alterove, ad reliquos quoque opprimendos aperta via pateat. Et quod fere cum iſto conjunctum eſt, ſi ſocii non diffuſa nimis terrarum ſpatia inſideant, ut incendium ab una parte ortum reliquos in oppoſita parte degentes parum tangere aut terrere videatur. Nimis enim quam verè *Franc. Baco de Verulam. de Sapient. Veterum c. 5. Unum aſſumitur verum & proprium fidei firmamentum : ea eſt neceſſitas, magnum potentibus Numen, & periculum ſtatus, & communicatio utilitatis.*

§. 20. Quæ ad diuturnam in ejusmodi ſyſtematibus concordiam maximè faciunt, iſthæc fere videntur. Nullius ſocii, etiam cui modicæ vires, cura à cœteris inſupereſt habenda; ſed quod unum tangit, reliquos omnes æque eſt tangere ſtatuendum. Tum ſua cuique libertas, ſua jura ſalva perſtent, nec ut illa à validioribus violentur concedendum, nec propter tenuitatem opum deteriore quis conditione habeatur. Si quid controverſiæ inter unum atque alterum ſociorum inciderit, interventu cœterorum id ſtatim amice componatur, nec ut ferro res diſceptentur, unquam concedatur. Quæ inter ipſos ſocios componi poſſunt, iis ut exteri, potentiores præſertim, ſe immiſceant, non eſt ferendum. Nam quod nonnemo ad inteſtina diſſidia tollenda conſilium laudat, id vanum videtur. *Si ſyſtema ſociorum ſit obnoxium diſcordiæ, ſalvum id eſſe non poſſe, niſi unus aliquis ſit conſtitutus, qui velut ſupremus ex delegatione diſſidiorum omnium arbiter ſit.* Nam ſi idem ſimul magna

magna potestate aut opibus sit instructus, periculosum communi libertati erit, id autoritatis in ipsum conferri. Ut autem unus aliquis inter socios extet, qui bonis suis artibus & meritis tantum sibi autoritatis pepererit, (qualis apud Achæos erat Aratus & Philopæmenes,) id ab istis præstari non potest. Neque apparet quare unus potius quam plures esse arbitri debeant. Porro quanquam lex societatis non patiatur, ut illi sociorum opes jam partæ eripiantur aut minuantur, aut legitima earundem incrementa intercipiantur; præsertim cum ad communia onera ferenda pro ratione opum fiat collatio: hautquidquam tamen propter opes uni permanens aliqua præ reliquis prærogativa fuerit danda, quæ gradum ipsi possit struere ad reliquos paulatim imperio subjugandos. Præterea nihil decernatur, nisi de communi omnium consensu. Nam is insignis morbus inter Achæos erat, quod à majori parte decretum posset fieri, & tamen dissentientibus liceret è concilio discedere, sicut illo decreto non tenerentur. vid. *Livius l.32.c.20.22.* Oritur quoq; convulsio & distractio in systemate, ubi aliqui sociorum peculiaria & arctiora fœdera inter se, exclusis reliquis sociis, ineunt. Nam tunc ad arctius illud fœdus omnia diriguntur, commune fœdus negligitur, & nova societas in vetere excitatur, quæ vix aliam quam factionis naturam potest obtinere. Sed nec illud ferri debet, ut quidam sociorum, exclusis cæteris, cũ extraneis fœdera ineant, nisi forte illa nihil omnino communem sociorum

rem

rem tangant. Cui fini apud Achæos ſaluberrime cautum, ne cui Achaici concilii civitati ſeorſim legatos ad extraneos mittere fas foret. vid. *Pauſan. Achaicis*. Sicut & illa lex eorundem commendari meretur: ne quis in ſocietatem reciperetur, niſi ſcientibus & conſentientibus omnibus ſociis. vid. *Polyb. l. 4. c. 9.* Circa rem militarem cumprimis magna cautione opus eſt, ne ex illa præbeatur occaſio ſubruendi communem libertatem. Et duci quidem hautquidquam ſummam belli abſoluto cum imperio committi expedierit; ſed ſemper habeat ſibi circumpoſitum conſilium ex fœderatorum deputatis, citra quod nihil magnæ rei poſſit ſuſcipere. Tum ne ille dux ſit perpetuus, & qui inter fœderatos magnas privatas opes, aut factionem habeat, vel externa potentia ſit ſubnixus: ſed qui poſſit munere dimoveri, quandocunque è rep. eſſe videbitur. Neque in ducis verba, ſed fœderatorum miles adigatur, extraneus præſertim & mercenarius, qui non difficilem alias ſe præbere ſolet in ſubvertenda indigenarum libertate. Præſidiarius quoque munitarum urbium miles abs cujusque urbis magiſtratu dependeat. Nec temere duci circa ulla reip. negotia quid autoritatis concedatur; minimè omnium, ut jus habeat magiſtratus conſtituendi & deponendi. Magnus exercitus extra belli neceſſitatem uno in loco diu non teneatur, ſed ubi eo non fuerit opus, exautoretur, obſervato conſilio, quod Carthaginenſibus dabat Amilcar apud *Polybium l. 1. c. 66.* Qui retinetur pacis tempore paſſim per urbes diſper-

diſpergatur, ne unquam oppidanis formidini eſſe queat. Nec concedatur ut miles credat, plus ſe ulli mortalium, quam univerſitati ſociorum, teneri; aut ullius præter horum autoritatem quidquam apud ipſos debere pollere. Denique nec iſtud inſtitutum inutile fuerit, ut quanquam ſingulæ civitates in ſuos cives ſummum retineant imperiũ: ſi quem tamen civitas ob delictum in remp. admisſum damnaverit, is ab omnium ſociorum civitatibus excludatur; ne in vicinam ſeſe civitatem conferens inter hanc & illam lites ferat, aut cives ſuos è propinquo in turbas concitet.

§. 21. Diſſolvuntur ejusmodi ſyſtemata, ubi quidam ſocii à fœdere ultro reſiliunt, ſuasque civitates ſeorſim adminiſtrant; quod fere ex ea ratione contingit, ſi plus utilitatis ex ſeparatione, quam conjunctione ſperant, & ſocios oneri magis ſibi, quam ſubſidio judicant eſſe. Eadem quoque abrumpunt bella inteſtina, ni cum pace iterum leges fœderis renoventur. Ubi bello externo ſyſtema infeliciter fuerit defunctum, quandoque inter artes victoris eſt, fœdus tantum diſſolvere, ſingulisque civitatibus αὐτονομίαν imperare. Id quod Romani Achæis quondam faciebant. Conf. *Xenophontem l. 4. & 5. rerum Græcarum*, ubi de pace Antalcidæ agit. Eſt præterea obſervandum circa diſſolutionem ſyſtematum, quæ per vim externam fit, quod ubi una vel altera ſociarum civitatum ab hoſte fuerit occupata, eo ipſo hautquidquam is ad reliquas jus aliquod nanciſcatur, aut ſtatim ex vi fœderis, quo victa civitas re-

liquis

liquis juncta erat, in societatem sit recipiendus. Sed nova omnino conventione opus est, ut quis in locum victæ civitatis de fœdere participet. Sicuti quondam Philippus decreto Amphictyonum in eorum consessum loco Phocensium adsciscebatur, apud *Diodor. Sicul. lib. 16. cap. 61.* Quanquam enim fœdus, quo plures civitates in systema junguntur, videatur reale, & civitas mutata reip. forma eadem esse non desinat: tamen fœdus illud expirasse censebitur, quando civitas vi sub jugum redacta, aut alterius imperii accessio fuerit facta. Cum enim fœdus sit initum inter civitates, igitur fœdere excidet, quæ civitas esse desierit. Et si vel maxime in fœdere sit cautum, ut ob mutationem reip. à fœdere quis non excidat: tamen illa mutatio præsupponitur debere fieri via legitima, per ultroneum consensum populi. Adeoque neque invasori injusto, neque hosti extraneo in concilio sociorum locus erit. In perfectam autem civitatem coalescere talia systemata contingit, si omnes socii summo imperio unius consilii, aut hominis ultro se subjiciant. Item si unus ex populis sociis potentia præpollens, reliquos tanquam provincias subegerit. Quod fere contingit, quando imbecilliores validiori permanentem aliquam prælationem deferunt, & inæqualiter fœderati fiunt. vid. *Grot. de J. B. & P. l. 1. c. 3. §. 21. circa finem.* Denique si unus favore militum, aut populari aura, vel per factionem præpotens imperium invadat. Hæc super systematibus regularibus in præsens comentari placuit. De irregularibus, & quæ velut inter syste-

systema & perfectam civitatem nutant, vix commodius, quam proposito illustri exemplo, poterit agi. Sed quia multi nolunt suos morbos velut ostentui haberi, ab aliis ista tradi malumus, quam invidiam veritatis in nos derivare.

DE INTERREGNIS.

PROOEMIUM.

Quanquam pervulgato jactetur dicterio, Principes mortales esse, regna vero immortalia: non raro tamen contigisse adparet, ut & hæc legis istius rigorem senserint, per quam constat positumq́ est, æternum ut sit nihil. *Illud vero longe frequentissimum est, utquemadmodum animantium corpora variis morbis infestantur; sic & civitates gravissimis concutiantur motibus, ex intestina velut intemperie, aut per violentiam extrinsecam obortis. Præcipue autem regna aliquando in talem devolvuntur statum, ut insignis pars ad perfectionem deficiat, extincto rege sine successore, in quem summa potestas statim & citra interruptionē trans-*

transscat. Sive enim Regem, penes quem summum est imperium, comparemus cum capite humano, quod sublimi positum loco in reliqua omnia videtur regimen obtinere; sive eundem malimus esse animam regni, vinculum, per quod resp. cohæret, spiritũ vitalem, quem tot millia trahunt; (Seneca *de Clement. l. 1. c. 4.* Hobbes *de Civ. c. 6. §. 19.*) *videbitur sane regnum Rege orbum, truncum, dissolutum, aut exanime corpus. Enimvero cum in hunc statum delapsa regna non idem semper maneat fatum, quod animâ cassos mortales, quibus* cum semel occidit brevis lux, Nox est una perpetua dormienda; *aut quod apum examina, de quibus* Maro *Georg.* IV. Rege incolumi mens omnibus una est: Amisso rupere fidem; (*add.* de la Cerda *ad d. l.*) *operæ pretiũ puto fuerit paulo curatius rimari, quodnam sit vinculum velut succenturiatum, quo interea regnicolæ, ne in dissolutam abeant & confusam multitudinem, continentur. Qua occasione pleraq; erunt excutenda, quæ ad intrinsecam civitatum compagem faciunt. Simul ostendendũ, quid pensi habuerint populi, qui*

rem

rem ultro ad interregnum redire voluerunt. Denique quid incommodorum interregna civitatibus adferant aut minentur, & quæ istis curandis aut antevertendis remedia adhibenda videantur.

§. I.

Interregna proprie dicta in regnis duntaxat existere, non autem in democratiis & aristocratiis, vel ipsum vocabulum satis præ se fert. Oriuntur quippe illa, quando moritur aut imperio cedit rex, non extante hærede aut successore, in quem immediate summum imperium transeat; sic ut illud velut interruptum videatur, ideo quod ad tempus subjectum imperii proprium deficiat. Ast ubi penes populum est summum imperium, cum iste idem maneat, extinctis licet singulis, & subeuntibus in eorum locum aliis, interrumpi illud non posse manifestum est. vid. *Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 9. §. 3.* Et quibus casibus populus extinguitur, non interregnum emergit, sed civitas plane esse desinit. Eodem modo senatus, surrogatis licet in deficientium locum aliis, idem manet. Quod si tamen contingeret, universum senatum simul extingui, ad eandem conditionem redibit ejusmodi civitas, quæ regnum manet, rege citra successorem extincto. Nihilominus fit, ut quandoque in democratiis & aristocratiis existat aliquid interregno analogum. Scilicet quia senatus aut populi voluntas non intelligitur, nisi in

concilio; & vero ut singuli cives senatoresvè perpetuo in concione aut curia desideant, aut per brevissima intervalla coëant; neque ipsis commodum sit, & sæpe negotia repente incidentiâ etiam exiguam moram respuant: igitur in rebusp. liberis est receptum, administrationem summi imperii, aut saltem illarum partium, quæ quotidianum & frequens exercitium requirunt, uni pluribusvè committi; quos generali vocabulo magistratus solent indigitare. Hos ubi simul deficere contigerit, antequam alii in ipsorum locum sint surrogati, rectoribus tantisper viduata videbitur civitas. Quanquam autem in ejusmodi casibus subjectum summi imperii salvum persistat: fieri tamen potest, ut ex illa jactura non leve detrimentum capiat resp. non solum quando per unum atque alterum egregium virum universæ sese patriæ vires sveverunt exserere, quod de Epaminonda memorat *Justinus l.6.c.8.* sed & ubi civitatem gravis extrinsecus hostis premit, aut intestinæ turbæ exagitant. *Florus l.2.c.6.* de prælio ad Cannas. *Ducum effugit alter, alter occisus est: dubium uter majore animo. Paulum puduit, Varro non desperavit.* Quo nomine & ipsi Romam revertenti à Senatu gratiæ sunt actæ. *Livius l.22.in fin.* Sic & resurgere quam maximè nitentem Romanorum libertatem gravissimè afflixit mors duorum Consulum Hircii & Pansæ, quæ destitutos ducibus exercitus Cæsaris Octaviani corruptionibus præbuit. vid. *Appianum de bello civili l.3. Tacit. A. l. 10. Dion. Cass.l.46.* Et sanè inter bella intestina aut externa legi-

legitimos duces perire cum magno ſæpe civitatis conjunctum eſt periculo, non modo quod non ſemper adſit, qui clavo ſubeat, ſed & quod miles duce deſtitutus aliorum licitationibus pateat; & ubi peculiariter in nomen ducis ſacramentum fuerit conceptum, illo defuncto apud multos obligatio quoque, qua patriæ tenetur, ſimul expiraſſe creditur. vid. *Grot. l.2. c.13. §.18. Liv. l.3. c.20.* Sed & in remotioribus provinciis rebellionibus poteſt præberi occaſio, gubernatore defuncto, ni ſtatim qui ſuccedat præſto ſit. Quanquam ne tale quid accidat, caveri poteſt in anteceſſum deſignato, qui in ſummi ducis locum ſuccedat. Quæ deſignatio interdum clauſis literis committitur, non prius reſignandis, quam dux aut præſes mortuus fuerit. vid. *Arniſ. releɛt. polit. l.2. c.2. Sect. 4. num. 100.* ubi ex *Linſchotano* refert, Luſitanos morem habere, ut tres, quatuor & amplius ſcytalas Goam mittant, quibus ſingulis ſingulos proreges deſignent. Ut primum funus unius ductum eſt, à Jeſuitis, quorum cuſtodiæ omnes concreduntur, aperitur prima, ſecunda, tertia, donec ex nominatis inveniatur, qui præſto ſit, & in vivis, ſic ut nunquam illis provinciis deſit caput. Ratio autem occultatæ deſignationis hæc eſt, ne forte deſignati ante tempus ſperatum honorem moliantur invadere. add. *Tacit. A.II.c.36. num. 4.* Receptum quoque pleriſque in locis eſt, ut capite ſublato, qui proximus habetur, ejusdem vices ſuppleat. Aliquando res inter trepidas, cui plurimum animi aut audaciæ, potior eſt. Quo pertinet

tinet exemplum L. Marcii apud *Livium l. 25. c. 37.* add tamen *Id. l. 26. c. 2.* Tranquillis reip. temporibus minor heic difficultas, ubi extraordinarium licet surrogare magistratum, aut extra ordinem convocatis comitiis novos magistratus creare, superiorum vicibus per inferiores tantisper suppletis. Quando Romæ libera adhuc rep. interreges fuerint proditi, & quæ ipsorum potestas, docet *Livius l. 8. c. 3. l. 9. c. 7. l. 22. c. 34. Ascon. Pedianus in orat. Cicer. pro Milone. Alex. ab Alexandro G. D. l. 5. c. 6.*

§. 2. Verum hisce missis ad interregna proprie dicta nos convertamus. Quorum natura ut penitius intelligatur, prius dispiciendum erit, quibus vinculis perfecta civitas intrinsece connectatur; ex quo manifestum erit, quantum interregna à perfectis regnis deficiant. Si igitur animo concipiamus multitudinem hominum, naturali libertate & æqualitate gaudentium, qui ultro civitatem novam constitutum eunt, necessum est, ut primo omnium futuri cives inter se singuli cum singulis pactum ineant, quod velint in unum & perpetuum cœtum coire, suamq; salutem communi aliquo consilio ductuque administrare. (Quanquam isthoc pacto utplurimum singuli sibi reservent licentiam emigrationis.) Pactum hocce initur vel pure, vel sub conditione. Prius fit, quando quis sese obstringit adhærere isti cœtui, quæcunque demum regiminis forma pluribus, arriserit. Posterius, quando hanc conditionem adjecerit; siquidem introducatur forma regiminis

nis ipsi probata: Hoc porro pactum quando initur, necessum est; ut omnes & singuli consentiant. Qui non consenserit, utut in eodem cum cæteris loco tantisper versetur, extra futuram civitatem manet, neque per reliquorum consensum, quanquam plures illi sint, adstringitur, ut omnino cœtui sese isti adjungat: sed in libertate sua naturali persistit, in qua ipsi licebit de sua salute proprio ex judicio statuere. Postquam autem ejusmodi cœtus, rudimenta & primordia civitatis præferens, memorato pacto coaluit, necessum ulterius est, ut decretum fiat, qualis forma regiminis sit introducenda. De hac enim antequam constitutum sit, nihil constanter poterit expediri, quod ad communem salutem faciat. Heic illi, qui absolute isti sese cœtui adjunxerunt, per consensum plurium tenebuntur adquiescere formæ regiminis, quæ pluribus placuit, licet ipsi aliam maluissent, siquidem velint in loco, quem cœtus iste insedit, persistere. Dum enim in pacto nihil exceperunt, intelliguntur sese saltem hac in parte submisisse voluntati plurium; cum nullo prætextu postulare queant, ut reliqui omnes pauciorum judicium suo antehabeant. vid. *1. Sam. X. §. ult. c. XI. 12. 13.* Qui autem cum conditione ei cœtui sese adjunxerit, nisi expresse in formam regiminis consenserit, membrum futuræ civitatis non fiet, neq; majoris partis consensu obligabitur.

§. 3. Post decretum circa formam regiminis novo pacto opus erit, quando constituuntur ille vel illi, in quem vel quos regimen cœtus confer-

N tur;

tur; quo hi quidem ad curam communis salutis, reliqui ad obsequium hispræstandum sese obstringunt; cui simul subjectio illa & unio voluntatum inest, per quam civitatem una persona intelligitur. Ex quo demum pacto perfecta civitas resultat. Cæterum ubi democratia fuit instituta, non ita liquido posterius hocce pactum adparet, quippe cum iidem diverso respectu sint imperantes & parentes; in pacto autem duæ personæ distinctæ requirantur, neq; videatur sufficere diversus respectus. v. g. unus & idem Titius diverso respectu potest esse pater, & filius, & maritus, & gener, & socer, & mercator; ubi sane nullum erit pactum, si Titius qua mercator aliquid promiserit eidem Titio, qua est pater. Enimvero sciendum est, in rep. populari singulos cives & concilium, penes quod est summa rerum, non nudo duntaxat respectu differre, sed esse revera diversas personas (etsi diversi generis) quibus distincta voluntas, distinctæ actiones & jura competant, Quod enim singuli cives volunt, id non statim vult populus. Et quod singuli cives agunt, non statim habetur pro actione populi, & vice versa. Neque singuli habent summum imperium, aut aliquam ejus particulam, sed populus illud habet. Aliud quippe est, habere imperium; aliud habere jus ferendi suffragium in concilio, penes quod summum imperium est. Ut hactenus nihil videatur obstare, quo minus inter concilium populi, & singulos cives pactum intercedat. Illud fortasse non inepte urgeri posset, inutile fore tale pactum inter popu-

populum imperantem, & cives parentes, quod eo ipso, dum quis in formam democraticam consentit, suam quoq; voluntatem voluntati majoris partis intelligatur subjecisse, simulque jam cuivis per amorem sui rerumque suarum sat necessitatis videatur injunctum, bono publico pro virili invigilandi, cui ipsius quoque salus est innexa. Nihilominus etsi fortasse in democratiis non ita necessarium est, uti in aliis rerump. formis, illud pactum seu mutuam promissionem circa exercendum officium imperantis & subjecti expresse fieri: omnino tamen saltem tacite illud intervenisse est intelligendum. Nam sive decretum illud de introducenda democratia concipiatur per modum nudi placiti multarum voluntatum in unum conspirantium, sive per modum pacti singulorum cum singulis, submittam voluntatem meam concilio universorum, si & tu idem feceris: tamen ex hoc presse considerato nulla alia resultat obligatio, quam ut singuli teneantur adquiescere in ea reip. forma, quam diu ab universis eadem non fuerit mutata. Atqui in democratiis plus utique obligationis in civibus reperitur. Nam & singuli tenentur stare decretis & jussis à concilio universorum profectis, & simul in singulis est obligatio curam reip. pro virili capessendi, & privatum commodum post publicum bonum habendi. Quo enim prætextu alias reprehendi posset aut multari civis, ideo, quod in concilio infrequens deprehendatur? Adparente autem obligatione, necessium est ejusdem quoq; originem existere, quæ

nulla alia est præter pactum, quod innuimus. Ast vero ubi Aristocratiam aut monarchiam constitui placuerit, longe liquidius posterius isthoc pactum cernitur. Designatis enim optimatibus aut rege, fides utiq; mutuo datur & accipitur, mutuæque præstationes utrinq; oriuntur. Imperio quippe delato & acceptato non minus rex & optimates, quam cives ad munia antehac indebita adstringuntur. Ante istud pactum non magis cives ad parendum uni aut paucis tenebantur, quam iste aut hi ad salutem civitatis curandam. Mutua autem fides & ad munia antea indebita obligatio unde nisi ex pacto ortum traxerit? Add. *2. Sam. IV. 3. 1. Reg. XII. 3, 16.*

§. 4. Ad hæc illustranda aut confirmanda operæ pretium puto fuerit, sententiam *Hobbesii* paulo pressius expendisse; qui in generatione civitatum unum duntaxat agnoscit pactum singulorum cum singulis, ac passim inculcat, inter regem optimatesvè & cives nullum pactum intercedere. Equidem quid causæ istum ad talia adserenda moverit, satis colligitur ex scopo librorum ipsius politicorum, quem in *Leviathane* non obscure præ se fert. Scilicet oppugnatum potissimum it seditiosos illos homines, qui superioribus annis potestatem regiam in ordinem redigere, subjectisque subjicere, vel potius penitus extinguere laborabant. Quibus ut isthoc rebellionis prætextum eriperet; fidem inter regem & cives esse reciprocam, ubi ille quæ pacto promiserit non servarit, hos quoque obsequio liberari; nevè turbu-

lenti

lenti cives quævis regis facta ipsis displicentia in crimen violatæ fidei trahere possent; negare instituit, ullum pactum inter regem & subjectos existere. Et cum in animum induxisset, omnibus regibus vere talibus absolutam & illimitatam potestatem adstruere; consequens erat omne pactum hinc exterminare, quippe quod præcipuum videbatur limitandæ potestatis instrumentum. Enimvero quanquam potestatem regiam sacrosanctam præstari, & ab importunorum hominum vellicationibus vindicari generis humani quam maxime intersit: non tamen ideo necessarium fuerit ea, quæ in manifesta sunt luce posita, abnegare, & pactum nolle agnoscere, ubi extat mutua promissio circa præstanda illa, quæ utrinque antea erant indebita. Dum ultro Principi me subjicio, obsequium ipsi promitto, defensionem mihi stipulor. Princeps dum me civem recipit, defensionem mihi promittit, obsequium à me stipulatur. Ante eam promissionem neque ego ipsi obsequi, neque iste me defendere, saltem ex obligatione perfecta, tenebatur. Quis ejusmodi actum ex classe pactorum velit excludere? Neque ideo tale pactum redditur supervacuum, quod inter eos, qui ultro sibi regem imponunt, prius conventio videatur extare de hoc vel illo in solium evehendo. Nam uti nuda electio citra electi acceptionem huic in eligentes nihil potestatis confert: ita ex negotii natura satis intelligitur, eos, qui alteri ultro in se potestatem conferunt, velle, ut hicce in ejus exercitio tendat ad finem isti po-

testati præfixum: & hunc quod delatum fuit ea lege suscepisse, ut ne per ipsum fine suo eligentes excidant. Igitur qui alicui imperium deferunt, uti ipsi simul promittunt, quæ natura subjectionis requirit; ita sibi contra stipulantur ea, propter quæ imperia civilia constituuntur. Quod quid aliud est, quam pactum inire?

§. 5. Neque verò admisso pacto inter regem & cives, illa incommoda, quæ *Hobbesius* videtur ob oculos habuisse; necessario consequuntur. Equidem id habent omnia pacta, ut ad certi quid præstandum necessitatem aliquam afferant. Verum quam maxime differunt illa pacta, quibus quis sese alteri simul subjicit, ab istis, per quæ neuter in alterum imperium accipit. Pacto utique constituitur jus domini in servum, saltem qui ultro servitio succedit; potestas patria in filium, qui sese arrogandum præbet; imperium ducis in milites mercenarios. Et tamen hoc non obstat, quo minus illis imperandi facultas competat, his obsequii necessitas incumbat; neque his statim frenum licet excutere, si jussa imperantium parum arriserint. Scilicet in pactis, à quibus abest submissio, certæ & definitæ præstationes designantur, invicem exhibendæ ex intrinseco conscientiæ impulsu; & ubi quis ultro istas implere detrectaverit, nil nisi bellum, aut communis utrique domini coactio superest. Sed in pactis, quibus unus alteri subjicitur, penes hunc est definire, quid ab illo debeat præstari; simulque facultas in eundem collata nolentem ad ista compellendi; qualis facultas hautquidquam reci-

cipro-

ciproce illi in hunc competit. Unde imperans violati pacti nequit argui, nisi aut omnem reip. curam abdicaverit, aut hostilem in suos animum induerit, aut manifestè à regulis gubernandi, abs quarum observatione tanquam à conditione cives obsequium suum suspenderunt, dolo malo discesserit. Quæ cuivis imperanti in perpetuum evitare facillimum est, modò cogitare velit, ne summos quidem mortalium humanæ sortis legibus esse solutos.

§. 6. Examinemus paulo curatius rationes, quibus assertionem suam *Hobbesius* superstruit. Ac initio quidem arbitramur inconveniens esse, quod obligationem civium adversus imperantes derivatum it ex tali pacto: *quo unusquisque unicuique cæterorum se se obliget ad non resistendum voluntati illius hominis, cui se submiserit, de Cive cap. V. §. 8.* Equidem qui inter se convenerunt de conferendo in aliquem imperio, intelliguntur quoque in id consensisse, ut omnes suam voluntatem isti subjiciant, seu ut istius voluntas voluntatem omnium in gerenda rep. repræsentet. Distincta tamen omninò sunt inter se conspirare de imperio in Cajum conferendo, & imperium Cajo deferre fide data acceptaque. Porrò quo minus cives quoque mutuo inter se fidem dent de obsequio regi præstando, nihil repugnat. Ut tamen illud fiat non est necessarium, neque usu adeò frequentatũ. Qui in civitatem recens recipitur, regi fidem dat; nullibi, quantum nobis constat, exigitur, ut cum reliquis civibus super obsequio regi præstando pa-

 cisca-

ciscatur. Neque minus incongruum videtur, quod *Idem cap. 6. §. 13.* tradit: *obligationem ad præstandam summo imperio civili obedientiam non immediatè nasci ex eo pacto, in quo cives omne jus suum ad civitatem transtulerunt; sed mediate, nempe ex eo, quod sine obedientia jus imperii frustra esset & per consequens civitas omninò constituta non fuisset.* Sed quid ambagibus opus, ubi recta & plana via licet incedere? Nam quæ ipsum movisse videtur ratio, inanis est. Scilicet tacite præsupponit; de quibus pacto fuit conventum, illa non posse jure detrectari. Atqui posse à rege aliqua jure juberi, quæ civis jure possit detrectare. e. g. si rex jubeat, ut me, aut ut ipsum regem, aut patrem condemnatum interficiam. Ergo ex alio fonte, quam ex pacto, obsequium civium derivandum. Enimverò nos examussim sibi invicem respondere asserimus potestatem regis legitimam, & officium civium; adeoque pernegamus à rege jure quid posse imperari, quod subjectus jure possit detrectare. Neque enim rex plura jure jubere potest, quam quæ cum fine societatis institutæ congruunt aut congruere judicantur. Siquid contra hujus finem dolo aut per vesaniam jusserit, hautquidquam jure id facere censebitur. Verum an quibusvis ejusmodi jussis subjecti possint resistere, alia quæstio est, quam jam excutere non vacat. Quæ exempli causa afferuntur, ad rem nihil faciunt. Sane si contingeret, ut rex alicui talia jure possit injungere, i. e. ut tale quid à cive patrari ad salutem reipubl. facere videri queat, subditus jure jussa non detre-

ctabit.

ctabit. Ubi autem talia jussa ratione destituuntur, & ob ea recusata civis interfectus fuerit, nemo sanus puto jure istum cæsum dixerit. Quod porro *Idem c.4. §. ult.* jus in regem a civibus collatum dicit per modum *donationis*, id ad ipsius quoque tradita non quadrat. Donatio est, cum ex una tantum parte jus in alterum confertur. vid. *Idem cap. §. 8. 9.* Atqui, quando in regem confertur imperium, est mutua juris translatio, seu reciproca promissio. Cives spondent obsequium, rex procurationem reip. ad quæ ante istum actum neuter tenebatur. Uti enim ante collationem imperii licebat civibus resistere jussis Caji, quem postea regem constituerunt; ita Cajus iisdem defensionem aut curam sui postulantibus itidem poterat resistere, seu eandem ipsis denegare tanquam indebitam. Conf. *Lucæ XII, 13.14.*

§. 7. Neque major efficacia ad tollenda pacta inter imperantes & subjectos inest illis rationibus, quæ adducuntur *cap. VII. §. 7. seqq.* Ubi probare primo vult, democratiam non constitui per pacta singulorum cum populo, sed mutuis pactis singulorum cum singulis. Argumento utitur, quia in omni pacto prius debent existere personæ paciscentes, quam ipsum pactum. Atqui ante constitutam civitatem populus non existit, utpote ubi non erat una persona moralis, sed multitudo personarum singularium. Igitur ante civitatem constitutam non potuisse pactum iniri inter populum & cives. Post constitutam autem civitatem tale pactum iniri fuisse inutile; quia populus vo-

luntate sua voluntatem civis illius, cui supponitur obligari, complectitur, ideoque liberare se potest arbitrio suo, & consequenter actu liber est. Enimvero patet tertium adhuc dari. Ante constitutam civitatem multi homines non sunt populus, id est, cœtus democraticus. Ergo non potest cum ipso ut tali pactum iniri. Post civitatem constitutam frustra est iniri pactum, hoc sensu, ut unus vel alter civis velit peculiariter paciſci cum populo de administratione reipublicæ. Nam cui democratica forma probatur, is intelligitur eo ipso se obligasse ad parendum decretis à majori parte populi profectis; cui obligationi per peculiare pactum derogaretur. Ast vero in ipsa constitutione civitatis democraticæ potuit iniri, & est revera initum pactum mutuum inter populum & singulos; quod quale sit, supra fuit expositum. Pari modo nihil aget, qui sic colligit; maritis cum uxore nullum potuit inire pactum. Nam ante nuptias illa nondum fuit uxor; post nuptias paciſci frustra est, ubi jam suam voluntatem subjecit voluntati mariti. Potuit quippe pactum iniri eo ipso, dum uxor fit vel designatur. Deinde si vel maxime quis in democratia tale pactum non possit animo concipere, aut inutile id arbitretur; tamen exinde non licebit idem excludere ab aliis rerumpublicarum formis, ubi qui regunt, & qui reguntur, tanquam personæ naturales differunt. Nam heic utique pactum requiritur, quo illi obstringantur curam reip. agere, & salutem populi pro summa lege habere: hi vero obsequium iisdem promittant. Inde

con-

constat, quid sentiendum sit de illa thesi *Hobbesii de Cive c. 7. §. 9. Quoniam cives non paciscentes cum populo, sed mutuis inter se pactis tenebantur ad omnia, quæ populus faceret, tenebantur inde ad factum populi transferentis jus civitatis in optimates aut regem.* Neque enim sequitur; si consilio populi placuit summam rerum transferre in optimates aut regem, singuli eo decreto tenentur stare; ergo inter populum transferentem imperium & optimates aut regem, in quos idem transfertur, nullum pactum intercedit. Sed nec validius est alterum *Ejusdem* argumentum: regem quanquam à populo electum non potuisse ad quidquam ab eo obligari. Nam eo electo *populum* simul dissolvi, perireque rationem illam, quam habebat ut *persona;* quare perire quoque una & dissolvi, quæ ad personam facta erat, obligationem. Enimvero quod fundamenti loco heic substernitur; sublata persona tolli, quæ adversus illam erat, obligationem; intelligendum est de illis casibus, quando persona naturali morte extinguitur, aut quando qualitas illa, super qua obligatio unice fundabatur, expirat. Atqui quando populus liber in regem transfert imperium, neque ipse populus naturali morte extinguitur, neque obligatio regis est fundata in ea qualitate populi, qua liber intelligitur, sed qua deinceps erit cœtus civium unius imperio subjectus. Quemadmodum procus paciscens cum virgine post consummatum matrimonium non potest excipere, obligationem adversus eam periisse, quod non amplius

plius talis sit, qualis erat, cum pactum iniretur. Nam obligatio proci non fundatur super qualitate virginitatis, sed contrahit cum virgine, quà deinceps conditionem uxoris est subitura. Et rege constituto populus dissolvitur hactenus tantum, quod summum imperium non amplius sit pene concilium ex universis constans; hautquidquam autem dissolvitur in multitudinem nullo vinculo connexam, sed manet unus cœtus, quem unum imperium simulque primogenitum istud pactum continet. Scilicet imponit *Hobbesius* simplicioribus ambigua significatione vocabuli *populus*. In democratiis populus notat universitatem civium, quæ diverso respectu simul regit & regitur; In aristocratiis & regnis notat universitatem civium, quæ regitur. vid. *Idem de Cive c. 13. §. 3.* Atqui quis negare velit, adversus cjusmodi populum monarchæ aut optimatibus subjectum subsistere dosse obligationem, etsi contracta fuerit eo tempore, quo ille adhuc liber erat, sed in eventum & intuitu futuræ subjectionis? Deniq; ipse *Hobbesius Leviath. conclus.* expresse dicit, Deum Judæorum regem fuisse factum vi pacti inter se ipsum & hos initi. Quare igitur pactum inter regem hominem & cives negare velit? Et paulo ante tradiderat, quando quis sese victori submittit, is necessario tanquam verus subditus obligatus tenetur: nam *contractus* legitime initus recte violari abrumpivé nequit.

§. 8. Postquam ergo constat, quibus vinculis perfectæ civitates contineantur, facilius jam licebit

bit judicare, quid ſit interregnum in genere conſideratum. Scilicet quia per poſterius pactum, regem inter & cives initum, intrinſeca civitatis perfectio, & ſummum imperium actu proveniebat; igitur ſubjecto proprio imperii ſublato ad imperfectam formam regnum delabitur; ſic ut primogenio duntaxat civitatum pacto cohæreat; quo ſinguli cum ſingulis ad conſtituendum unum cœtum intelliguntur conſpiraſſe. Quanquam iſti pacto circa connectendos cives tempore interregni non parum firmitatis addit vocabulum communis patriæ, & exinde reſultans qualiscunq; cognatio; ſimulque quod plerorumque fortunæ iſti loco ſint annexæ, nec facile aliorſum transferri queant. Quas ut conſervent, atque in tuto collocent, locupletes cives ad concordiam interea agitandam ſunt proniores, & ſtudioſius ad inſtaurandam civitatis formam incumbunt. Habet nimirum res familiaris magni inſtar pignoris, quo civitati de fide civium egregiè cavetur. Quæ ratio inter alias priſcos Romanos movit, ut in milite legendo cenſum ſpectandum ducerent. vid. *Dionyſ. Halicarn. l. IV.* Haut temere quippe res inter duras pro aliqua civitate extrema quis ſubierit, qui omnia ſua ſecum portate poteſt, patriamque ubicunque terrarum invenire. Et quid de rep. bene conſtituenda ſit ſolicitus *Furius* aliquis, qualem deſcribit *Catullus, pater eſuritionum, quoi neque ſervus eſt, neq; arca, neque cimex, neq; araneus, neq; ignis,* cui ſub quocunq; reip. ſtatu eſuriales feriæ ſint celebrandæ; Cæterum quanquam

cũ *Livio l. 1. c. 17.* interregni tempore regnum possimus vocare *civitatem sine imperio*, & velut *exercitum sine duce*; tamen quia civitates, antequam imperium in unum aut paucos fuerit collatum, democratiarum instar habent; (vid. *Hobb. de Cive c. 7. §. 5. ab init.*) & præterea naturale est, ut quando universi curam sui alicui commiserunt, eo extincto ipsi sibi prospiciant: igitur regulariter interregna indolem democratiæ alicujus temporariæ præ se ferre videntur, saltem hactenus, ut ex universorum consensu tantisper statuendum sit de communium rerum administratione, novoque rege creando, nisi aliam reip. formam introduci placuerit. Democratia tamen perfecta interregnum proprie non est, quatenus nondum decreto sancitum, summam rerum perpetuo esse debere penes concilium universorum, & quia leges atque instituta publica ad monarchicum regimen adhuc sunt adaptata. Quanquam & hoc possit contingere, ut ubi regnum ex insignibus partibus integrantibus constat, puta ex diversis gentibus, provinciis, ac magnis urbibus, per interregnum faciem alicujus systematis id videatur induere. Ex hisce patet, quem in sensum capiendum sit illud, quod à *Grotio. l. 1. c. 3. §. 7.* aliisque traditur; rege citra successorem extincto imperium reverti ad populum. Scilicet quanquam hactenus in interregno penes populum imperium non sit, quod nondum communi decreto in perpetuum summa rerum in concilium universorum sit collata; poterit tamen interim populus per se, aut certos delegatos exer-

exercere omnes actus summi imperii, qui ad conservationem ipsius facere videbuntur. Nam falluntur illi, qui extincta familia regnatrice negant potestatem imperandi ad populum reverti, sed duntaxat potestatem eligendi & designandi alium regem. Quasi vero interregno existente, necessum sit populo omnino regem creare. Et quasi non possit deinceps imperium conferri in optimates, aut democratia in perpetuum stabiliri. Quo spectat deliberatio principum Persarum, qui Magos interfecerant, apud *Herodotum Thalia.* Et consultatio Bruti complicumque circa formam reip. post ejectos Tarquinio instituendam, apud *Dionys. Halicarn. l. 4.*

§. 9. Optime tamen tranquillitati suæ prospexerunt illæ civitates, quæ declinandis incommodis & interregno oriri solitis in antecessum constituerunt, penes quos, solio vacante, interea sit reipublicæ administratio. Qui sive interregum sive alio vocabulo insigniantur, sunt magistratus temperarii, & ut ita loquar provisionales, qui autoritate universi populi actus summi imperii, saltem continendo tantisper cœtui necessarios, exerceant; obnoxii tamen populo ad reddendas gestorum rationes, quas & aliquando novus rex velut nomine populi exigit. Horum potestas novo rege creato, aut ubi super alia reipublicæ forma fuerit constitutum, statim expirat. Ubi vero in aliquo regno extiterit perpetuus senatus, penes quem tamen rege vivo summa rerum non fuerit, in illum rege defuncto sum̃a potestas proprio jure

non

non recidet. Quanquam expeditissimum sit, ut in casum interregni administratio reip. vicaria tantisper eidem committatur; sicuti & antea abs rege in partem curarum tanquam minister vocabatur. Quicquid autem potestatis interregni tempore ille senatus exercuerit, id ab universo populo in eundem collatum intelligitur. Quam enim potestatem à rege tanquam magistratus obtinuit, illa rege citra successorem defuncto extinguitur; & si pristinam continuare functionem conceditur, id non amplius defuncti regis, sed populi beneficium est.. Hinc & ejusmodi senatui, interregis officium obeunti, hautquidquam licet diutius retinere potestatem, quam universis placuerit; multo minus sibi perpetuo imperium vindicare, aut propria autoritate aristocratiam constituere. Penes universos enim est super forma reipubl. disponere, & quidem pro lubitu, nisi forte dejurio sint vincti. vid. *Livius l. 11. c. 17.* & *Dionys. Halicarn. l. 2.* ubi memorat, cum crebra illa interregum mutatio populo Rom. displicuisset, & quod pro uno centum viderentur reges habere, senatum in populi arbitrio posuisse de ordinanda rep. dispicere, sive regibus, sive magistratibus annuis ejus curam mallent credere. Etsi eam optionem populus in senatus judicium rejecit.

§. 10. Ad isthæc illustranda operæ pretium fuerit expendisse, quæ tradit *Hobbes. de Cive c. 7. §. 15. 16.* ubi talem format casum. *Si populus tradiderit summum imperium uni alicui hominum, habendum pro tempore tantum vita sua, idque cum fecerit,*

cerit, unusquisque è cœtu ita discesserit, ut de loco, ubi post mortem ejus ad novam electionem congregentur, nihil omnino sit ordinatum. Heic ex ipsius mente *populus non amplius erit persona una, sed multitudo hominum dissoluta, quorum cuilibet cum quibuslibet convenire diverso tempore & loco, quo libuerit, licitum erit.* Igitur talem monarcham ex lege gratitudinis teneri cavere, ne post mortem suam civitas dissolvatur; idque vel statuendo diem & locum certum, quo cives, qui voluerint, convenire possint; vel successorem sibi nominando, prout reip. videbitur expedire. Heic fallitur *Hobbesius*, cum tradit, *congregatos si discesserint, non constituto prius loco & tempore secuturi conventus, abire in dissolutam multitudinem;* siquidem hoc intelligatur de illis, qui jam civitatem perfectam, rege electo, constituerunt, non de his, qui in civitate adhuc constituenda sunt occupati. Nam qvi congregantur civitatis formandæ causa, & discedunt non indicto in futurum conventu, illos manifestum est re penitus infecta dissolvi, adeoqve singulos in priori statu permanere. Ast qvi semel in perfectam civitatem coaluere, regiq; se subjecerunt, cum fortunarum suarum sedem in ista fixerint, non possunt præsumi tam fuisse socordes, ut cum rege defuncto novellam civitatem extingui, & in naturalem statum atque anarchiam voluerint abire, non citra stabilitæ jam salutis periculum. Igitur ubi in regem non collatum fuit imperium hæreditario jure, aut ut ipse pro lubitu de successore statueret; saltem tacite inter

inter ipſos conventum intelligitur, ut ſtatim à morte regis conveniant, idque eo loco, ubi alias conventus celebrari moris erat, aut ubi rex domicilium fixerat. Nec facile deerunt in aliquo populo cives eximii, qui tantisper autoritate ſua reliquos contineant, & ad quamprimum conſulendum reip. impellant. Ex hisce quoque perſpicuum eſt, quousque admitti poſſit illud *Hobbeſ. Leviath. c. 21.* Quando monarcha pro ſe & liberis ſuis regnum reliquit, eique renunciat, ſubditi ad abſolutam & naturalem libertatem revertuntur. Id enim hautquaquam in eo ſenſu verum eſt, quod iſti in diſſolutam plane multitudinem abeant, ſed quod abſolutum recipiant jus de ſtatu ſuo denuo disponendi.

§. 2. Sed nec probari poteſt, quod *Idem* d. l. tradit: *Si populus ab electione monarcha temporarii,* (i. e. in quem ad tempus vitæ imperium eſt collatum,) *ita diſceſſerit, ut decretum prius factum ſit de conveniendo ad diem & locum certum poſt mortem ejus: tunc mortuo monarcha conſolidatur imperium in populo, nullo novo actu civium, ſed jure priore. Toto enim medio tempore ſummum imperium, ut dominium, in populo erat uſus autem ſeu exercitium ejus tantum in monarcha temporario, uſufructuario.* Enimvero iſthanc ſententiam oppido quam periculoſam arbitramur omnibus monarchis, qui libera populi voluntate ſunt conſtituti, & qui certis legibus, quas vocant, fundamentalibus ſunt adſtricti. Præſertim cum, ſi licuit illi temporarium vocare monarcham, qui ad tem-

ad tempus vitæ constituitur, etiam illi, tali nomine notari queant, qui imperium acceperunt in familia duntaxat sua continuandum, & cum eadem extinguendum. Equidem *Grot. de J. B. P. l. 1. c. 3. §. 11.* itidem utitur vocabulo usufructuarii. Verum non dicit, reges, qui constituuntur voluntate populi, habere duntaxat usumfructum summi imperii, aut imperium non esse ipsorum, sed populi, ipsosque alienæ potestatis gerere administrationem. Sed ista locutione modum habendi imperium duntaxat imminutum innuit, dum non, sicut qui regna sua in patrimonio habere dicuntur, regnum possunt alienare, & pro lubitu in quemvis transferre. Ultra hoc tertium qui comparationem usufructuarii heic extenderit, periculosis sese consecutionibus necessario irretiet. Cum enim dominium in se jus sit nobilius, quam ususfructus temporarius, ex *Hobbesii* sententia facile liceret concludere; populum rege esse superiorem, & hunc ab illo in ordinem posse redigi, si ad ipsius placidum regnum non administraverit. Quam ob causam rejicienda quoque sunt, quæ traduntur *Leviath. c. 19.* quod electivi reges non habeant summam potestatem. Item, qui habet potestatem rege defuncto successorem constituendi, illum summam quoque potestatem obtinere rege vivo; cum quis non possit alteri dare, quod ipse non habeat. Enimvero uti minus periculi ab interregnis imminet illis regnis, quæ in antecessum circa istum eventum disposuerunt; ita ad ipsam vim imperii in subje-

subjectos parum interest, quid circa casum interregni sit in aliquo regno constitutum. Nam & ubi heic nihil fuerit provisum, cives addictissime possunt parere, & ab omni reip. cura eosdem excludi nihil prohibet, nec de nova reip. forma, aut successore, rege vivo, agitare licebit. Ex eo autem, quod rex electitius successorem sibi pro arbitrio eligere nequeat, non sequitur; ipsi usumfructum duntaxat, & non dominium velut imperii competere, ipsumque rei alienæ esse administratorem. Nam ut ad aliquem redeat potestas prospiciendi suæ saluti, & gubernandi suas actiones ex proprio judicio, (quæ potestas tantisper penes alium fuit,) non necessarium est imperium ita velut divelli, ut penes hunc ejusdem κτῆσις remaneat, χρῆσις duntaxat in alterum transferatur; cum extincto eo, cui etiam absolutum in aliquem imperium competebat, naturalis libertas ultro velut reviviscat. Quis enim v. g. patri χρῆσιν duntaxat imperii attribuere velit, ideo quod ipso mortuo liberi sui juris evadant; aut domino χρῆσιν imperii herilis ideo, quod servus ipso citra omnem heredem mortuo in libertatem abeat?

§. 12. Consequens est ut consideremus casus, ex quibus ad interregna devolvuntur monarchiæ. Isti casus emergunt populo vel volente vel nolente. Prius contingit in regnis electitiis, seu quando populus singulos reges peculiari electione voluit sibi adsciscere. Heic enim, quo minus veteri rege superstite electio susciperetur, non una

potuit

potuit causa subesse. Scilicet vix dabitur rex, tam ab omnibus affectibus aut necessitudinibus remotus, ut non habeat aliquem, cui præ reliquis regnum relinquere exoptet. Quod si igitur ipso vivo comitiis præsidente electio instituatur, facillimum est autoritate, gratia, ac nonnunquam terrore candidatum suum sublevare. Ita fiet, ut ubi tantus suffragator in diversum à populo nitatur, electio non sit satis libera, populoque juris eligendi gratia aut emolumentum intercipiatur. Deinde utplurimum in regnis electitiis cives adversus flagitia dominationis, & ut ad genium populi regionisque resp. gereretur, sibi caverunt legibus, in quas recentes adsciscere reges mos est. Hæ aliquando per pravam adulatorum suggestionem, aut ferociam regis, cujusvis vinculi impatientis, aperte solent perrumpi, aut callidis interpretationibus eludi. Cui malo tempore interregni obviam iri potest, abolitis contra conventa introductis abusibus, & obstructis effugiis. conf. *1. Reg. XII. 4. seqq.* Sæpenumero quoque, quod male resp. geratur, in culpa est non tam rex, quam pravi ipsius ministri. Quos per interregnum, à præsidio regiæ autoritatis destitutos, ad reddendas rationes licebit adigere, add *Diodor. Sicul. l. 1. c. 72. Tacit. H. IV. 42.*

§. 13. Invito populo existunt interregna, primo quando familia, in quam imperium jure hereditario fuit collatum: extinguitur. Nam etsi nulla particularis familia sibi æternitatem spondere potest; tamen ubi populus alicui imperium com-

committit, in familia ipsius continuandum, quantamvis durationem isti non invidet, neque interregnum illud tanquam reformando suo statui idoneum ultro procuravit. Deinde ad interregnum aliquando res redit, quando inter duos pluresve controversia oritur, utrius ad regnum jus sit potius, & casus emergens in legibus regni non satis liquido est definitus. Porrò cum ad arma non sit decurrendum, nisi ubi causa est liquida, & alia via nostrum jus obtinere non possumus; inde non ignobilis oritur quæstio; quisnam in controversiis circa successionem in regnis non patrimonialibus sit idoneus judex? Ubi illud initio certum est, indolem ejusmodi controversiarum non ferre, ut per modum jurisdictionis seu pro imperio decidantur, adeoque illas disceptandas esse modo inter eos recepto, qui in naturali libertate nullius jurisdictioni subjecti degunt. Quem in sensum est etiam explicandus *Grotius l.2.c.7.§.27.* In naturali autem statu invicem vivere dicuntur illi, quorum unus alteri non paret aut imperat, & qui communem dominum non agnoscunt. Ac licet qui inter se litigant, quamdiu litigant, fortasse alicujus imperio subesse possint; ipsa tamen causa talis est, ut sententiam, tanquam à superiore profectam, non admittat. Extra illum populum, de cujus imperio ambigitur, nemo potest se ferre judicem. Neque ipse rex, si ipso vivo ea controversia agitari cœperit, competens erit judex: quippe cum in ejusmodi regnis præsupponatur, populum habendi imperii

mo-

modum sibi reservasse, regique hautquidquam submisisse. In regnis autem patrimonialibus sine dubio amplior heic regi potestas competit. Inde cum Persarum reges eo modo regnum abs se teneri videantur credidisse, utpote à Cyro conditum: inter filios Darii exortam litem ipse pater decidit. ap. *Herod. Polymnia.* quanquam *Justin. l.2. c.10.* eandem à fratribus ad Artaphernem; *Velut i ad domesticum Judicem* delatam referat Id quod & inter Arsidam atque Cyrum pater fecit apud *Plutarch. Artaxerxe.*

§. 14. Sed quod ne populi quidem sit tales controversias pro imperio definire asseri potest, non quidem ex illa ratione, quam affert *Grotius d.l.* quia populus à se in regem & regiam familiam omnem jurisdictionem transtulerit, neque ea durante aliquas habeat ejusdem reliquias. Nam causa successionis non pertinet ad objectum ejus jurisdictionis, quæ à populo in regem fuit collata: & exorto interregno jurisdictio saltem temporaria populo denegari non potest. Verum ratio ejus assertionis ex natura istarum controversiarum est petenda. Potestas enim judiciaria exercetur in subjectos cum hoc effectu, ut omninò teneantur in sententia lata adquiescere, & si nolint, pro imperio possint adigi; idque quia subjectionis civilis pars est, decisionem controversiarum, quæ sibi cum aliis civibus intercedunt, imperanti submittere. Atqui si omnes casus ejusmodi litium circa successionem, quantum quidem nobis occurrit, expendamus, patebit, nul-

lum ita esse comparatum, ut pro imperio possit a populo decidi, sicuti civium lites à communi judice solent. Si enim regi, qui volente populo possessionem regni adprehendit, post alius quidam è familia regia litem intendat, quasi propiori gradu regnum ad ipsum spectet; neque petitor populum poterit judicem agnoscere, quippe cui judicium suum, dum semel legitimum regem ipsum agnovit, est tuendum; & qui semel summum fastigium insedit, hautquidquam sese illorum arbitrio submittet, qui se ipsi subjecerunt. Multo minus populus competens judex habebitur, si quis regni hæredem se venditet, quem ipse agnoscere detrectat. Quod si autem solio vacante duo sese competitores offerant, super potiori jure ambigentes, & populus sit paratus illum agnoscere regem, qui præ altero regnum sibi deberi demonstraverit; judicio proprie dicto, & quali causæ subjectorum in civitatibus expediuntur, opus non est. Nam vel controvertitur duntaxat, quoto gradu uterque velut à solio distet; vel dubitatur, utrius gradus sit potior. In priori quæstione facti litigantium erit prosapiam suam liquido deducere; ubi victoria ab illo stabit, cujus deductio populo clarissima fuerit visa. Quanquam autem judicium populi heic ad victoriam momentum adfert; non tamen sententia feretur velut pro tribunali à judice in sibi subjectos, sed per modum nudæ adprobationis; quomodo debitor ad solvendum paratus non nisi instrumenta sui creditoris recognoscere cupit. Quod si dubitatur, qui gradus, aut quæ linea sit potior,

potior, declarata voluntas populi finem liti imponet; cum quilibet quid agere voluerit, intelligere præsumatur; populus autem, qui nunc est, idem censeatur esse cum eo, abs quo successionis ordo est ab initio constitutus. Celeberrimum exemplum est in controversia Eduardi regis Angliæ contra Philippum Valesium, quæ coram ordinibus Franciæ disceptata fuit. vid. *Bussieres histor. Franc. l. 10. ab init.* & *Polydor. Vergil. histor. Angl. l. 19. ab init.* Quanquam & ejusmodi declaratio non magis naturam habet sententiæ judiciariæ, quam si donator obscura aut ambigua sua verba interpretatus fuerit. Ubi aliquis competitorum quæratur, studia populi magis in alterum quam in ipsum propendere, proximum fuerit ad arbitros rem deferre, neutri partium addictos, & quorum nihil intersit, hic an iste rerum potiatur. Quia tamen ejusmodi controversiæ sæpissimè atrocibus bellis solent transigi, igitur omnibus regnis expedit, quam planissimè descriptam habere successionis seriem, ac in antecessum expressè definire controversias ancipiti disceptationi obnoxias. Quas inter est v. g. an filius, qui primus fuit natus patre regnum adepto, sit præferendus fratri natu majori, sed in privata fortuna genito? vid. *Grot. l. 2. c. 7. §. 28. Arnis. relect. polit. l. 2. c. 2. sect. II. Petr. Gregor. de rep. l. 7. c. 9. Hotomann. quæst. illustr. 2. Guicciardin. hist. l. 1. p. m. 14.* Filius primogeniti ante patrem defuncti an sit patruo præferendus? vid. *Grotium d. l. §. 30. Arnis. d. l. sect. 10. Petr. Gregor. d. l. c. 10. Hotom. quæst. illust. 3. Pan-*

dulsus Collenutius rerum Neapolit. l. V. p. m. 346. An fœminæ in universum à regnis excludendæ? vid. *Arnis. d. l. sect. 12.* An in regno successio simplex hereditaria, an verò linealis sit constituenda? Expendatur controversia Lusitanica ap. *Connestaggium l. 3. & 4. de Unione Lusitan. & Castil.* ubi luculenter quoque facies turbulenti interregni depingitur. An ad regnum sit admittendus in defectu legitimorum liberorum, qui extra matrimonium est genitus? vid. *Id. ibid. Arnis. d. l. sect. 13. Livius l. 39. c. 53. Justin. l. 36. c. 2.* & si quæ sunt aliæ.

§. 15. Exoritur quoque aliqua species interregni in regnis successivis, quando rex decedit, relicta uxore prægnante, aut quam saltem prægnantem suspicatur. Equidem ex consensu plurimarum gentium in illos quoque, qui adhuc in utero existunt, jus aliquod transferri potest, adeoqve iidem juris quoad κτῆσιν capaces sunt. Existente autem subjecto proprio summi imperii interregnum non datur. Unde neque minorennitas regis, neque captivitas interregnum proprie dictum facit. Etsi captivi sæpe à cognatis tanquam mortui fuerunt habiti, cum potius regnum ipsorum nomine tantisper debuisset administrari, quousque postliminio revertissent, aut in captivitate obiissent. vid. *Justin. l. 36. c. 1. Trebell. Pollio in Gallieno.* Partu autem regio nondum edito non satis constat, vivus an mortuus sit fœtus in lucem proditurus; & ubi à regno fœminæ excluduntur, mas an fœmina sit futura proles posthuma. Quousque ergo

ergo de ea re liquido constiterit, populus hautquidquam jura illa, quæ in pleno interregno, nanciscitur; sed regnum interea erit administrandum eo modo, quo alias per minorennitatem regis solet. vid. *Serranus inventar. gener. hist. Franc. in Philippo Valesio ab init.* Etsi quam periculosus sit ejusmodi nondum natorum status inter proceres enormi potentia, & exercitum corrumpi facilem, colligi potest ex iis, quæ habentur apud *Curtium l.10. c. 6.*

§. 16. Denique ad interregnum aliquo modo accedit misera illa regnorum conditio, quando vel per dolum quis pro vero se regni herede venditans ad solium adrepit; qualis erat Magus post mortem Cambysis ap. *Herod. Thalia* & *Justin. l. 1. c. 9.* & Alexander ille ap. *Eund. l. 35.*; vel quando legitimus rex ab invasore intestino per vim injustam regno ita sit depulsus, ut iste adversus cives regis munia obire nequeat; & tamen juri suo ad regnum nondum renunciaverit, sed circa recuperandam ejusdem possessionem adhuc sit solicitus. Heic cui jure competit imperium id exercere, nequit; qui idem actu exercet, legitima potestate destituitur. Sic ut ejusmodi regnum rege orbum videri possit, quatenus vocabulum regis legitimam potestatem includit, quæ dum sese actu nequit exserere, tantisper sopita videtur. vid. *Grot. l. 2. cap. 16. §. 18.* Quo loco ardua valde quæstio oritur; qualis ejusmodi casu civium sit obligatio tam adversus expulsum legitimum regem, quam adversus injustum invasorem, qui so-

lium actu obtinet? Nam quamdiu iste jus suum non habet pro derelicto, aut eidem expresse renunciat, aut pacto inito invasorem pro legitimo principe agnoscit, non adparet, quomodo cives possint exsolvi à fide tam sancte ipsi data. Et tamen invasor sæpe à nolentibus fidem extorquet, & in præsens munia regis obit. Atqui quomodo quis simul fidem præstare queat duobus, in mutuum exitium imminentibus? Neque vero civium pactum, & fides invasori data legitimi regis jus atque prætensionem videtur tollere posse. Non magis quam jus domini extinguitur per pactum coloni, quod cum prædone avertendis à prædio ipsius vexationibus init. Nam longe diversus est casus, quando in populo libero, & ubi nemini uni jus ad imperium fuit quæsitum, ei, qui ab initio per malas artes imperium arripuit, postea à populo tanquam legitimo principi fides datur. Heic enim per subsequentem populi consensum vitium tituli utcunque purgari, adeoque tali à populo deinceps non posse obsequium denegari etiam illi agnoscunt, qui aliàs professum adversus monarchas odium ostentant. *Grotii* mens est *l. 1. c. 4. §. 15. Invasoris dum possidet actus imperii, quos exercet, vim habere posse obligandi non ex ipsius jure, quod nullum est, sed ex eo, quod probabile omnino sit, eum qui jus imperandi habet, malle interim rata esse quæ imperat, quam legibus judiciisq; sublatis summam induci confusionem.* add. *Idem l. 2. c. 6. §. 5.* Et sane omnino præsumendum, quemlibet principem ea humanitate esse, ut malit cives suos

suos quocunq; modo servari; quam dum nequidquam fato obluctantur, & à viribus destitutum affectum intempestive ostentant, nullo cum fructu perire. *conf. 2. Samuel. XV. 25. 26. 1. Reg. III. 26.* Vix igitur adparet, quid magis probabile heic dici possit, quam hoc; si legitimus princeps in talem sit conjectus statum, ut neque ipse quam debet defensionem civibus suis præstare queat, neque tantæ sint civium vires, ut invasori citra præsens exitium valeant resistere; præsumi principem expulsum tantisper civibus remisisse obligationem erga se, quoad fata ipsi vitam ad regnum iterum pandant, & quidem in quantum id ad conservationem ipsorum, & declinandis periculis est necessarium. Et hactenus quoque duntaxat fides, quam invasori cives dederunt, stringere videtur; ut illa sit velut temporaria, expirans ubi expulso sit facultas regnum suum recuperandi, quæque non tam intrinseca conscientiæ necessitate, quam præsenti metu contineatur. add *Grot. l. 3. c. 7. §. 6.* ubi si admittitur jus & dominium extremum, non video, quare non etiam aliqua obligatio externa, quæ conscientiam non tangit, admitti queat. *Vid. 2 Reg. XI. 2. Paralip. XXIII.* ad quem locum recte notat *Hobbes Leviath. c. 44.* Athaliam fuisse regno dejectam, non ex jure, quod sacerdos ut talis habebat, sed ex jure regis pueri.

§. 17. Ex hisce etiam intelligi potest, quid sentiendum sit de eo, quod *Hobbes. Leviath. conclus.* inter causas intrinsece civitatem dissolventes refert, quod omnes reges velint justificare illud bel-

lum, quo ab initio ipsorum imperium fuit constitutum. Quasi ex eo non solum ipsorum possessio, sed etiam jus dependeat. Cum potius sufficere illis debeat, victos futuras suas actiones victoribus submisisse; supervacuum autem & noxium esse, quod hi ab istis velint exigere, ut omnes eorundem antegressas actiones adprobent. Ubi enim quis justitiam sui belli victis persvadere nequeat, eo ipso eundem obligationem horum erga se convellere, & rebelliones contra ipsum excitatas, quas felix eventus consequitur, justas declarare. Enimvero nobis certum videtur, per solam vim injustam non posse alicui solidum jus quæri, & cui exadversum obligatio conscientiam stringens respondeat, nisi vitium adquisitionis purgatum fuerit per accedentem post novam causam, quæ per se jus parere idonea est. Qualis ex parte expulsi regis est cum victore transactio, aut derelictio; ex parte populi victi in novo imperio velut ultronea adquiescentia; quæ eo facilius præsumitur, quando antiquus rex juri suo renunciavit, an ipse hæredesque non amplius supersunt. Et vero quantopere sua interesse judicent, qui recens regnum aliquod occupaverunt, non extare, qui antiquius ad id jus possint prætendere, infinita exempla docent. vid. *1. Reg. XV. 29. XVI. 12. 2. Reg. X. 11. Tacit. H. IV. 11. 4. II. 48. 6. Sveton. Domitian. c. 10.* Quod enim *Franc. Carron.* & *Bern. Varenius in descript. Japponiæ* tradunt de Japponensium Imperatore, qui Dayrum, legitimum regni hæredem, non solum incolumem patitur & magna veneratione pro-

prosequitur, id fortasse ex singulari quadam superstitione dependet, quam à plurimis nationibus nequidquam expectaveris. Cæterum extincto ejusmodi invasore, ubi interea veri regis jus salvum permansit, sine dubio populus eundem in regnum revocare tenetur. Sed & ubi libera civitas nolens volens sub imperium unius, qui militari manu succinctus fuit, concessit, eo sublato antiquam libertatem recte sibi vindicare potest; utut miles de facto sibi arrogaverit licentiam principes constituendi. Ubi enim miles non ex obligatione omnibus civibus communi ad arma pro pratria gerenda vocatur, sed stipendio invitatus ultro se conduci patitur, minister tantum est civitatis, neque ullo modo de statu reip. disponendi potestatem sibi sumere potest. Quo sensu capiendum est illud *Grotii l. 2 c. 9. §. 11. in vago nomine* legionum *jus certum* eligendi imperatorem *esse non poterat*. Unde arbitramur recte senatum Romanum extinctis imperatoribus antiquum sibi jus assertum ivisse; etsi, quod miles uni parere mallet, vano successu. vid. *Sueton. Claud. c. 10. Joseph. antiq. Judaic. L. 19. c. 2. 3. Fl. Vopisc. in Tacito ab init. Jul. Capitolin. in Gordiano tertio, & Maximo & Balbino.* Huc facit, quod cum exercitus Germanicus Galbam imperatorem fastidiret, *ne reverentiam imperii exuisse videretur, in S. P. Q. R. obliterata jam nomina sacramentum advocavit.* Etsi quæ mens fuerit militum, mox apparuit, dum in Vitellium conced t; ut recte *Tacit. H. L. 1. 57.* dicat: *scires illum* exercitum *priore biduo non penes remp fuisse.*

§. 18. Dispiciendum jam est de commodis & incommodis per interregna provenientibus. Et quidem de commodis valde sterilis est materia. Causæ, quæ moverunt populos, ut non nisi interregni tempore electionem novi regis vellent suscipere, superius sunt expositæ. Ubi invito populo interregnum emergit, magni commodi loco est habendum, si exinde civitas quam minime concutiatur. Ex accidenti tamen interdum alicui regno utile fuit, familiam regnatricem fuisse extinctam, quando vel illa in degeneres planè mores abiit, ubi egregio principi adsciscendo locus est factus; vel copia præbetur eligendo diviti principi, cujus opes cum civitate ista junctæ possint e idem insigne incrementum afferre. Sicuti Poloniæ quondam magnum emolumentum attulit, quod per Jagellonem eidem Lithuania conjungeretur.

§. 19. Enimverò incommodorum ex interregnis provenientium uberrima datur seges. Ad quæ in universum perspicienda videtur facere illa lex Persarum, de qua est ap. *Stobaum serm. 42.* ubi rege mortuo per quinque dies ἀνομία foret, ut intelligeretur, quanti rex & lex essent. Illustri quoque exemplo mala interregnorum repræsentat Germania, cujus miseram faciem sub magno illo interregno inter alios depingit *Lehman. Chron. Spirens. l. 5. cap. 95.* Et quidem periculosissimus ferè status est interregnorum, ubi in antecessum non fuit constitutum, per quos interea vicaria debeat exerceri potestas. Quanquam enim fides de non turbando tempore interregni primogenio civitatum pacto

pacto inesse videatur; notum tamen est, quantopere in dissolutam licentiam ingenium mortalium ruat, ubi præsens metꝰ ab imperio legitimo imminens abfuerit. Inde incommoda illa, quæ plerunque democratias comitantur ab *Hobbes. cap. 10. §. 10. seqq.* enumerata, eò gravius interregna infestant, quo propius hæc ad naturalem libertatem accedunt. Ubi porro debile à legibus velut sopitis præsidium in propriis cuique viribus incolumitatis spes collocatur; quam proximum est per factiones firmari. Quæ sæpè, ubi diuturnum fuerit interregnum, tam altas radices agunt, ut postea à novo rege tolli nequeant, & sic non exiguo morbo in rep. fomitem præbeant. Sed & sæpe contingit, ut ipsa electio novi regis magnis moribus occasionem præbeat, per ambitum aut largitiones grassantibus candidatis, & proceribus populoque studiis in diverso inlinantibus, sic ut interdum comitia in atrocissimas acies desinant. Et frequentissimum alias est, ut magna hominum multitudo, quam frenum sát validum non coërcet, etiam levibus de causis in gravissimos motus intumescat. Quo facit illud *Taciti H. II. 10: In civitate discordi, & ob crebras principum mutationes inter libertatem ac licentiam incerta, parva quoque res magnis motibus agebantur.* Isthæc mala eo acrius fere civitati solent incumbere, quando familia, quæ diu rerum potita est, desinit. Ubi eo fervidior tam vicinorum quam procerum indigenarum ambitio accenditur, quo magis in medio velut palma videtur exposita. vid *Pastorii Flo-*

rus Polonicus l. 4. ab. init. Sic ut ſæpe ultimis ſuarum ſtirpium celebres nimis fiant ἀγῶνες ἐπιτύμβιοι. Quales ſibi exhibitum iri Alexandro M. non falſo animus præſagiebat, dum incerto, aut non ſatis capaci tantæ moli ſucceſſore decedit. Et quid aliud expectari poterat, ſtante exercitu validiſſimo, opinione invictæ virtutis ferociſſimo, & cujus avaritiam magnitudo prædæ non tam ſatiaverat, quam irritaverat; quippe inſuper bello civili duces ſibi obnoxios, ac libidini ipſius haudquidquam obviam ituros videbat. Procerum autem quo ſpectatior magnitudo, eo acrior cupido ſummum faſtigium invadendi, quam juſtus heres coercere hautquidquam poterat. Et cum nemo unus tantopere emineret, ut reliquos omnes poſſet opprimere, nihil aliud ſupererat, quam ferro rem cernere; ut demum Alexander ſucceſſorem nancisceretur τὸν ἄριστον, id eſt, qui bello ſuperior fuiſſet. Sicuti Pyrrhus à filiorum uno interrogatus, cui regnum relinqueret, reſpondit; *ei qui veſtrum gladium acutiſſimum habuerit. Plutarch. in Pyrrho.* Expendantur motus animorum, qui defuncto Alexandro tam militum, quam procerum animos agitarunt. ap. *Curtium l. X. cap. 5. & Juſtin. l. XIII. c. 1. 2.* Quanquam & hoc perículoſior erat ſtatus poſt Alexandrum M.; quod tanta moles, quam iſte victoria complexus fuerat, nondum ſatis coaluerat, & Tros Tyriusque magno adhuc diſcrimine babebatur. Quæ res etiam ſtatum urbis Romanæ poſt exceſſum Romuli valde reddebat lubri-

lubricum. vid. *Liv. l. 1. c. 17. Plutarch. Numa. Dionys. Halicarn. l. 2.* Quæ cum ita sint, tantum non miraculi instar habere videtur interregnum post Aurelianum Cæsarem, de quo est ap. *F. Vopiscum in Tacito ab init.*

§. 20. Superest ut dispiciamus, tum quæ prohibent, ne interregna existant, tum quæ faciunt ad eorundem sponte populi aut eo nolente existentium reprimenda incommoda. Ut familia regnatrix non extinguatur, penes cives non est præstare, quod si tamen familia ad unum, cui nulla amplius prolis spes, sit redacta, declinari interregnum poterit designato successore, dum rex adhuc superstes est. Quanquam hoc invito ejusmodi comitia haberi posse vix crediderim. Potest tamen populus malle rem redire ad interregnum, si vel formæ monarchicæ fuerit pertæsum, vel abusus quidam prioris regiminis videantur abrogandi, aut in certas leges novus rex adigendus. Et in universum, quibus per electionem deferre regnum placet, cavere debent, ne vivo rege successor designetur, saltem qui isti sit conjunctus, quique mox in possessionem & administrationem regni admittatur. vid. *Arnis. relect. polit. l. 2. c. 2. sect. 4. num. 49.* Ne super successione controversia moveatur, prohiberi potest conscripta lege liquida, notatisque præcipuis casibus, qui ancipitem habere disceptationem videntur. Ne posthumus sit expectandus præstare quidem non est penes populum. Quod si tamen stirps regnatrix ad unum redacta fuerit, consultum erit ipsius nuptias matu-

rari; neque permittendum, ut idem in periculosam aliquam expeditionem proficiſcatur, niſi prole antea ſuſcepta. Quod dum facere neglexit Alexander, domui ſuæ peſſime conſuluit. vid. *Diodor. Sicul. l.17. c.16.* Huc facit lex Perſarum, qua non licebat regi in expeditionem ire, niſi declarato regni ſucceſſore, ap. *Herod. Polymnia.* add. *Arniſ. d. l. num.99.* Invaſori denique [avertendo] maxime facit, ſi & rex & populus officium ſuum religioſe obeant; & ille cumprimis caveat, ne apud ſuos in contemtum incurrat, neve factiones inter cives coaleſcant, aut unus & alter è proceribus enormem potentiam colligat. Add. *Paulus Piaſecius ad an.1632. p.m.526. ſeqq.*

§. 21. Aſt ubi interregnum volente populo provenit, ne inde civitas nimis convellatur, utiliſſimum fuerit in anteceſſum eſſe conſtitutos, penes quos interim ſit vicaria reip. adminiſtratio. Nam quod recte monet *Bodin. de rep. l. VI. c.5.* ſi demum in interregno creandus ſit moderator comitiorum ac reipub. procurator, non minor in hoc quam in ipſo rege oboriri poteſt difficultas. Sed & præſtare videtur, ut plures potius ſint vicarii, quam unus, ne ſi iſte militari præſidio ſit ſtipatus, vel invito populo imperium retineat. Quod tamen *Bodinus* d. l. in hujus rei exemplum adducit Guſtavum I. id oppido quam imperitum eſt. add. *Arniſ. relict. polit. l.2. c.2. ſect.4. n. 83.* Ad eundem finem facit, vicariorum poteſtatem ad certos duntaxat actus, quos proprio arbitrio expedire queant, reſtringere, ut ſunt quotidiana negotia

ac mo-

ac moram non admittentia; quæ summam rerum spectant, cum consensu omnium decernantur. Expendatur quoque potestas Vicariorum S. R. Imperii in *Aurea Bulla tit. V.* & quare collatio feudorum Principum sit ipsis expresse ademta. Tutius tamen *Arnisæus* d. l. judicat, si administratio vacantis reip. ad senatum universum recidat, ejusque autoritate, lege regni perpetua committatur duobus pluribusve principibus, qui se mutuo metu intra limites justitiæ contineant. Per interregnum maxima cura prospiciendum, ut audaces homines compescantur, & ne ulla factio possit coalescere. Huc facit etiam lex Polonorum ut pœnæ, quæ à legibus irrogantur, interregno duplicentur. *Bodin. d.l.* Tum quantum fieri potest, exiguo tempore finiatur interregnum, novo rege, aut alia reip. forma constituta. Adeoque comitia imperii mature indicenda, & citra necessitatem non diu extrahenda. Quo collimat *Aurea Bulla tit. 2.* ut ubi ab Electoribus post præstitum juramentum intra 30. dies Imperator non fuerit electus, panem modo manducent, & aquam bibant. Id quod tamen austeritatem prisci seculi sapit. Eidem fini introductum in ecclesia Romana conclave, de quo præter alios vid. *Historia electionis Urbani VIII. & Innocentii X.* edente *Conringio*, & quæ ibidem sunt adjunctæ super conclavi constitutiones. Comitia quoque præ se ferant faciem potius cœtus togati, quam exercitus, neque in iisdem miles peculiare & distinctum à reliquis civibus corpus constituat. Tempore autem inter-

 regni

regni miles si quis est perpetuus, divisus per regnum habetur, neque ut in unum coire possit locum concedatur. Quamquam in universum circa militem perpetuum sit observandum, ut non nisi per expeditionem contrahatur, reliquis temporibus quantum potest spargatur. Denique si dissidii quid oboriri contingat, omnibus, qui momentum aliquod in rep. faciunt, incumbit, ocyus ad incendii initia accurrere, ne dum otiosos spectatores velut alienarum turbarum agunt, malum alant. Dum enim omnes boni simul conspirant ad succurrendum reip., malorum audacia frangitur, quam, ubi à mora vires traxerit, frustra convellere nitaris: & vel præstat celeri pugna defungi, quam per minutos & lentos ictus lacerari. Quo pertinet decantata illa Solonis lex, quæ *cum in seditione, qui fuisset neutram partem secutus, infamia* notat. *Vult enim neminem non permoveri, vel sentire, rebus in tuto collocatis suis, incommoda publica, neque eo se venditare, quod patriæ dolore vel morbo non tangatur, sed ut illico partibus se melioribus & justioribus associent, cumque his periculo offerant se potius & succurrant iis, quam operiantur ex tuto, unde stet victoria. Plutarch. Solone.* Qui tamen, *de sera Numinis vindicta* eam legem vocat παραλογώτατον, *p. m. 550. B.* add. *Idem præcept. reip. gerendæ p. m. 823. 824. vid. quoque Gellius l. 2. c. 12.* & *Bodinus de republ. l. 4. c. ult. p. m. 760.*

DE

DE REPUBLICA IRREGULARI.

§. I.

QUanquam plerique, qui res naturales, aut hominum industria arbitriove inventas & institutas contemplantur, circa id quam maxime soleant esse soliciti, quod in quovis genere est perfectissimum; cum semper manca habeatur scientia, quæ nondum genuinam & plenam objecti sui constitutionem sit complexa: non tamen ideo spernendum est eorum studium, qui defectus quoq; rerum, & qva velut abs primaria sua idea discedere soleant, curatius observant. Cum enim plurima, naturæ aut artis opera infra absolutam perfectionem subsistant, horum quoque indoles à nobis debet intelligi, siquidem illas usibus nostris utcunque velimus adplicare. Nec vitium aut aberrationem emendare norit, qui non intellexerit, quousq; à rectitudine quodlibet abfuerit. Ne longe abeamus, in exemplum abunde poterit sufficere nobilissimum inter humana instituta civitas. Illa quibus legibus sit informanda, ut numeris omnibus absoluta, & producendæ civium felicitati maxime idonea reddatur, multi operose inquisiverunt, ingenio magis ostentando, quam, quod mortalium mores ad tam accuratas fingi regulas queant. Sed & qua structura regulares civitates constent, passim traditur. Neque

Neque minus tamen utile fuerit considerasse civitatum aberrationes; & si qua forte occurrerit resp. quæ disparem planè a reliquis faciem induerit, æque curiose rimanda, ac naturæ scrutatores inusitatas animalium, plantarumque aut lapidum formas solent. Unde & nobis jam in argumentum dissertationis Academicæ, qua isthoc exercitii genus in nova hacce Carolina auspicaremur, placuit Respublica Irregularis; idque eo magis, quod quæ ab eruditis operose heic disceptantur, non usquequaque ad liquidum videntur deducta. Veritatem investigare unicè nobis propositum. Et uti in gratiam alterius sententiam, quam falsam judicaveris, propugnare mercenarium est; ita abjecti fuerit, & libertatis philosophicæ favorem ignorantis, solo contradicentium numero terreri. Quod si conviciis & maledictis rem agere quis instituat, observandum erit illud ap. *Marcum Antoninum l. 6. §. 6.* ἄριστος τρόπος τοῦ ἀμύνεσθαι, τὸ μὴ ἐξομοιοῦσθαι. *Optimus injuriam ulciscendi modus est, inferenti ne sis similis.*

§. 2. Civitatis igitur proprie dictæ natura uti in unione sub uno summo imperio consistit; ita tres dari ipsius species regulares, monarchiam, aristocratiam & democratiam, tralatitium est. Singulæ vel integra velut sanitate gaudere, vel morbo vitiovè gravi aut levi laborare intelliguntur. Sanam monarchiam illam dicemus, ubi rex quidem fidelem populi sui curam agit, disciplinamque & leges ad ipsius indolem dextre attemperat, nec per ina-

inanem ostentationem, luxuriam, aut largitiones viribus opibusque publicis abutitur; contra autem populus facile ac promtum obsequium præstat. Optimatum resp. tunc bene se habet, quando senatus fit particeps, prout quisque virtute, ac rerum gerendarum dexteritate pollet; & ubi optimates citra respectum privati commodi, nec in factiones distracti junctis studiis bono publico invigilant; subjectis itidem promte officium obeuntibus. Popularem civitatem laudaveris, ubi in æquabili omnium libertate omnibus pro virili resp. cordi est, & ubi bona consilia facile locum inveniunt, ac præstantissimus quisque muneribus præficitur, cæteri modeste parent. Et quæ alia sunt, ex quibus civitatum bona velut habitudo æstimatur.

§. 3. Enimverò humanarum conditio rerum non fert, ut in omnibus civitatibus ejusmodi status deprehendatur. Morborum atque vitiorum multis in rebusp. non minus, quam in singulis hominibus uberrima seges, & minimis urgeri instar felicitatis ac perfectionis habetur. Porro morborum, quibus civitates infestantur, alios videmus oriri ex malitia hominum, alios ex prava dispositione ipsius civitatis. Inde alia vocari audias vitia hominum, alia vitia status. Speciminis causa nonnulla tangemus. In regno vitium hominum est, si quem sors nascendi, aut infelicia civium suffragia solio admoverunt, regnandi artibus destituitur, nullaque aut exigua reip. cura tangitur, eamque pravorum ministrorum ambitioni aut avaritiæ lace-

lacerandam prostituit; si sævitia aut iracundia idem est terribilis; si citra necessitatem remp. in casum dare gaudet; si quæ ad tolerandos reip. sumtus conferuntur, luxu aut per inconsultas largitiones dissipat; si pecunias civibus extortas præter rationem accumulat; si contumeliosus, si injustus est, & quæ sunt alia, per quæ mali nomen principis comparatur. Vitia hominum in aristocratia sunt, si per ambitionem, pravasq; artes via in senatum pateat viris improbis aut ineptis, exclusis melioribus; si optimates factionibus distrahantur; si plebe tanquam mancipiis uti, & bona civitatis augendo privato patrimonio intervertere studeant. In democratia vitium hominum est, si inepti homines turbulenter & importune sententias suas incongruas tueri velint; si egregiæ virtutes per invidiam opprimantur; si per levitatem leges temere figantur atque refigantur, & quæ modo placuerunt, mox citra rationem displiceant: si sordidi aut inepti homines rebus gerendis præficiantur. Vitium porro hominum, quod in quamvis civitatis speciem cadere potest, est, si quibus imperii administratio incumbit, officio suo negligenter aut prave fungantur, & si cives, quibus sola obsequii gloria relicta, frenum mordeant. Ast vitia status in universum dicere possis, ubi leges & instituta civitatis non sunt attemperata ad genium populi aut regionis: aut ubi eadem cives disponunt ad turbas internas, aut ad odia vicinorum incurrenda; aut ubi eosdem reddunt ineptos ad obeundas functiones, quæ reipub. servandæ

sunt

ſunt neceſſariæ ; puta ſi per leges civitatis non poſſunt non in imbellem ſegnitiem reſolvi, aut inidonei ad ferendam pacem reddi. Qualia plura obſervabit, qui ſingularum civitatum inſtituta atque indolem accurate norit expendere.

§. 4. Cæterùm etſi plurimũ interſit inter remp. ſanam atque morbidam; non tamen ideo multiplicandæ ſunt ſpecies rerump. ſimplicium, & ſingulis formis rectis una aut duæ vitioſæ tanquam ſpecies propriè dictæ ſunt opponendæ. Scilicet ſpeciem reip. ſimplicis propriè conſtituit ſubjectum ſummi imperii, prout illud eſt una perſona phyſica, aut unum corpus ex paucis, aut univerſis civibus conſtans. Vitia imperantium aut parentium, aut pravitas legum peculiarem ſpeciem non conſtituit; uti morbi, & membra prave conformata, non ſtatim alios ſpecie homines efficiunt. Per iſthæc quippe vitia neque natura poteſtatis in ſe, neq; ſubjectum ejusdem proprium variatur. Et hactenus recte *Hobbes de Cive c. 7. §. 2.* negat, *anarchiam oppoſitã democratiæ, oligarchiam ariſtocratiæ, tyrannidem monarchiæ eſſe tres alias ſpecies civitatis.* Et in *Leviath. l. 2. c. 19. neminem puto credere, vitium regiminis novam & peculiarem* ſpeciem reip. eſſe. Illud tamen non in univerſum, ſed aliquando duntaxat verum eſt, quod ſubjungit: *anarchiam, oligarchiam & tyrannidem eſſe tria nomina diverſa, quæ illis indidere ii, quibus vel regimen, vel regentes diſplicuerunt. Solent quippe homines per nomina non res tantum ſed & proprios affectus, puta amorem, odium, iram* & quanti illas æſtiment,

una

una significare. Scilicet quod in aliis rebus contingit, ut unus amet, absquo alter vehementer abhorret; ita & eidem forma reipub. uni arridet, alii fastiditur. Idque non ideo tantum, quod aliqui ex una magis quam alia reip. forma utilitatem capiant; sed & ob peculiarem ingenii inclinationem. Sicut in universum probari nequeat illud *Lysiæ orat. 24, nemini à natura insitum esse, ut aut popularem statum, aut paucorum principatum amet; sed quicunq; reip. status cuiq; maxime confert, hunc quemlibet conari stabilire.* Eadem sententia extat apud *Isocratem de Pace p. m. 361. in fine.* Sane superbo homines ingenio, & quibus æqualitas popularis invisa est, ubi in democratia pari omnes jure de rep. suffragia ferre vident, cum tamen in quavis fere civitate plebis maximus sit numerus, ochlocratiam id vocant, quasi dicas statum, ubi vilis turba rerum potitur, nec egregiis viris, quales ipsi se ducunt, alia relinquitur prærogativa. Et tamen id vocabulum contemtum notans, non immerito imponetur civitati, qualis quondam Ephes. erat, qui cum Hermodorum civitate expellerent, ita locuti sunt: ἡμέων μηδὲ εἷς ὀνήιστος ἔστω, εἰ δέ τις τοιοῦτος, ἄλλοθι, μετ' ἄλλων, *Nemo de nobis unus excellat, sed si quis unus extiterit, alio in loco & apud alios sit.* Quos universos eo nomine morte multãdos Heraclitus ajebat. *Cicero Tusculan. V. Diogen. Laert. l. 9. in Heraclito.* Sic cui dolet senatu se excludi, cum tamen aliis senatoribus inferiorem se hautquid-

quid quam arbitretur, per contemtum & invidiam ὀλίγους illos vocat, quasi dicas paucos quosdam, qui cum nulla re cæteros emineant, in pares tamen aut meliores imperium exerceant. Sic gentes erectiore juxta ac teneriore indole heros & dominos vocant reges populorum, qui strictiori sunt obsequio adsveti; cum tamen eadem specie potestas patria præfracto puerum ingenio asperius, tenero mollius tractare sveverit. Idem judicandum de tyranni vocabulo, quod indelebile odium comitatur ex Græcorum usu, queis summa civitatum felicitas in libertate populari fere consistere judicabatur. Unde apud *Lucianum in Phalaride* I. dicitur; *in universum populi non perpendentes, qualisnam ille sit, qui summæ rerum praeest, sive justus, sive injustus*, αὐτὸ ἁπλῶς τὸ τυραννίδος ὄνομα μισοῦσι, *simpliciter ipsum tyrannidis nomen odio prosequuntur*. Hinc quoque *Mnemon. c. 5. de Heraclea tyrannis* apud *Photium* memorat de Dionysio, quarto Heracleæ tyranno: οὕτως γοῦν εἰς μέγα δόξης ἀνελθὼν, καὶ τὸ τύραννον ἀπαξιώσας, τὸ βασιλέως ἀντέλαβεν ὄνομα. *Sic igitur magnam gloriam adeptus, tyranni nomen dedignatus, regis assumsit*. Scilicet quod hocce nominis minus invidiæ, & plus dignationis haberet. Hactenus igitur recte *Hobbes d. l. non est, quod quis credat, formam regiminis aliam esse, quando civibus placet, & aliam, quando displicet, aut si ab imperantibus iidem duriter habeantur.* Et nemo tamen est, quin intelligat, aliquando

non

non immerito invidiosa ista vocabula adhiberi, ut adeo pravorum principum & procerum regimen à bonorum, turbulentæ & levis plebeculæ à modesti regimine populi ipsa appellatione discernatur. Neque ab hisce multum diversus abire videtur *Arist.* qui tyrannidem, oligarchiam & democratiam (nam sanam remp. popularem ipse πολιτείαν vocare suevit,) παρεκβάσεις, seu aberrationes & degenerationes regni, statusque optimatium & popularis adpellat. vid. *polit. l. 3. c. 7. & 8.* Quis autem nudam παρέκβασιν ad peculiarem speciem constituendã sufficere judicaverit? Quanquã cum vocabulum εἶδος laxius possit accipi, super eo non adeo pertinaciter litem alicui movendam putamus.

§. 5. Enimverò ubi occurrerit aliqua resp. quæ neque ad regulares sanasque referri, neque tamen discrimen, quo ab istis discedit, per nudum morbum aut παρέκβασιν possit explicari, operosior inter eruditos oritur disquisitio. Plerique brevissimam judicant rationem hac difficultate defungendi, si tales respp. vocent mixtas, & ex simplicibus formis velut refractis & inter se temperatis compositas. Ejusmodi mixtarum rerump. nonnulli recentiorum complures species fingunt, ut tamen plerisque tanquam incongruis rejectis, duos cumprimis miscendi modos commendent. Unus est, cum partes summi imperii divisim & independenter sunt penes diversas personas, & corpora ejusdem reip. ita ut singula, quam partem habent, eam suo jure obtineant, & proprio ex judicio

dicio administrent; quod ad reliquas imperii partes subditorum instar sint. Alter, cum summum imperium, quod majestatem vocari apud multos invaluit, indivisim est penes plures uno, ut tamen neque plerique sine paucis, neque cæteri omnes sine uno dissentiente quid efficaciter statuere, partesque imperii exercere possint Idque iterum dupliciter, vel ut omnes heic sint æquales, vel ut uni alterivè eximia quædam jura competant, quæ ipse sine cæteris exercere possit. Citantur insuper multi antiquorum, apud quos mixturam rerump. frequens est mentio. Circa quos illud monendum, plurima, quæ illi super mixtura rerump. tradunt, hautquidquam ad dividendas summi imperii partes inter diversas personas aut concilia pertinere, sed vel ad rite temperanda requisita personarum, ex quibus concilium imperans componitur, vel ad instituta diversarum rerump. probe combinanda. Deinde putaverim nonnulla mixtionum exempla commode posse explicari ope distinctionis inter ipsum imperium, & modum administrationis. Ut illæ respp. ex aliis quid admixtum habere dicantur, quarum modus administrandi ex alia reip. forma petitus videtur: puta si in civitate, ubi summa rerum est penes populum, pleraque per principem aliquem, aut senatum expediantur; aut si in aristocratia unus magistratus insigni autoritate polleat, vel super multis populus consulatur; aut si in regno ardua negotiorum ad senatum populumvè referantur. Quod si hæc duo ad aliqua veterum, quæ afferuntur, lo-

ca

ca non quadrent, ista, quæ sequuntur, rem expedient. Scilicet ostensum est alibi, ad essentiam civitatis perfectæ & regularis requiri, ut in ea sit talis unio, per quam omnia, quæ ad ipsam regendam faciunt, velut ab una anima proficisci videantur. Igitur manifestum est, per priorem mixturæ modum constitui corpus, quod non vinculo unius imperii, sed pacto duntaxat contineatur, quodque adeò hautquidquam inter civitates proprie dictas, sed inter irregulares resp. sit censendum, sat debile, & internis convulsionibus valde obnoxium. Circa alterum mixtionis modum considerandum putem, an illi, penes quos ita indivisim est summum imperium, constituant senatum perpetuum, qui universam civitatem, tanquam unum & quasi continuum corpus gubernet. Quo casu aristocratia erit, sed ad negotia expedienda valde inconcinna, dum unus paucive refragantes reliquorum placita reddere inania possunt. Quod si autem ad singulos istos, de cætero pari jure gaudentes, singulæ partes reip. integrantes peculiariter pertineant, sed actus summi imperii nemini liceat exercere, nisi universis unanimiter consentientibus; erit systema proprie dictum, sed quod propter nimiam & supervacuam arctitudinem ad res gerendas itidem sit satis inhabile. Verum ubi unus reliquis auctoritate, & nonnullis summi imperii particulis insigniter præpolleat, erit irregularis respublica inter monarchiam ex procerum mole laborantem, & systema velut interjecta.

Eo

Eo major autem erit irregularitas, si plures uno reliquos emineant.

§. 6. Enimverò uti nemini, cui mordicus mixtæ reip. vocabulum retinere stat, constantiæ laudem invidemus; ita commodius nobis, & ad doctrinam planius, simulque ad demonstranda in certis rebuspubl. quædam quasi phænomena expeditius videtur, si respublicas in universum dividamus in simplices & compositas. Ad compositas referimus systemata civitatum. Simplices iterum dispescere licebit in regulares & irregulares, (quanquam & hæc distinctio ad systemata adplicari potest.) Regulares sunt tres illæ notissimæ civitatum species, ex subjecto summi imperii proprio resultantes. Quibus sæpe accidunt παρεκβάσεις & morbi, per quos non tam forma intrinsece alteratur, quam modus administrandi vitiatur. Si quæ supersint, quæ ad neutram harum classium quadrent, inter irregulares numerandæ sunt. Cæterum irregularium reip. formarum neque certus iniri numerus, neque certæ constitui species queunt, propter magnam varietatem, quæ heic reipsa occurrere, aut animo fingi potest. In universum id tantum observetur, irregulares resp. & παρεκβάσεις ac morbos rerump. in eo differre, quod morbus semper velut illegitimam & erubescendam faciem præ se ferat, quippe qui ex commodæ formæ prava administratione, aut ex male concinnis legibus atque institutis proveniat. Verum irregularitas non ipsam solum formam intrin-

ſece afficit, ſed & publice ac velut legitime ſancita palam ſeſe & citra verecundiam oſtendere audet. Adeoq; morbus ex intentione eorum, qui rempublicam conſtituerunt, abeſſe debebat, & ſemper tanquam pravum quid in resp. adparet; irregularitas autem voluntate aut adprobatione eorum ex quibus resp. componitur, emerſit, aut confirmata eſt. Sicuti alia eſt ratio ædificii, cujus deſignatio quidem regulis architectonicis congruit, ſed ipſa materies vitioſa, aut ſocordia incolentium, tectum hiat, parietes ruinam minantur, trabes gemunt, fundamenta labant; & cui per ipſum architectum à communibus diſcedens regulis ultro forma eſt aſſignata, aut ingruens vitium extraordinario quodam modo ſolidatum. Deinde irregularitatum aliæ ab initio conſtitutæ reip. ſtatim extiterunt; aliæ ſucceſſu temporis, & tacitis momentis irrepſerunt. Scilicet contingere potuit, ut ab initio reip. conditæ, aut circa inſignem ejus mutationem, per conditores, aut mutationis autores, regularis forma non potuerit introduci, inſcitiâ, aut quia res præſentes non ferebant de ſtatu rite concinnando cogitare. Sæpe quoq; ſocordia imperantium. aut alia occaſione morbus in remp. irrepit, qui ubi tantas radices egit, ut ſine exitio reip. expelli nequeat, nihil reliquum eſt, quam ut ſanctione publica vitium velut exuat, & quod hactenus uſurpatio, factio aut contumacia erat, deinceps jus aut privilegium audiat.

§.7. Verum præſtiterat in ſingulari aliquo exemplo naturam irregularitatis rimari, ne quis fruſtra fingi

fingi cavilletur, quæ nunquam reipsa existerent: modo inveniri ita facile possit respublica, quæ irregularem se agnoscere, aut pro tali haberi velit. Sane in Imperii Germanici statu aliquid irregulare latere nonnulli viri hautquidquam rerum imperiti dudum censuerunt. Et si alia in hanc rem argumenta deessent, sufficere posset discordia scriptorum ejus nationis, qui Germaniæ statum in media Germania anxie quærunt, neque tamen post tantam librorum molem rem satis ad liquidum perduxisse multis cordatis judicantur. Quanquam enim pleriq; pro statu mixto ex monarchia & aristocratia, in quo hæc præponderet, pugnent: dantur tamen, quibus illa mixtura ad palatum non est. Ne longe abeamus, non ita pridem in lucem prodiit libellus super statu Germaniæ, cujus autor se fert *Severinum de Monzambano Veronensem*, quod nomen tamen pleriq; fictum judicant, verumque autorem variis conjecturis ac suspicionibus indagant. Ejus sententia si firmo staret talo, jam in promtu foret Reip. irregularis illustrissimum exemplum. Ita autem ille dicti libelli *cap. VI.* postquam prolixe aliorum tradita examinaverat, demum concludit: *Germaniam esse irregulare aliquod corpus, & tantum non monstro simile, si quidem ad regulas scientia civilis exigatur, quod lapsu temporum per socordem facilitatem Cæsarum, ambitionem principum, turbulentiam sacerdotum ex regno regulari in tam male concinnatam formam est provolutum, ut neq; regnum etiam limitatum amplius sit, licet exteriora simu-*

sacra tale quid præ se ferant, neq; exacte corpus aliquod aut systema plurium civitatum fœdere nexarum, sed aliquid potius inter hæc duo fluctuans. Isthæc etsi multis non imperitis rerum viris sese adprobarunt: non paucos tamen nova isthæc & monstrosa, uti credunt, opinio ita irritavit, ut certatim ad eam oppugnandam provolarint, & non pauca velut de hoste jam prostrato tropæa excitare festinarint. Nobis uti tantæ litis arbitria hautquidquam suscipere placet; ita ad argumentum nostrum illustrandum cumprimis facere videtur, si quæ rationes contra Severini sententiam prolatæ sunt, curatius examinentur. Non quod eandem, saltem quatenus ad statum Germaniæ adplicatur, ex asse nostram facere, aut cum tanta turba scribacium ut adparet hominum in certamen velimus descendere; sed quod credamus, ejusmodi singularium exemplorum discussione, colligi non nulla posse, ex quibus scientia civilis in universum reddi locupletior queat.

§. 8. Inter eos igitur, qui publice, quantum nobis constat, in Severinum calamum strinxere, postremus esse non voluit *Martinus Schockius*, conscriptis *in promulsidis vicem XII. exercitationibus*, etsi justa, quæ minari videbatur, volumina mors erudito orbi invidit. Iste *exercit. VI.* §. 12. statum Germaniæ monarchicum, & Imperatorem monarcham declarat, hisce potissimum argumentis ductus: quia *ipsi competit jus primarium precum*, (atqui plurima per Germaniam canonicorum collegia suo jure, non per modum precum aut

aut commendationis, canonicos creant,) *cujusvis generis & dignitatis gradus confert,* (atqui præmia & dignitates conferre non ſemper cum ſummo eſt imperio conjunctum.) *ab ipſo ſolo obtinetur inveſtitura & collatio feudorum principalium* (quo cum effectu,infra patebit.) *Academias conſtituit,* (atqui ille Status, cui Academia ſubeſt, quid publice doceri debeat præſcribit.) *facultatem indulget condendæ urbis.*(Atqui etiam ſine Cæſaris indultu principes Germaniæ locum aliquem munitionibus poſſunt circundare , incolas eodem collocare, privilegia iisdem concedere , ſaltem in ipſorum ditione valitura ; quorum deinceps parum credo intereſt , ruſtici an urbani audiant.) Non autem omiſſam à *Severino* fuiſſe *poſtremam provocationem ad Cæſarem ,* patet ex *c. V.* §. 18. *ſeqq.* An tamen à ſummis Germaniæ judiciis ad Cæſarem provocari ſoleat, inquirere jam non vacat. Porro *in ſtatu monarchico non eſſe neceſſarium, ut nemo ſua jura cum regis poteſtate comparare audeat,utq; adeo omnes proceres ab arbitrio regis dependeant , eiq; ad rationem reddendam ſint obſtricti,* id ſolide, ſi diis placet , oſtenditur exemplo Romanorum Conſulum adducto. *Idem exercit. VII. abſolutam Imperatori cum imperio conſiderato poteſtatem* adſtructum it. Atqui non erat quæſtio,quid poteſtatis univerſo imperii Germanici corpori competeret , ſed quid Imperatori Statibus contradiſtincto. Iſti *abſolutam* poteſtatem in remp. Teutonicam competere , neſcio an gratis quis ſit crediturus. Nam facile accuratam

absoluta potestatis definitionem quis ab illo expectaverit, cui *absolutum summum & perfectū* unum & idem sunt; cum tamen summum aliquid limitatum & perfectum in suo genere dari queat. Eo quoque nomine *Severinus* Germaniam verum regnum negaverat, quod etiam *in limitato regno nemo sua jura, & libertatem suam cùm regis potestate comparare audeat; in Germania autem nemo statum admittat, suas ditiones magis ad Cæsarem, quam ad se pertinere.* Heic *Schockius* regerit; atqui dixerit mihi, *quinam sive Principes, sive Electores* sese comparent cum ipso Imperatore. Verum non de dignitate, autoritate, eminentia, aut potentia sermo est; sed annon recte Princeps aliquis Germaniæ potestatem illam, quam in suam ditionem habet, possit, saltem quoad effectum, comparare cum ea potestate, quam Imperator in universum imperium obtinet; & annon efficacius sibi subjectis imperet, quam Cæsar solus universo imperio. Ab Ordinibus autem, *si vis major ingruerit, & Imperio & Imperatori munus afferri aut pecuniarum, aut loco illius subsidium militare;* item *Imperatori, consultis Imperii ordinibus*(addendum & consentientibus)*jus esse, aliquem Imperii hostem, si meruerit, declarare. atq; avitis quoq; possessionibus dejicere;* id vim vinculi fœderalis non excedere, Severinus ratione, & exemplis ostendi posse arbitratur. Argumentatur deinceps *Schockius: Si rex nullus agnosci debeat, nisi jus habeat in bona subjectorum; ne multo magis jus habebit alienandi & permutandi bona regni;*

gni; atqui cum posterius non concedatur regi Galliæ, absoluto licet, patebit sane nihil obstare, quo minus rex detur, qui nihil juris in bona subjectorum suorum habeat. An isthæc sequela firma sit, Logici, Jureconsulti, & Politici dispiciant. Denique cum in *exercitat. VIII.* contra *Severinum* debuisset ostendere remp. Germanorum ad systema aliquod sociorum non accedere; ad isthæc convellenda satis credidit dixisse: *non est hic cogitanda confœderatio, sed socialis unio.* Huic ergo si vixisset, an triumfum de *Severino* eruditi fuerint decreturi, dubito.

§. 9. Majorem operam circa *Severinum* consumsit *Philippus Andreas Oldenburg*, qui se modo *Burgoldensem* aut *Burgoldium* modo *Pacificum à Lapide* appellare svevit. Cujus variationis causam aliquam hanc esse suspicantur, ut minus putide ad propriam provocare autoritatem, & seipsum exscribere posset. Iste ergo formam hodiernam Imperii Germanici sic designat, in *Monzambano restricto & illustr. dissert. 12. p. m. 387. duplici regimine illud administrari, universum communi aliqua rep.; singulas regiones proprios principes & magistratus, atq; adeo peculiarem quandam remp. superiori illi subjectam habere.* Et ut intelligatur, qua ratione istæ *singulæ regiones* universæ reip. *subjiciantur p. 406.* dicit: ditiones Austriacas subordinatam cum cæteris Germaniæ territoriis remp. seu *regnum* constituere. Et *ad Instr. Pacis disc. 10. Quoniam tamen*, inquit, *pleraq; summa*

ma potestatis munia Principes exercent, illudq́ beneficiarium vinculum, quo ipsi cæsari sunt adstricti, reipsa sit exiguum, quippe cum hereditario jure, atq́ plene, si pauca demas, ditionibus præsint; hinc Principes in ditionibus suis prope regia potestate fruuntur; ac proinde Germanici principatus, si non omnino, ex parte tamen atq́ adeo imperfecta regna sunt. Jam ex ipsius mente habemus remp., cujus partibus integrantibus, quo minus perfecta regna sint, parum deest. Ea *resp. communis, seu civile corpus Germanicum, quod in comitiis Imperii plenissime repræsentatur, ex regno & aristocratia mixtum est.* Mixturam ita explicat, quod *summa potestas circa jura majestatis* (notetur locutio) *sit divisim penes plures uno, penes Imperatorem & Status, & inter hos ita communicata, ut nec rex sine statibus, nec hi sine illo eam obtineant:* Ubi observandum, homines, qui accurate loquuntur, *plures uno divisim* aliquam potestatem habere dicere, quando istius potestatis partem unam hic, aliam alter proprio jure obtinet. Quorum autem jura ita sunt communicata, ut ea unus sine altero non habeat neq; exerceat, illi ista jura *indivisim* possidere feruntur. Deinde indivisa illa potestas, quam Cæsar & Status in universo Imperio obtinent, puto clarius ita explicabitur: Si statutum sit promulgandum, quod universam Germaniam obligare debeat, id ab universis est condendum; si bellum sit sumendum, si pax concludenda, ad universam Germaniam spectans, si pecuniæ ad totius corporis salutem impen-

pendendæ conferri debeant, universorum consensus, non solius Cæsaris, aut solorum ordinum, requiritur, decreto comitiorum per modum pacti concepto expressus. Atqui hoc sane est systema aliquod delineare, singulis in sibi subjectos summam fere potestatem transscribere; sed quæ universos tangunt communi consensu expedienda relinquere. Quod autem Imperatoris autoritas in comitiis Statibus singulis præponderet, universorum tamen consensu minor, id inæqualitatis aut irregularitatis indicium est, quam vocabulo *mixturæ ex monarchia & aristocratia* haut recte expresseris. Nam alios quacunque ratione eminere, ni imperium in eosdem habeat, monarchiam non constituit; & conventus eorum, quorum singuli parvis præsunt, non senatus aristocratici, sed concilii sociorum speciem habet.

§. 10. Antequam autem accedamus ad examinandas rationes, quibus ille *Severini* sententiam convellere nititur, utile fuerit prius monere, formam reipub. Germanicæ, quæ nunc est, haudquidquam originem trahere ex aliquo fœdere expresso, & in antecessum assignatis cuique juribus, descriptoq; regiminis modo; sed paulatim ex degeneratione à statu monarchico, morbisque invalescentibus provenisse. Iste porro status, cum publicis jam constitutionibus & conventionibus sit confirmatus, vitii aut παρεκβάσεως nomine amplius venire nequit, quatenus hæc vocabula abusum proprii, aut illicitam usurpationem alieni juris notant. Enimvero cum illæ sanctiones pu-

blicæ neq; ad regularem monarchiam Germaniam reduxerint, neque Status in perfectas omnino civitates provexerint, sed præsentem ipsius faciem confirmarint; vix videmur effugere posse, quin Germaniam dicamus remp. irregularem, quæ neque regnum, neque systema sociorum sit, sed aliquid inter hæc duo interjectum, & de utroque participans, de posteriori tamen plus, quam de priori. Degenerante porro forma monarchica, non potuit quoque non vinculum illud, quo ab initio rex cum civibus, & hi inter se connectebantur, simul ita degenerare, ut vix majorem vim quam fœderis systematici retinuerit. Cæterum cum omnes fateantur, resp. regulares paulatim posse degenerare in aliam formam simplicem, aut ejusdem παρέκβασιν; qua de re vid. inprimis *Polybius l.6. Aristot. polit. l.V.* quid obstat, quo minus degeneratio procedere possit non versus aliam simplicem formam, sed versus systema; aut quo minus velut in medio subsistat, antequam alterutrum extremum perfecte attigerit? Et facit huc illud *Aristot. Rhetor. l. 1. c. 4. præter optimam remp. alia omnes, tum si remittantur, tum si intendantur, corrumpuntur; quemadmodum democratia non solum si remittatur, fit debilior, ut tandem perveniat ad oligarchiam, sed etia si intendatur nimis* Et subjungit: ὥσπερ ἡ γρυπότης ἡ σιμότης, οὐ μόνον ἀνιέμενα ἔρχεται εἰς τὸ μέσον, ἀλλὰ καὶ σφόδρα γρυπὰ γινόμενα, ἢ σιμὰ, οὕτω διατίθεται τὴν ῥῖνα, ὥστε μηδὲ

μηδὲ μυκτῆρα δοκεῖν εἶναι. *Ut & grypitas & simitas, non solum si remittantur, perveniunt ad medium, sed etiam si nimis grypa fiant, vel sima, ita disponunt, ut ne nares quidem videantur esse.* Uti autem res, ita quoque significatio vocabulorum degenerare svevit. Quam in rem insignis est locus ap. *Procopium histor. Vandal. l. 1.* ex versione *Grotii : fœderatorum nomine soli olim dicebantur, qui non servilem in modum, neque enim armis victi, sed pari cum civibus jure sub imperium venerant, à fœderibus, quæ pepigerant, sic nominati. At nostra ætate in hoc nomen venire nemo vetatur, ut mos est temporis, non in quo primum reperta sunt sensu vocabula servare, dum pro suo arbitratu res ipsas immutant homines, quibus ea primum vocibus nuncupata sint nihil soliciti.* Quæ annotasse in sequentibus utile fuerit.

§. II. Porio citra oppugnandam *Severini* sententiam varium se plane gerit *Oldenburgius*. Post prolixam enim declamationem, in qua, præter superflua convicia, nil nisi mixtura ingeminatur, tandem ita concludit : *Imperium Germaniæ ex pluribus pusillis ac subalternis rebusp. arctissimo nexu in unum summum* σύστημα *colligatis extrui.* Ast quid aliud vult *Severinus?* Nam ubi plures distinctæ & perfectæ civitates in unum corpus concesserunt fœdere æquali, fit systema regulare, quod illis hominibus vocari svevit corpus civile constans ex *rebusp. coordinatis.* Ubi

autem unus reliquos eminet, neque singulæ partes plane perfectas civitates constituunt, & alio quam fœderis proprie dicti nexu continentur, emergit respublica seu systema irregulare, sociis inæqualiter fœderatis simile; quod isti malunt appellare corpus civile ex *rebuspub. subordinatis* constans. Sic non minor *Borgoldio* cum *Borgoldensi*, quam cum *Severino* dissensio. *Ad instrum.* enim *Pacis disc. XX.* §. *18.* ita scribit: *Principes feudi vinculo inæqualiter Imperatori esse confœderatos Severinus de Monzambano haut falsò existimare videtur: utpote cum vasallus non sit subditus: & inter vasallum, & feudi dominum ultro citroq; obligatio intercedere, nec hic respectu illius majestatem habere dici queat.* Et tamen *Notis ad Severinum p. 384.* hunc erroris arguit, quod *Imperium ex multis velut fœderatis rebuspublicis constare innuerit.*

§. 12. Sed & hoc mirum videtur; quare, qui antea magnam *Severini* partem in *discursus ad Instrum. Pacis* transscripsisset, & jam ex professo in eundem *notas & stricturas* dare voluerit; talia tamen eidem affingat, quæ ipsi fortasse nunquam in mentem venerunt. *Non sequitur*, ait, *Ordines Imperii ditiones suas tanquam feuda ab Imperatore & Imperio recognoscunt, ipsiq; juramentum fidelitatis præstant. Ergo Status sunt Imperatori fœdere inæquali juncti.* Vellem scire, ubinam hancce consequentiam necteret *Severinus*. Nam in alleg. §. *28. c. V.* ita iste tradit: *Neq; tam Principum potestatem, quam habendi modum afficit, quod ditiones*

nes suas tanquam feuda ab Imperatore & Imperio recognoscant. Juramentum intelligitur salvis cujusq; juribus, & socios quoq; invicem juramenti vinculo adstringi tralatitium est. Heic sane non ducitur argumentum à nexu feudali, ad fœdus inæquale. Sed hoc duntaxat dicitur; non statim alterius subditum proprie dictum fieri, aut in sibi subjectos summi instar imperii non obtinere, qui nexu feudali aut juramento alteri est devinctus. conf. *Grotium de J. B. & P. l. 1. c. 3. §. 11. & 23.* Enimvero uti ista, quæ in hac controversia super nexu feudali disputantur, clariora fiant, probe observandum est, uti feudorum constituendorum non una & eadem ubiq; fuit ratio; sic etiam omni vinculo, quod feudale audit, una & eadem ubique tribui non potest natura & efficacia. Equidem qui ab initio viris militaribus & bene meritis certa prædia sub feudi vocabulo assignarunt, illos hautquidquam crediderim vel ditiones suas voluisse diminuere, vel viros egregios à subjectionis vinculo eximere; sed potius per ista prædia tanquam insigni præmio aut mercede eorum virtutem remunerare, aut in futurum sibi pignorare instituerunt. Tales sane vasalli nihil aliud videntur fuisse, quam honoratiores subditi, qui à plerisque oneribus civilibus erant exemti, ut eo alacrius muneribus militaribus vacarent; eoque nomine certa prædia à principe obtinebant. Successu tamen temporis fieri potuit, ut vasalli auctis opibus ad meliorem proveherentur conditionem, & vinculo subjectionis plane, aut ex parte sese

exuerent, domino consentiente ultro, aut quia corrigere id nequibat. Sed & ultro quis imbecillior validiori cuipiam sese adjungere potuit hac lege, ut deinceps suas ditiones tanquam feuda ab ipso recognosceret, & munia militaria præstaret, ab eodem sibi vicissim protectionem stipulatus. Aliquando huc descendere coëgit imminens hostis; cui quis solus resistere nequibat. Aliquando cum potentiori hoste in ejusmodi leges pax componitur. Quandoque etiam victor victo ditiones suas tali conditione relinquit. Interdum recens devictæ terræ bene meritis conceduntur, ea lege, ut perpetuo aliquo vinculo concedenti obstricti maneant. Exemplorum in eam antiqua non minus quam recens historia affatim suppeditat. In omnibus hisce casibus nihil aliud actum fuisse censendum est, quam ut ineatur perpetuum fœdus inæquale, cujus leges sint ab una parte inferiori protectionem præstare, ab altera superioris majestatem comiter colere, & militaria munia postulanti exhibere. Quo ipso ille, qui vasallus deinceps audit, hautquidquam jus in sibi subjectos, aut bona sua vult abjicere. Etsi hoc fieri soleat, ut & juris istius exercitium reddatur restrictius, dum ad superioris rationes subinde se attemperare necessum habet; & modus habendi fiat ignobilior, ubi isthæc sanctio fœderi sit addita, ut commissæ intelligantur vasalli ditiones, si certo tempore investitura non fuerit petita, aut in leges fœderis sit peccatum. Sic etiam contingere potuit in magno aliquo regno, ut qui antea provincias tanquam

quam meri magistratus nomine regis administrabant, successu temporis. gliscentibus ipsorum opibus,& regispotentia diminuta, easdem tanquam propriás sibi vindicarent. Et tamen ne penitus ab antiquo sese corpore avellerent, eidem sub vasallorum nomine innexi manere vellent. Quod vinculum quousq; velint valere, penes ipsos est; præsertim ubi antiqua regum familia extincta, novum reip. caput ab ipsis constituitur. Cui ut ad modum duntaxat sociorum inæqualium subjungantur, nihil sane prohibet: quicquid demum sit de vocabulo, quo illud vinculum exprimitur, aut de ritibus, dum fides datur, adhiberi solitis. Unde imperitum valde foret, omnes, qui vasalli dicuntur, uno modo velle metiri; & quod de una aut primæva velut specie vasallorum,&certo tempore recte dicitur, ad omnes & omni tempore adplicare. Nihil autem frequentius, quam ut antiqua vocabula, ritusque & insignia maneant, etiam postquam ipsa res dudum aliam naturam induit.

§. 13. His positis crediderim, *Severinum* ad motas sibi difficultates aliqua non absurde posse reponere. Sane ubi quis de suo alteri quid in feudum concedit, *investitura feudalis habet vim vera collationis*. Sic & in feudis, quæ primævam naturam retinuerunt, ubi Seniore aut vasallo mutato renovatur investitura, isthæc renovatio ponit & implet conditionem, sub qua feudum in hæredem erit transiturum. Nil tamen impedit, quo minus quæ renovatio investituræ dicitur, vim duntaxat habeat cujuspiam ritus, & velut inaugurationis,

tionis. Sic vix putaverim Imperatorem credere, se Principibus Germaniæ, dum eos investit, ditiones istas *verè & quasi de suo conferre;* aut hos judicare, se easdem vi istius investituræ accipere, eoque nomine Imperatori magnopere obstringi. Verùm non minus ante quam post investituram *Dei gratia* sese esse, quod sunt, profitentur, & omnes imperii actus in suos pari vigore exercent. Neque sequitur; etiam ista feuda ob non petitam intra tempus legitimum investituram, (nisi gravis causa impedierit) possunt committi. Ergo per investituram illa revera conferuntur. Sicuti non sequitur: mercator ubi de suis mercibus vectigal non solverit, illæ cadunt in commissum. Ergo dum vectigal persolvit, dominium suarum mercium adquirit, aut idem solutioni vectigalis tanquam conditioni superstruebatur. Aliud enim est, tu hoc accipies, si hoc vel illud feceris: Aliud, tu hoc amittes, si hoc vel illud intermiseris. Denique id video *Severinum* docere, cùm nexus feudalis ordines ad conditionem subditorum non redigat, sed vix ampliorem vim habeat, quam fœdus aliquod inæquale perpetuum; hinc eundem non impedire, quo minus Germania dici possit resp. irregularis, quæ ad systema sociorum inæqualiter fœderatorum prope accedat. Ab hac sententia nescio quam longè abeat Severini notator, dum ita ipsum argumentari jubet: *Status Imperii provinciis ab Imperio in feudum traditis libera potestate præsunt, & dein summi Imperii cives existunt,* i.e. sunt membra magnæ istius reip. *Ergo Imperium*

tan-

tanquam vere una resp. sed irregularis, *complectitur in ventre suo*(lepidè dictum!)*multis minores ac subalternas civitates, summum imperium quoad regimen imitantes.* Ubi non possum, quin notem superstitiosam plane reverentiam, qua adversus præceptorem suum ducitur *Severini notator*, dum conditionem Statuum imperii non alio quam *civium* vocabulo exprimere amat, idque *discurs. VII.* §.2.3. mordicus defensum it. Quid enim hoc est philosophiæ: *civitas denotat societatem quandam, cujus partes essentiales(id est, imperantes) sunt cives?* Ut video, in monarchia populus non est essentialis pars regni, sed accidens duntaxat aliquod, & levis momenti appendicula; & dabitur regnum partibus essentialibus absolutum, ubi solus rex est, licet nullibi populus extet. Antehac credideram, posse in regno privatum quoque jus civitatis nancisci; nunc nemo in regno civis fieri potest, nisi idem rex fiat. Id quod saltem olim secus erat, quando Cæsares plurimos cives Romanos faciebant, quos hautquidquam in fastigium imperatorium provehebant, nec suffragia ipsorum circa negotia reip. valde requirebant. Nam quod urget, *omnem civem esse socium civilis societatis; esse autem veri socii suffragium ferre, & sententiam de rebus ad societatem pertinentibus*; id vanum est. Status enim civilis, & civitas non ideo societatis vocabulo venit, quod omnes ea comprehensi sint æquales, & æquali jure ad rem communem administrandã concurrant; alias enim regna & aristocratiæ è civitatum numero forent excluden-

dendæ. Et annon filius cum patre, ſervus cum domino in ſocietate vivit? & tamen neuter à patrefamilias ſuper negotiis familiæ in ſuffragium vocatur. Sed nimirum ne Ariſtotelicam civis definitionem ad ſolas civitates democraticas adplicandam concederet, admittit *in monarchia unum & ſolum civem regem eſſe, cui* juxta Ariſtotelem *in regno ſuo ſit poteſtas fungendi magiſtratu vel deliberativo, vel judiciali;* ſive *qui ſenatus, magiſtratus, ac judiciorum in rep. ſit particeps;* quique obtineat *jus ſuffragii, quod civium verorum ita proprium eſt, ut eſſentiam eorum unice conſtituat.* Ubi id fortaſſe curioſi quærent, ſi in regno veri cives in ſuffragium mittantur, quis diribitoris vice fungatur; an numero, aut pondere iſta ſuffragia valeant. Enimvero civis eſſe poteſt, qui hautquaquam jus ſuffragii habet, & poſſunt in conventu aliqui ſuffragium ferre, quos eo nomine tamen cives rectè non dixeris.

§. 14. Cæterum ex ſuperioribus id quoque conſtare poteſt, fruſtra eſſe, quæ contra Severinum circa *fœdus* diſputantur. Ipſius enim mens non eſt, remp. Germanicam fœdere expreſſo contineri; ſed id duntaxat vult, vinculum civile eousque degeneraſſe, ut vix virium plus habeat, quam fœdus aliquod ſyſtematum ſociorum inæqualium. Quo unico etſi quæ objiciuntur pleraque elidi queant, carptim tamen nonnulla notabimus. Negat, eos qui cum capite reipublicæ *in comitiis univerſalibus de negotiis belli, pacis & fœderum conſultant, ac jura majeſtatis imperii diviſim exercent,* poſſe fœde-

re tantum inter se connecti, sed necessariò
nisi mixtam rempublicam constituere. Quod
em gratis ipsi non crediderim. Mendose
que dicitur, eos qui communi consensu statu-
de negotiis totam rempublicam concernen-
s, *divisim exercere jura majestatis. Divisum*
Jove imperium Cæsarem habere Poëta adu-
r dicebat, quod *nocte plueret tota, redirent*
acula mane. Et inter Imperatorem & Status
que ipsa negotia, saltem præcipua, neque nego-
rum tempora, neque de negotiis statuendi po-
tas est divisa, sed indivisim & conjunctim ab istis
ercetur. Porro *fœderati inæquales unam &*
mmunem remp. constituere non possunt, si *resp.*
o civitate accipiatur: at quo minus id vocabu-
m laxius acceptum alicui systemati adplicetur,
hil obstat. Præsertim cum manifestum sit, in ali-
uo systemate v.g. Belgarum, longe felicius ex-
ediri negotia publica, quam in Imperio Germa-
ico. Quod indicio videtur, validius, quoad effe-
tum, quandoque esse fœdus bene compositum,
uam vinculum civile, quod à justa sua natura de-
generavit Incassùm quoque jactatur, à Statibus
Imperii Germanici non potuisse fœdus sociale
iniri, nec actu esse initum; quippe cum *fœdera in-*
eantur à separatis & distinctis rebusp. summa
potestate gaudentibus. Nam Severinus fœdus ali-
quod expressum non statuit. Et miror tamen,
quare Statibus Imperii jus ineundorum fœderum
detrahatur, quod expresse ipsis in pace Osnabru-
gensi fuit confirmatum. Quod jus haudquaquam
ideo

ideo insigniter imminuitur, quod semper in fœderibus debeat excipi Imperator & Imperium. Nam id regulariter est in omnibus fœderibus, ut non liceat cum novo socio pacisci in fraudem prioris socii. Multo magis in fœderibus inæqualibus addi potest, ut inferior eosdem cum superiori hostes aut amicos habeat. vid. formula fœderis inæqualis inter Romanos & Ætolos initi apud *Polybium excerpt. legat. 28.* Sed & frustra quæritur, ubi *fœderis istius inæqualis tabulæ extent.* Nam degenerationes & exorbitationes, quæ tacitis momentis contingunt, publicis sanciri tabulis non solent, nisi forte quando quietis interest, qualemcunque præsentem statum tanquam legitimum confirmari, postquam ad primævam rectitudinem reduci nequit.

§.15. Denique ex hactenus dictis adparet quoq; nequidquam constringi Severinum illis quæstionibus, quæ *discurs. XI. s. 3.* & *disc. XII. c. 10.* tanquam insolubiles ipsi proponuntur. Quærit, *an fœderatus à confœderato potentiori ac majori, seu fœderis capite dignitates, honores, regalia aliaq; privilegia accipere possit.* Id quod affirmare absurdum ipsi videtur, cum fœdera ineantur inter eos, qui summo utrinque sunt imperio præditi, quique adeo talia ab altero nequeant accipere. Enimvero ego non video quid obstet, quo minus quis ab alio honores & privilegia possit accipere, & successu temporis tantas opes nanscisci, ut respectu ejusdem instar fœderati inæqualis habeat. Sic quare non rex aliquis insignem ditionem alteri possit concedere

a lege, ut deinceps ipsi sit inæqualis socius.
:nim isthæc sibi adeo repugnant, sua jura,
tatem ac statum alteri in acceptis referre, &
eps ipsius socium evadere. Quo possis ad-
e illud *Taciti Agricolæ. Quædam civitates*
uno regi donatæ. Is ad nostram usque memo-
fidissimus mansit, vetere ac jampridem re-
: populi Romani consvetudine, ut haberet
umenta servitutis & reges. Deinde nescio
rincipes Germaniæ sint admissuri, sibi suam
ıitatam, honorem, jura regalia & privilegia
estatica seu jure majestatico ab imperatore
cedi. Quid enim aliud notet ista locutio, *ma-*
aticè seu jure majestatico concedere, quam vi
ımi imperii subjecto aliquid concedere, non
ıicio. Sic & inanis est altera quæstio: *An fœ-*
atus confœderato, licet inæquale sit fœdus, ho-
gium præstare ex natura fœderum proprie di-
rum possit; Id quod affirmare ipse quidem ab-
ılum credit, dum fœdera inire sit eorum, qui
ımmum obtinent imperium; hoc autem cum
magio in eundem cadere nequeat. Verum si
l maxime concederetur, quemvis nexum feu-
lem, aut quamlibet homagii speciem subjectio-
:m proprie dictam seu statum subditi introdu-
re, quod tamen concedere non est necessum:
cebit tamen, Severino reponere, vim istius
inculi lapsu temporum multum imminuisse,
.cet antiqua vocabula, formulæque & ritus re-
nanserint.

§. 16. Sed nec ultima quæstio Severinum ju-
gula-

gulatura videtur: *An inter fœderatos unus præcecentior in reliquos jure majestatico juris dictionem seu judicariam potestatem exercere possit? Jure majestatico jurisdictionem exercere* interpretantur, ex vi summi imperii subjectis jus dicere. Atqui isthoc soli Imperatori non attribuit Severini notator, sed reliquos Status tanquam pares curiæ ipsi in causis principum adjungit, & jurisdictionem *Imperatori & Imperio* junctim competere asserit. Quin nec naturæ systematum repugnat, extare aliquod concilium, in quo cognoscantur tam super arduis sociorum controversiis, quam super atrocibus delictis in leges societatis admissis, exsecutione sententiarum per modum belli facta. In fœdere autem inæquali plerunque controversias disceptari apud eum, qui superiori est in fœdere, neque id ipsum tamen imperium aliquod involvere, expresse docet *Grotius de J. B. & P. l. 1. c. 3. §. 21.* Quin non ita pridem celsissimo loco natus scriptor tanquam rem Europæ Christianæ saluberrimam publice proposuit, ut Lucernæ apud Helvetios concilium aliquod institueretur, in quo controversiæ principum ac rerump. Christianarum disceptarentur, & definirentur. Quo ipso tamen non crediderim aliquid eum de summa cujusq; potestate voluisse detrahere. Si quis tamen contendat, communia Germaniæ tribunalia, aut comitia, vel ipsum Imperatorem in Statuum singulorum causis plus exercere potestatis, quam quantum natura systematis fœderatorũ patiatur; is considerare debet, præsentem Germa-

niæ

niæ statum non ex fœdere aliquo expresso, sed ex degeneratione à forma monarchica profluxisse, & aliqua monarchiam sapientia adhuc retinere. Unde non mirum, non omnia ad systematum regulas congruere, adeoque hinc inde occurrere aliquid irregulare. Cæterum si quis sit, qui litigantes insigni potentia subnixos amanter per literas aut missis quoque legatis, & excitis in parem operam aliis, ad pacificam compositionem adhor-:etur; qui ad decidendos controversias, aut com-›rimendos quietis publicæ violatores, non tam eo ine accedat, ut suo quisque jure patiatur, aut de-icta ne sint impunita, quam ne ista occasione bel-ıs tota resp. involvatur; qui circa ferendas sen-entias non tam consideret, an causa sit liquida, uam num eam hoc tempore pronunciari ratio ulicæ tranquillitatis admittat; qui denique exse-ıtiones vix aliter quam per modum belli aliis fa-endas deleget: an hunc potestatem judiciariam, ualis in civitatibus regularibus cernitur, exerce- credemus? Porro uti qui imperium modo ha-:ndi imminuto obtinet, id admittere potest, de-:iente conditione, abs qua ipsius jus fuerat su-ensum; ita socium importunum & hostili modo blice turbantem à cæteris bello compesci, & non :us, ac quivis alius hostis solet, ditione sua exui ıil prohibet. vid. decretum Amphictyonum in ocenses latum ap. *Diodor. Sicul. l. XVI. cap. 61.* ıtequam ab hoc discedamus non possumus non tare, quod idem Severino tale argumentum o impingit; *socii invicem juramenti vinculo con-*

constringuntur; & *socii in conventibus propriis sumtibus comparere tenentur; ergo Status sunt Imperatoris socii.* Sed ita collegerat Severinus; non statim ordines Imperii sunt subditi proprie dicti Imperatoris, quia ipsi jurant, aut quia ad comitia suis sumtibus comparere tenentur. Nam & hoc inter socios fieri svevit, quorum tamen unus alteri subjectus non est. Credo autem differre hæc duo; *non omnis, qui alteri jurat, est ipsius subditus*; & *quicunq; alteri jurat, est ipsius socius*. Sicut arbitror multos admittere hanc thesin; non omnis, qui libros scribere aggreditur, est ad eam rem idoneus; qui tamen hautquidquam id concesserint; Quicunq; libros scribere aggreditur, ad eam rem est ineptus. Quæ cum ita sint, vix credo ullum mortalium Severino persuasurum, ut isti quantumvis non superfunctorie esurienti *herbam porrigat*.

§. 17. Circa *Bruggemannum* quendam, qui itidem Severini sententiam in *tractatu de statu & scopo reip. Germanicæ* publice damnare voluit, eo minus est negotii, quod ipse obiter duntaxat, & *ne reliquum quod esset chartæ, otiosæ Vacunæ litaret*, id egerit. Et ipse quidem, quid de forma reip. istius censeat, exposuit *d. tr. sect. 1. c. 6.* ubi eam *corpus quoddam civile ex distinctis rebusp. mixtum* pronunciat. *Compositum* debebat dicere. Nam quæ proprie miscentur, singula speciem, quam antea habuerunt, amittunt, novamq; à prioribus formis discrepantem induunt. Particulares autem illæ respp. ex quibus magnum corpus componitur, haut-

hautquidquam ita invicem miscentur & confunduntur, ut quod prius erant, post videri desinant. Sic ædificium ex lignis ac lapidibus, collegium ex Cajo, Sejo, Titio non misceri, sed componi dicimus. Compositionem porro istam duplicem facit, unam per modum *coordinationis*, alteram per modum *subordinationis*. Priori modo fiunt systemata regularia sociorum æquali fœdere nexorum. Ast ubi plures distinctæ respp. posteriori modo sunt combinandæ, siquidem neque in unam civitatem proprie dictam coalescant, neque reliquæ in formam provinciarum redactæ, uni subjiciantur, nil amplius videtur superesse, quam ut dicamus, fieri systema sociorum inæqualiter fœderatorum, ubi reliqui istius, qui caput est fœderis, majestatem comiter tenentur colere, atque is aliquod instar principis proprie dicti gerit. Quod si autem in isto capite præter autoritatem & majestatem, prout Latini istud vocabulum accipiunt, aliquid sit potestatis, per quam tamen cæteri ad subjectorum conditionem non redigantur, quid aliud quam systema irregulare talem remp. dicemus? In hoc igitur præcipuè Severini sententia videtur abire, quod hic irregularitatem adpellet, qua resp. Germanica tam à legibus monarchiæ, quam systematum abit; iste vero mixturam ex monarchia & aristocratia omninò vocandam contendat. Inde minus laboris in appendicula sua circa adstruendas mixtas rerump. formas ponere poterat. Nam illam esse civitatem perfectam, ubi partes summi imperii divisim

& independenter ſunt penes plures homines, aut concilia, vix aliquis credet, qui, quid civitas ſit, intelligit. Aliquid autem plusquam humani patiuntur illi, qui pro iſtiusmodi mixtura allegant locum *Ariſtot. IV. polit. VI.* ὅσῳ δ' ἂν ἄμεινον ἡ πολιτεία μιχθῇ, τοσούτῳ μονιμωτέρα. *Quanto melius temperata fuerit reſp. ſc popularis, tanto erit ſtabilior.* ut & *d. l. c. 9.* δεῖ δ' ἐν πολιτείᾳ τῇ μεμιγμένῃ καλῶς, ἀμφότερα δοκεῖν εἶναι, καὶ μηδέτερον. *in rep. autem optime temperanda, utrumque & neutrum ut ineſſe videatur oportet.* Optandum ſane foret, ut qui tali modo ad Ariſtotelis autoritatem provocant, oculos probato aliquo collyrio prius inungant, quam ad illius lectionem acceſſerint. Neque crediderim rem literariam multum damni feciſſe, quod iſte *in præſentiarum ad charta incitas redactus* nihil agere ita cito deſierit.

§. 18. Idem argumentum in Academia Tubingenſi declamare aggreſſus eſt *adoleſcens* quidam, qui tamen parum abeſt, quin favorem ætatis conſumſerit, dum & coram illuſtri auditorio recitare, & typis publicare ſuſtinuit: *Imperium, ejusque caput in Status ſubditos non patrocinium ſaltem, ac ob dignitatem potiorem ab iis reverentiam habet. Quemadmodum in veteri hiſtoria Amphictyones in Medos habuerunt, & hodie præfectura Hollandiæ in reliquas habet.* Ad hoc quidem ſpecimen multis carminibus gratulatoriis opus non videbatur. De cætero ad iſta, quæ pro aſſerenda

Impe-

Imperatoris summa potestate adfert, paucis reponi potest; vel facultatem tribuendi gradus quarumlibet dignitatum, & erigendi Academias non excedere mensuram ejus, qui inter socios inæqualiter fœderatos tanquam caput eminet; vel, si isthæc omnino aliquid summi imperii habent, ex primævo jure regio ista remansisse, cum cætera longe majoris momenti dudum aliò concessissent. Quo ipso irregularitas in ea rep. producitur. Quod porro Germania speciem systematis sociorum inæqualiter fœderatorum habere non possit, ex eo probat, quod socii licet inæquales summum tamen imperium suum retineant integrum. Id quod de Statibus Imperii Germanici dici nequeat: quippe *qui non in fide tantum, sed & in ditione sint Imperii & Imperatoris.* Heic si quid agere voluisset, ostendendum erat, sub *Imperatoris ditione* Status esse. Quod cum falsum intelligeret, vocabulum *Imperii* adjunxit. Sed heic nondum liquet, quo sensu ipsi veniat hæc locutio, *esse sub ditione Imperii.* Si enim iste sensus; tunc v. g. Ducatum Imperium Germanicum in se complectitur, vel hic Ducatus ejus Imperii partem constituit, nihil dixit, quod ad rem facit. Nam hoc modo Berna in ditione Helvetiorum, Transisulania in ditione Belgarum fœderatorum dici posset. Verum si propriè id vocabuli accipias pro potestate & Imperio, vix crediderim aliquem Statum concessurum, sese *sub ditione Imperii esse*, i.e. sese omnium Statuum conjunctim sumtorum esse subditum, & universos Status in ipsum habere

imperinm & potestatem proprie dictam: sicut quædam urbes Brabantiæ & Flandriæ sub ditione Belgarum fœderatorum sunt. Nam hoc modo tantum provinciæ in alicujus regni aut reip. ditione dicuntur esse. Quæ de *jurisdictione Imperii in ordines*, de *potestate legislatoria*, de *jure puniendi* subjunguntur, ex jam dictis, aut infra dicendis, qualia sint, judicari poterit. Inde ut eluderet tritum illud, (quod tamen quam verum sit, heic non disputabimus,) *Status in suis territoriis posse, quæ Cæsar in Imperio*, discrimen comminiscitur *inter jura majestatis, prout referuntur ad illos, qui ipsi summam habent potestatem, & prout ad illos, quibus eadem sint communicata majestatem habentibus. Hos enim dependenter hæc jura habere, ac idcirco summam potestatem sibi vindicare non posse.* Ubi primo nescio an digesturi sint accuratiores politici istam locutionem, *jura majestatis, prout referuntur ad eos, qui habent summam potestatem.* Inferre enim illa videtur, quasi jura majestatis à summa potestate diversum quid sint; cum tamen ea jura majestatis, quæ vocant, summæ potestatis partes potentiales existant. Sicuti & incongruam judicabunt hanc locutionem philosophi; intellectus & voluntas humana, prout referuntur ad eos, qui habent animam rationalem. Deinde *communicari aliquod jus* ab altero mihi potest duplici modo, vel ut illud deinceps meum quoque sit, vel ut idem deinceps nomine & vice istius exerceam. Priori modo si rex cum altero jura majestatis commu-

nicet,

nicet, vel collegam eum sibi faciet, vel jure suo in aliquam partem regi sese abdicabit, & illud in alterum conferet, sic ut iste deinceps in eam summum imperium obtineat. Quo casu ejusdem potestati nihil decedet, quod eam alteri in acceptis referat, seu quod ea ab alio dependeat in origine. Posteriori modo si fiat communicatio, nil aliud efficitur, quam summus aliquis vicarius & præses totius regni aut alicujus partis. Aliter enim non adparet, quomodo quis jura majestatis cum altero communicare queat, ut tamen iisdem se non abdicet, sed ut iste perpetuo ab hoc dependeat. Atqui nescio an Status Imperii Germanici sint concessuri, sese hoc modo jura majestatis obtinere, aut quod tanquam vicarii, & præsides provinciarum à Cæsare dependeant. Enimvero ne alterutrum horum admittere necessum habeat, *non majestatem* quidem, sed *superioritatem* Statibus tribuit. Heic non ita in proclivi est liquidam invenire definitionem superioritatis, quæ aliquem quidem constituit supra conditionem subditi & magistratus, & tamen majestatem seu summum imperium non tribuit. Nam dubito an ullis antiquorum aut recentiorum cognita fuerit ea species potestatis, præterquam Germanis, quos fallor an iam comminisci coëgit singularis suæ reip. forma, postquam viderunt principes, qui plerasque summi imperii partes in sibi subjectos suo nomine exercerent, & tamen inter titulos suos curiales majestatis vocabulum non usurparent. Neque tamen Severinus valde rejecturus videtur illud no-

men superioritatis, à majestate distinctæ, modo definiatur per potestatem, quæ in ordine ad subjectos vim habet summi imperii, paucis exceptis; quæ tamen cum reverentia adversus aliquem dignitate in eadem rep. eminentiorem, & paucis reliquiis antiquæ subjectionis est conjuncta. Sic enim non absurde videretur describi conditio membrorum principalium irregularis alicujus reip. quæ ex regno versus systema sociorum inæqualiter fœderatorum degeneravit. Vanum autem est, quod addit; detracta licet *majestate libertatem* tamen StatibusGermaniæ salvam adhuc persistere, quippe *qua bene sine summo imperio intelligi queat. Sicut enim libertas privata non illico facit hominem sui juris, cum filius fam. liber quidem sit, non tamen summum in familia teneat imperium: ita & status liberi esse possunt in contradistinctione servitutis, nec tamen propterea summum imperium habeant necesse est.* Atqui hoc modo Statibus German. non plus tribuitur, quam ordinibus in aliis regnis, aut quibusvis civibus, qui sese *liberos in contradistinctione servitutis* dicere possunt. Cæterum uti libertatis diversi sunt gradus, & libertas quandoque vocatur mollior & laxior subjectio; ita *libertas civilis*, quæ populis, aut, populorum capitibus tribuitur, *sine summo imperio intelligi nequit*, quod *Grotius* tradit *lib. 1. de J. B. & P. cap. 3. §. 21.*

§. 19. Est denique *nescio quis*, qui contra eum, quem sub Severini persona latere sibi persvasit, plusculum ingenii, sed & affatim fellis expromere

voluit.

luit. Ejus in ſcientia civili peritiam, qua ſibi plus quam par erat placere videtur, hac vice paulo curatius excutiemus; ſimulq; an ipſe talis ſit, qui Severinum ad retractandam ſententiam adigere valeat, conſiderabimus. Initio igitur præmittit diſtinctionem inter civitatis formam *eſſentialem* & *accidentalem*, quarum illa ex ſummo imperio, hæc ex numero perſonarum, penes quas ſummum imperium hæret, oritur. Circa priorem ſupponit illud axioma, unius rei unam tantum eſſe formam; id quod etiam de monſtris verum ſit. Ejus axiomatis hæc eſt ad rem præſentem adplicatio; cum Imperium Germanicum unum ſit, nonniſi unam idem poſſe habere formam, adeoque in illo unum duntaxat ſummum imperium exiſtere poſſe. Inde poſito, alicubi in Germania ſummum eſſe imperium, jam inveſtigat, *ubinam loci totum & numeris omnibus abſolutum in Imperio imperium ſit?* Ad quod expediendum opus eſt prius diſpicere, an Germania ſit una civitas proprie dicta, an vero ex multis civitatibus perfectis tanquam ſyſtema aliquod componatur. Poſterius ſi quis aſſerere velit, ei fuerit demonſtrandum, omnes partes ſummi imperii penes unumquemque Ordinem ita reſidere, ut nullius alterius poteſtatis humanæ arbitrio illius actus reſcindi poſſint, nec ipſi Ordines ſubſint niſi Deo. vid. *Grot. de J. B. & P. lib. 1. cap. 3. §. 7.* Atqui liquido conſtare, *ne unum quidem majeſtatis jus ordinibus ſeorſim conſideratis plene, abſolute, ac independenter competere*; quin extare poteſtatem ſuperiorem, ſi non

in ſolo Imperatore, ſaltem in toto Imperio & comitiis, per quam de ipſorum vita, fama, dignitate, poſſeſſionibus ſtatuatur, & malefici proſcribantur. *Siue leges; ſiue vectigalia, tributa, fœdera, bellum, pacem, ſententias ac ſupplicia irrogent Ordines, ſi præfinitos limites privilegiorum ac juſtitiæ excedant, decretis, mandatis, exſecutionibus Imperialibus urgeri. Et privilegia ipſorum intelligi ſalvo* jure Imperii. Nec obſtare *amplitudinem privilegiorum*, aut *quod de facto, quædam contra leges Imperii, aliorumq́ue Ordinum conſenſum & approbationem interdum ſuſcipiuntur, aut negliguntur.* Diſtinguendum quippe inter *reſp. ipſas* & *rerump. declinationes*, quæ non ſtatim *perimunt* ipſas reſpub. ſed *alterant*, nec ex *morbo* & *luxatione* faciendum eſſe *monſtrum*. Aliud eſſe ἀπόκλισιν & παρέκβασιν, aliud *informe monſtrum*, quod partim reſp. eſt, partim non eſt Germaniam nunquam *in tot particulas dilapſam*, ac in *fœdus* aliquod aliud à *civili recollectum* vel *transformatum, aut utrinq́ue reductum*. Demum concludit, *quoniam ſingulorum Ordinum actus & judicia ab Imperatore & Imperio univerſo vi legum & exemplorum poſſunt reformari, & reformantur tota die, ibi* (in Imperatore & Imperio) *quærendum complementum ac terminum ſummæ poteſtatis, & putandum, ſingulos Imperii Status per ſe haut ſatis firmos, ac ſibi ſufficientes, & quantum ad majeſtatis rationem, utique imperfectos: univerſos autem veram, integram & proprie dictam civitatem conſtituere,*

& hoc

& hoc omnium consiliorum fundamentum debere credere. Neque esse, quod quis regerat, si ad aliqua præstanda ordines teneantur, id non esse ex *lege* aut imperio, sed ex *pacto*, abs cujus implendi necessitate ne summum quidem imperium absolvit. Respondetur enim heic primo, *ipsam civitatem societate & pacto contineri.* Deinde observandum esse discrimen inter *pacta civilia*, & *alterius generis conventiones*, quæ utique objectis longe differant. Illis enim conveniri de civilibus, seu de summi imperii juribus usuque, hasce alia comprehendere, quæ *non nisi remotius vel ex parte ad civitatem & imperium pertinent.* Jam vero pacta Imperii *prioris generis esse*, quæ versentur circa *civilia*, circa *summam potestatem, ejusq; portiones*: per quæ *non qualecunque impedimentum objiciatur voluntarium*, ut in aliis conventionibus, sed per quæ *portiones summi imperii in statu omnes tanquam in corpus membris singulis translata, & velut anima usque quaque diffusa, & vi coactiva armata deprehenduntur.* Argumento esse Imperii sanctiones, quæ de *negotiis civilibus, de criminibus omnifariis, eorumque pœnis, de re judiciaria, sumtuaria, testamentaria, denique publica & privata agunt.* Quæ omnia civitatem arguant; neque ullam societatem, sive bellicam, sive circa commercia tam late patere; non *Belgium fœderatum*, non *Helvetios Cantones*. Denique quod longe alia *hujus reip.* facies quam cæterarum minum non esse, *quot enim resp. tot differentias, sicut in vultibus humanis inconciliabilis diversitas* ad-

pareat. Hæc eo prolixius recensere voluimus, ut singulorum argumentorum vis eo clarius possit percipi. Et sine dubio simpliciores in suas partes pertraxerat, modo de privilegio aliquo sibi prospexisset, ne quis ipsi contradicere auderet.

§. 20. Hujus rationes antequam examinemus, diligenter velim observari, civitatem proprie dictam tale corpus esse, cujus omnia & singula membra circa omnes actiones ad bonum publicum dirigendas ab uno principio per modum imperii dirigantur. Tunc enim civitas uno imperio velut una anima contineri intelligitur, cum per illam omnibus & singulis membris necessitas affertur, à superiori proficiscens, & in se vim obligandi continens, præstandi & omittendi, quæcunq; ad ejusdem bonum ab ipso facere judicantur. Ubi id necessario existit, ut penes unum quidem hominem aut concilium sit potestas jubendi; reliquis omnibus, universis & singulis parendi necessitas incumbat. Et quanquam non necessum sit, ut omnes cives paris sint conditionis, neq; uni præ altero aliqua prærogativa, aut à quibusdam oneribus exemtio competat: non tamen alicujus privilegia eousque evalescere possunt, salva civitatis natura, ut conditione subditi is fiat superior. Jam si consideret quis illa, quæ à Severino passim de potestate Imperatoris, jure Ordinum, indole comitiorum traduntur, & quæ in illa republica tota die fiunt, jure fieri dicuntur: valde dubio an deprehendere possit, omnes & singulos Status suas actiones ad bonum totius reipublicæ dirigere ex

vi alicujus imperii: omnia videri velut ab uno principio proficisci, penes quod arbitrium judicandi & præscribendi, penes exteros omnes necessitas obsequii: jura & Privilegia Ordinum cum conditione subditorum posse consistere; unum denique hominem aut concilium, cui summa potestas tribuitur, in omnes & omnia radicaliter imperium obtinere, singulorum nemini quid potestatis competere, quod supra magistratus proprie dicti mensuram sit. Contra cum singulis Imperii Statibus nonnihil videatur deesse, quo minus absolutæ & independentes civitates haberi possint; Severinus judicavit, nil accuratius, & ad rei veritatem aptius dici posse, quam irregularem esse rempub. Germanicam, quæ neque una civitas proprie dicta, neque systema sociorum examussim sit, sed ut utriusque natura aliquid ipsam trahere; eumque statum ab initio non per expressam aliquam constitutionem, sed ex degeneratione induisse.

§. 21. Sed nec deest, quod reponi queat his, quæ *nescio quis* adfert. Demus *unius rei non nisi unam esse formam*. Ast formam illam non semper simplicem aut regularem esse oportet. Unde non sequitur: Germanicum Imperium est tantum unum; ergo habet regularem formam unius civitatis. Neque statim ubi extat imperium summum, id est, ubi extat corpus civile neminem alium in terris superiorem agnoscens, ibi idem extat eo modo, quo illud ex natura civitatum regularium resultat. Et quanquã de essentia est civitatis regu-

laris, ut summum imperium indivisum sit in uno subjecto; nihil tamen repugnat, in rep. aliqua existere talem irregularitatem, ut neq; singula membra, neque concilium universorum omnes & singulas partes summi imperii, seu *totum & numeris omnibus absolutum* imperium habeat; sed ut plerasque partes singula reip. membra obtineant, reliquæ in concilio universorum, aut uno eminente membro cernantur. Adeoque fieri potest, ut detur corpus civile, abs nullo alio extrinsecus dependens, cujus membra singula summum imperium numeris omnibus absolutum non habeant, neque tamen in capite istius reip. aut in concilio universorum membrorum sit summum & absolutum imperium, in singula membra exercendum. Sic & ad illam assertionem, *ne unum quidem majestatis jus Ordinibus, seorsim consideratis plene, absolute, & independenter competere*, à Severino regeri posset; sibi non fuisse propositum, ex Germania regulare systema sociorum æqualiter aut inæqualiter fœderatorum exstruere; persuasum sibi tamen esse, tantum de juribus istis possidere Germaniæ Ordines, ut saltem pro subditis, quales in civitate regulari dantur, haberi nequeant. Deinde illud, *absolute & independenter competere*, subtilius est explicandum. Vel enim accipi potest de κτήσει, sive dominio velut istorum jurium; vel de χρήσει & exercitio eorundem. Non statim summum imperium habere desinit, qui illud, vel sub conditione habet, vel alteri in acceptis refert.

refert. conf. *Grot.l.1.c.3.§. 11, 16. in fin. 23.* Ut autem aliquis non omnes & singulas partes summi imperii pro lubitu possit exercere,sed ad certas leges easdem teneatur attemperare, id etiam in systematibus sociorum frequentissimum est. Sed & nondum liquido probatum fuit, omnes & singulos actus illius imperii, quod Ordines in suos subjectos exercent, ab alio per modum imperii posse irritos reddi, aut ita ab alio dependere, ut inde omnem suam vim, & autoritatem mutuentur. Sane domui Austriacæ,quo minus in ditiones suas hæreditarias plenum, absolutum & independens imperium competat, quantillum deest? Ab Electorum tribunalibus provocatio non datur. Nec constat, quis tributa,quæ subditis suis Ordines imponunt, moderetur; aut quis prohibeat, quo minus magistratus in suis ditionibus, quos velint, constituant. Quin nec in systematibus sociorum insuetatum est, ut quas singuli suis ferunt leges, nihil contineant,quod totius corporis harmoniam turbet; ne vectigalia singuli instituant nova, aut vetera intendant cum pernicie commerciorum; ne fœdus ineant in fraudem totius reip. ut in dicundo jure certas leges sequantur. Sed nec illa potestas,quæ Imperio asseritur in *vitam, famam, dignitates & possessiones* Ordinum, eosdem ad subditorum conditionem deprimit. Inter socios quoque existere posse concilium,ubi super factis enormiter in leges societatis inpingentibus cognoscatur, exsecutione per modum belli facta, supra ostensum. Addi potest, quod ap. *Platonem* de *LL.*

l.8. in fœdere, quod tres civitates, Argi, Messene, Lacedæmon, earũq; reges inierant, hæc quoq; clausula legatur; *ut duæ simul contra unã insurgerent, quæ positas leges transgrederetur.* Modum quoque cum Statibus Germaniæ agendi, si non tam formulas vocabulorum, quam vim & effectum respicias, nõ abhorrere ab illo, quo socii, inæquales præsertim, invicem uti possunt, in aprico est. An porro Ordines Germaniæ, *gratiam Dei* præscribentes, jura ac dignitatem suam possideant ad modum privilegii, quale princeps sibi subdito tradit, nondum liquet. Saltem non usque adeo hæc duo sibi videntur repugnare; privilegia Ordinum intelligi salvo jure Imperii; & Ordines ad modum subditorum Imperio non subesse. Multa à quibusdam *de facto* suscipi, hautquidquam argumento est ea, quæ jure Ordinibus competunt, tanta non esse, ut cum subjectione civili stare nequeant.

§. 22. Quæ ulterius afferuntur de *inclinationibus, morbis & luxationibus* rerump. rem non conficiunt. Potest quippe inclinatio aliqua eousque procedere, ut non quidem ipsa *resp. perimatur,* i.e. in dissolutum cœtum civitas dissipetur, sed tamen aliam à priori formam demum induat. Monstrosam vocari formam, quæ enormiter est irregularis, inusitatum non est; nec per se contumeliam aut injuriam ea adpellatio habet conjunctam, modò sua culpa faciem pudendam sibi quis non conciliaverit. Et illud fateor *informe monstrum* foret, si quis rempubl. fingeret, quæ partim resp. esset, partim non esset. Ast forma utique non definitur

resp.

resp. quæ neque exacte civitas regularis, etiam morbida, luxata aut declinans est, neque exacte systema sociorum; sed quæ ex utroque aliquid trahit. Neque illa, si recte memini, Severini est assertio; remp. Germanorum in plures civitates *dilapsam*, ac *post in fœdus aliquod aliud à civili recollectum & renovatum*: sed hæc; vinculum civile eousque degenerasse & laxatum fuisse, ut vix majorem amplius vim, quam fœdus systematicum habeat, licet pristinum vocabulum, & inania adhuc perstent. Porro *Germaniæ Ordines omnium consiliorum fundamentum credere debere, singulos se haut satis firmos, & sibi sufficientes*, recte dicitur; & idem fortasse non absurde occinitur Belgis fœderatis, atque Helvetiis. Sed quod universi ideo *veram, integram, & proprie dictam civitatem constituant*, id credere necessum non habent. Germaniam expresso aliquo *pacto* contineri Severinus puto nuspiam scripsit; sed qualecunque sit id vinculum, quo eadem cohæret, vix majorem habere efficaciam, quam fœdus aliquod systematicum sociorum inæqualium. Inde quæ contra jactantur, nihili sunt. In ipsa civitatis constitutione *pacta* intervenire verum est. Sed quis dixerit, cives non alio modo teneri ad præstandum officium, quam illos, qui solo pacto tenentur. Sic quis credat, in fœderibus systematicis non conveniri *de civilibus*, i. e. de exercitio & usu partium summi imperii. Nisi forte pauciora negotia civilia in conventu Ordinum Generalium apud Belgas agitantur, quam in comitiis Germanorum,

rum. Desiderant tamen eruditi videre illa *pacta Imperii, per qua portiones summi Imperii in Status omnes tanquam in corpus membris singulis translata, & velut anima usquequaque diffusa, & vi coactiva armata deprehenduntur.* Illa enim ad rem hanc decidendam non parum momenti adferre possent. Sunt denique multæ *rerump. differentia;* sed aliquæ earum tantæ, ut quasdam resp. regulares non amplius videri patiantur.

§. 23. Videamus jam, quid iste *nescio quis* circa *formam* reip. Germaniæ *accidentalem* disputat. Ubi præmittit, *necessum esse omnem remp. aut ab uno solo, aut à pluribus, aut ab omnibus & in omnibus gubernari: aut quadam unus, quadam plures, quadam omnes tripartita, aut bipartita saltem ratione (quod mixturam communiter vocant) poterunt ac efficient: aut nemo aliquid poterit.* Hinc subsumit, Cæsarem neque omnia solum in Imperio, neque tamen nihil plane solum posse; quippe *reservata*, quæ vocantur, ipsi competere, & *judicium aulicum* ab ipso solo dependere: Ordines autem omnino in partem imperii venire. Ex quo planissimè sequitur, *imperium esse compositum ex monarchia, respectu eorum, qua Casar solus habet, & aristocratia, qua ipsum quoque Casarem, respectu illorum, qua cum reliquis Ordinibus decernit, complectitur, ita tamen, ut hac illi pondere & numero jurium utique pravaleat.* Hocce carmen sexcenti jam cecinerunt. Id tamen hic singulare habet, quod ejusmodi mixtam formam *irregularem* dici posse concedit, & Cæsarem ex

parte

parte monarcham, ex parte unum ex optimatibus facit, ex parte Ordinibus imperantem, ex parte iisdem ſubjectum; quippe cum ſinguli Optimatum, ut tales, ſubditorum omnino rationem in ordine ad univerſos habeant. Cui conditioni exprimendæ non video, quale vocabulum ſit procudendum. Quid ſi tamen aliquis contendat, ſubtiliorem adhuc diviſionem debere inſtitui, ut Germania inter respublicas convenientem locum inveniat? Ubi enim concinnatur reſp. mixta ex diviſione partium ſummi imperii, ut iſtæ ſint penes diverſa ſubjecta, ſingulæ iſtarum partium vim ſuam ſuper univerſam remp. extendent, adeoque quilibet, cui pars aliqua ſummi imperii tribuitur, eam partem per univerſam remp. jure ſuo pro imperio exercebit. v.g. Ponamus regem habere jus armorum, ſenatum poteſtatem legislatoriam, populum jus tributorum. Heic ſane quæ ad bellum ſpectant, per univerſam remp. rex adminiſtrabit, ſenatûs leges per totam remp. valebunt, populus ubique tributa exiget. Ad hanc mixturæ modum ſi revocetur Germania, Cæſar quidem per univerſam Germaniam reſervata ſua exercebit, judiciique aulici jurisdictio ad omnia Germaniæ loca, cauſasque ſe extendet. Univerſi autē Ordines junctim per omnes & ſingulas Germaniæ partes leges ferent, pacem & bellum moderabuntur, tributa imponent, magiſtratus conſtituent, &c. ſicut omnes & ſinguli circa iſthæc omnia illorum decreto ſtare teneantur. Et uno verbo, ut in omnibus & ſingulis provinciis Germa-

mauiæ, quoad omnes & singulas partes summi imperii voluntas universorum Ordinum prævaleat voluntati singulorum in sua cujusq; ditione; utque adeo singulorum Ordinum subditi quoad omnes & singulas summi imperii partes magis à nutu universorum Ordinum, quam suorum principum dependeant. Hoc modo præsides provinciarum & magistratus nudos ex Principibus Germaniæ efficies. Ac frustra occinitur, ex privilegio esse, quod multæ summi imperii partes à singulis Ordinibus suo arbitrio exercentur, citra impedimentum ab universis allatum. Non enim juris alicujus origo, aut vocabulum, sed vis atque effectus est spectandus. Ac ubi status aliquis nudo privilegio superioris nititur, vix crediderim, tam temerarium ipsum fore, ut *Dei gratiam*, non modestiæ, sed eminentiæ causa sibi præscribat, quo ipso dependentiam ab homine saltem in duratione sui fastigii, & tanquam ab imperante, non obscure abnuit. conf. *Limn. de jure publ. l. IV. c. 6. & in additament. d. l.* Igitur valde fallor, an supra dictæ partitioni hoc quoque membrum erit inserendum; aut capita singularum partium integrantium, ex quibus resp. componitur, singula in sua parte pleraque poterunt; quæ supersunt, caput reip. aut universi poterunt.

§. 24. Reliqua, quæ in Severino carpit, exigui sunt momenti. Negatur de essentia aristocratiæ esse *senatum perpetuum*. Eadem ergo opera negabimus, in aristocratia summum imperium hærere penes concilium optimatum. Et quanquam, ut

ut perpetuus vocari possit senatus,non requiratur, ut perpetuo consultet,& in ipsa quoque curia pernoctet; saltem tamen ita erit dispositus, ut semestre spatium mora coëuntium non sit absumendum. Imperatorem porro & universos Ordines instar perpetui ac stati senatus habere tunc credemus,quando omnes, qui in qualemcunque conventum coiverint, senatorum faciem induent. Ac si vel maxime in rep. aliqua existat concilium perpetuum, tamen non statim erit senatus aristocraticus, cum & in systematibus ejusmodi concilia perpetua reperiantur. Qui autem dicit: penes universos esse summam potestatem, sed quod singuli suas ditiones ad instar fere monarcharum obtineant, *ad modum administrandi* pertinere; is ex principibus Germaniæ meros præsides facit. Crediderat quoque Severinus, speciem magis systematis, quam aristocratiæ habere illud corpus, quod, ut tale, nulla bona obtinet, singuli autem amplis ditionibus gaudent. Heic regerit *nescio quis, in Germania instar perennis ærarii, & patrimonii communis esse jus tributorū.* Ast *quantillum instar in isto est?* Ægre fert,quod Severinus dixerat, *qualemcunq; mixturam* (qualem recentiores vulgo fingunt) *non nisi monstrum aliquod civitatis,* (non *monstrum civile*) *producere aptam esse.* Putaverim Severinum hoc velle dicere; extent sane resp. mixtæ, sint durabiles, sint non injustæ, habeant aliquem locum inter resp. generalissime dictas; modo inter civitates proprie dictas non postulent censeri, i. e. inter cœtus perfectos,

fectos, qui uno imperio velut una anima indivisa & indivulsa continentur. Ut mulus sit animal nemo prohibebit. Sed si pervicaciter inter equos velit censeri, puto injuria ipsi non fiet, si quis *monstrum equi* eundem vocaverit. Cæterum nisi rationibus constringatur Severinus, dubito an autoritatibus magnopere possit terreri. Saltem sperare potest, *scholarum regem Aristotelem*, (etsi melius diceretur unicus scholarum *civis*,) non omnes læsæ majestatis reos peracturum, qui alicubi ab ipso dissenserint; non magis quam *majestates blasphemasse* dici potest, qui in liberæ etiã urbeculæ fimeta jocatus fuerit. Denique & illum sic satis sibi constare putaverim, qui dicat, remp. aliquam *inter regnum limitatum*, & *systema plurium fœderatorum fluctuare*, ideo, quod reip. caput illuc, reliqui huc eandem trahere nitantur; quod si autem *illa renitentia tollatur*, si quilibet jure præsenti adquiescat, eandem in effectu *revera fore systema sociorum inæquali fœdere nexorum*, i. e. quanquam ea respub. per fœdus aliquod non sit constituta, sed ex degenerante vinculo civili in hanc formam sit provoluta; revera tamen potestatem ejus, qui caput reip. audit, vix excedere autoritatem superioris fœderati, cujus majestatem inferiores socii comiter conservare tenentur. Sic igitur & hicce vires in ventum effudisse videtur. Enimvero isthæc nos hactenus disseruimus, non quod Severini sententiam, saltem in hypothesi, ex asse velimus facere nostram; sed ut ostenderemus, solidiora debuisse afferri ab iis, qui istum ultro

tro lacessere instituerunt. *Christiani à Teuteburg, Nobilis Franci* libellus paulo serius in nostras manus incidit, ut ei discutiendo tempus jam non superfuerit. Qui etsi non satis æquus Severini adversariis videatur, dum *ejusmodi* illorum *scriptis*, qualia hactenus examinavimus, *Severino pondus magis addi* censet: (*p.69.*) crediderim tamen illos utut contemtim habitos, sibi gratulari, quod dum is communem causam nihilo melius, quam ipsi, egit, magnam sibi ruboris partem abstergere licuit. Sane enim equestris politica altius ingredi, & gressus glomerare superbos debebat. Anne philosophia quidem fortuna discernitur? Sed nec operæ pretium videtur plura addere de Anonymo quodam notarum ad Severinum scriptore, *Eleutheropoli* editarum; qui catelli ad morem passim morsicat & vellicat, ut nihil aliud agere voluisse videatur, quam supercilium, animiq; malignitatem apricari. Denique illi eruditissimo Viro, qui *de Notitia Romani Imperii titulos memoriales* edidit, ac ipse quoque Severini sententiam rejicere videri voluit, ex hactenus dictis plene potest satisfieri; præsertim cum controversia non in eo vertatur, an Imperium Germanicum sit *una respublica*, sed an idem regularis sit respublica. Quorum prius nequaquam propositum est Severino impugnare; cum etiam Systemati alicui unius reip. vocabulum tribui soleat, & multo magis tribui possit reipublicæ, quæ per degenerationem à regulari forma discessit.

§. 25. Sed quicquid de Germania sit, sufficit nobis

bis concepisse imaginem reip. irregularis, quæ per nimiam potentiam procerum, & magnarum urbium à regno tantopere discesserit, ut regi vix potestatis plus supersit, quam capiti alicui sociorum inæqualium competere potest. Ejusmodi enim resp. neque regnum amplius erit, quia potestas regia paulatim exolevit, & præter suadendi autoritatem parum remansit: neque systema sociorum proprie vocari poterit, quia non fœderi suam debet originem, sed ex degenerante civili vinculo istam formam induit. Oritur autem ejusmodi irregularitas, si in magno aliquo regno procerum opes civilem modum fuerint supergressæ; aut urbes, munitæ præsertim, nimia incrementa sumserint. Equidem solæ opes per se neminem à necessitate fidem datam implendi, adeoque nec à subjectione civili eximunt. Nota tamen est mortalium indoles, ut imperii in alios avidorum, sic aliorum in se potestatem dedignantium, ubi tantæ fuerint vires, ut contra quoscunque se defendendi fiducia exsurgat. Et qui per imbecillitatem singulorum adactos se credunt, abdicatâ libertate naturali aliorum subire imperium; facile lubidinem concipere possunt, eodem iterum se subtrahendi, ubi alterius patrocinio non amplius opus habere videntur. Urbes porro, ut deinceps non nisi precario alium sibi præesse velint, facile animare potest sua magnitudo, situs opportunitas, per quem commeatu, aut aliorum auxiliis ægre excludi queant, opulentia per commercia cumprimis parta, munitiones natura aut per artem

tem circumpositæ, quarum custodia penes oppidanos solos est, incolarum multitudo, ferocia, & in tractandis armis peritia. Sed ut singuli proceres eousque pertingant, vix alia commodior videtur via patere, quam si ipsis ad longum tempus, aut ad liberos quoque derivanda committatur administratio magnarum provinciarum, & quidem ut ab uno solo & jurisdictio, & res militaris ac pecuniaria tractetur. Talibus militum & provinciarum animos sibi adjungendi prona occasio, ut regis paulatim exolescente autoritate istos tanquā summos dominos venerari incipiant. Sane enim ad eos maxime solent respicere homines, abs quibus proxime in ipsos conferuntur bona. Paucis & rarius de primo eorundem autore cogitare libit. Si ergo populus videat, beneficia illa, quæ a rege in subjectos solent proficisci, perpetuo per unum dispensari, & huic facultatem esse ista vel expromendi vel intervertendi, quid propius est, quam ut hic in vicem regis colatur? Si curas imperii ab sese in ministrum devolverit rex, iste, non ille imploratur ab iis, quibus auxilio est opus. Sic paterfamilias, licet famulis suis de necessariis abunde prospexerit, si tamen alteri claves commiserit, huic servos esurientes, non sibi, adulari cernet. Porro qui dignas principe opes, & quæ civitatis instar habent, possidet, varias per occasiones legitimum sibi titulum circumponere potest, ne perpetuo alienæ potestatis aut rei usurpator, aut interceptor audiat. Quandoq; rex, ubi ejusmodi præfectum abs se in ordinem redigi non posse videt,

ac

ac metuit, ne aperte secessionem faciat, aut ad
lium deficiat, satius judicat ipsius fastigium ul
confirmare, ac molliori aliquo & honorifico v
culo sibi adjunctum retinere. Aliquando ub
bellum intestinum res eruperit, confirmatio ej
modi status inter leges pacis est. Minus invid
sum est interregnum captare, ut quomodocunc
parta potentia in juris speciem evalescat. Post
tinctum enim eum, qui aliquid de potestate sua
usurpationem decerptum queri poterat, nihil
detur obstare, quo minus præpotentes ejusm
proceres, ubi consenserint reliqua reip. membra
qui ipsis præcipue sunt subjecti, novum sibi ca
in tales leges adsciscant, ut ab eodem deinc
tanquam inæquales socii habeantur; quicquid
vocabulis, aliisque inanibus fiat.

§.26. Ne oriatur ejusmodi irregularitas, ab i
tio præcaveri potest, observatis diligenter sta
monarchici regulis, quæ quidem huc spectant,
in regno nemo unus sit, aut pauci, pluresvè, q
rum vires regis viribus æquiparari queant, quo
que adeo frenum mordentes rex metuere co
tur. Cæterum quanquam prægraves monarchis
ves fieri possint ex amplitudine pecuniæ, aut ex
ctione, aut ex insignibus pacis belliq; artibus:
hil tamen horum facilem præbere potest occa
nem degenerationi monarchiæ, & irregulari
producendæ, de qua jam agimus. Nam neq; m
simul facile in una rep. existere possunt; hisce
bus adeo instructi, ut singuli aliquod instar m
cæ saltem civitatis facere possint; neque adeo

b

ɔiles ſunt eædem, ut his potentia ad hæredes con-
:inuanda firmiter ſuperſtrui queat. Pecunia diſſi-
ɔatu facilis; factiones lubricæ; artes animi non
emere heredem ſequuntur. Quod ſi aliquis hiſce
ebus fretus bellum regi faciat, & rex eundem vi
ı ordinem redigere ultro aggrediatur, ſi rex oc-
ıbuerit, resp. non divelletur, ſed dominium dun-
xat mutabit. Ubi transactione res componitur,
ri poteſt, ut regnum dividatur, & quidem ut par-
m illam, quam rebellis accipit, obtineat pleno
re, vel tanquam inferior ſocius. Quanquam rario
c contingat; & adjunctus licet unus tanquam
cius inæqualis, remp. non ſtatim facit videri irre-
ılarem. Quod ſi rebellium procerum plures ſint,
regem oppreſſerint, vix contigerit tam multos
er eos eſſe æquales, ut regnum inter ſe velint
idere. Si pari Marte uſi cum rege transegerint,
iſthanc, de qua agimus, irregularitatem per-
ıiri non poteſt, niſi provincias ſibi validas pro-
es perpetuo jure, aut ad longum tempus gu-
nandas inter leges pacis fuerint ſtipulati. Ergo
ı proniſſima ſit ad hanc irregularitatem via, ſi
petui præſides magnis provinciis citra frænum
uod præficiantur, præſertim ubi iſtæ quon-
ı peculiares civitates conſtituerunt, & diſ-
ıen nationum nondum penitus exolevit; hac
arte potiſſimum cautione opus eſt. Id quod
is modis fieri poteſt, puta, ſi provinciæ fiant
licæ; ſi præſides frequenter mutentur; ſi ean-
provinciam pater filio de manu in manum
radat; ſi univerſæ provinciæ adminiſtratio

R non

non ſit penes unum, ſed inter plures dividatur; ſi quando adminiſtratio belli uni ſit committenda, ab ipſo tamen præſidia munitorum locorum non dependeant; aut ſi in univerſum præſidiarii locorum munitorum non à præſide, ſed immediatè à rege mandata accipiant. Sed & ſubinde regi licebit ſpecimina edere, penes ſe ſummam rerum eſſe, iſtos autem abs ſe dependere, & alienæ poteſtatis precarios eſſe adminiſtratores, ne provincialibus unquam regis reverentia aut memoria excidere poſſit. Ne autem magnæ urbes ad ſociorum conditionem paulatim adrepant, præcavetur, ſi nimia ipſarum incrementa ſiſtantur, coërcitis intra certum numerum ædificiis, aut civibus, ſi nullis munitionibus circumdentur, aut ubi hoc propter externos hoſtes neceſſarium ſit, ſi arce premantur, cujus præſidium à rege unice dependeat; ſi non permittatur, ut plures inter ſe fœdere aut factione nectantur. Nonnulli prævalidas urbes ad tenuitatem redigere conati ſunt, excitata non procul alia urbe, quæ inſignibus privilegiis iſtarum incolas, aut commercia ad ſe allicere poſſet.

§. 27. Cæterum vix eſt, ut ejuſmodi irregularitatem non comitentur graves morbi & internæ convulſiones, per mutuam renitentiam capitis & membrorum, dum illud imperfectum imperium, hæc imperfectam libertatem dedignantur. Ingenio ambitionis humanæ, ut eo majore exardeſcat cupidine rei amatæ, quo propius eidem ſe admotam videt. Certe tanto imbecillior eſt ejuſmodi reſp. irregularis civitate regulari, quanto infirmius

eſt ad afferendam hominibus neceſſitatem
lum nudi pacti,quam imperii. Imo credide-
egulare aliquod ſyſtema, ſaltem quoad effe-
arctius cohærere, quam ejuſmodi irregula-
empubl.; quod illud deliberato conſilio, &
tutis ab initio legibus coiverit; hæc autem
oribus politicis provenerit, & confirmata
, non tam quod utilis eſſet,quam quod cor-
mplius non poſſet. Inde maximum cuique
o ſtatu ſervando aut augendo ſtudium; in
um frigida & lenta conſilia. Nec dilatandæ
licæ cura, aut facultas, quod recens parta
omnes æqualiter dividi vix queant, nec ut
t paucis iſta accreſcant,reliqui facile patian-
r invidiam, aut quod unius aut paucorum
eliquis periculoſæ ſint. Quin & defenſio
us invaſionem exterorum heic fere languet,
qui ab hoſte paulo remotior eſt, iſtas clades
lienas adſpicit,& tarde demum, ac poſt lon-
icitationes maligna auxilia molitur. Sic
quam vires ſuas recte æſtimare,aut exſere-
int validiſſimæ quoque nationes, quæ ad
rregularitatem reciderunt.

3. Tollitur hæc irregularitas, ſi vel penitus
patur vinculum perpetuum, quo ejus reip.
ra utcunque cohærebant, & quilibet ſuas
ſeorſim adminiſtret, aut reliquis non niſi
rario vinculo jungatur: vel ſi in regulare
refingatur, forma reip.denuo per expres-
dus ſancita. Quorum utrunque facile fieri
extincta familia,quæ diu principe in ea re-

publica locum obtinuit. Sed ut in regularem regni formam velut postliminio retrahatur, difficillimũ videtur. Non enim, si unus omnibus pro arbitrio imperitare vult, sequitur ut omnes æquo animo servitutem accipiant. Bello rem tentare injustum & anceps; nec astu, nisi lente admodum, multum profeceris. Ad regulare tamen regnum via sternitur, si ejus, qui caput reipublicæ audit, vires insigniter gliscant, reliquorum minuantur. Id quod contingere potest, si isti bello partæ ab exteris provinciæ accedant, aut devoluto ad eundem extinctarum in republ. principum familiarum patrimonio; his vero per luxuriam, sumtus immodicos aut inutiles, ac socordiam opes dissipentur, aut si in plures particulas ditiones suas discerpserint. Urbes tunc maxime ad recipiendum jugum sunt idoneæ, quando intestina discordia laborant. *Tacitus A. VI. c. 42.* de Seleucensibus: *quoties concordes agunt, spernitur Parthus: ubi dissensere, dum sibi quisq; contra æmulos subsidium vocat, accitus in partem, adversus omnes valescit.* Cæterum quid observandum sit, ut status iste irregularis conservetur, ex jam dictis non difficulter colligere licet.

DE FORMA REIPUBLICÆ ROMANÆ.

§. I.

QUemadmodum universi orbis memoriam revolventi vix ulla occurrit urbs, ex tam obscu-

ıris initiis ad tantum eluctata fastigium,
n Roma; quæ pastorum primo fugitivorum,
ıtronum fere colluvies, post insignem orbis
rum partem imperio est amplexa: sic ipsa quo-
admiratores, gloriæque suæ præcones invenit
nitudine sua non inferiores. Sane enim ad
ındendam, aut propagandam istius famam in-
ıere non domestica duntaxat ingenia, mascu-
ıodam vigore enitescentia; sed & Græcorum
ti Romana celebrare gesta non citra ambitio-
ı sategerunt, postquam ipsi memoratu digna
:re desierant. Inde licet istius imperium jam-
ım communem rerum humanarum legem su-
it: tamen antiqua illa Roma adhuc memoria
ıinum, fama rerum immensum floret. Ipsius
;uam per Europam pleramque sapientia, & bo-
.iteræ, vulgari usui subductam, sibi velut pro-
m adoptarunt; qua addiscenda multi floren-
mam ætatis partem conterunt; sic ut vulgo
ı spernendum eruditionis specimen habeatur,
ni sensa vocabulis Latinis utcunque sarcina-
ɔosse exprimere. Plurimi militarem Romano-
ı disciplinam ac virtutem cœlo æquant, quæ
ı patiatur, ut magnitudinem Romanam inter
ra sua ostentare fortuna queat. Nec pauci ve-
attoniti mirantur istius populi mores, artesq;
gregia instituta, per quæ domi forisque vene-
ilis quædam majestas eidem sit conciliata; quin
ubjecto orbi nitidior facies, exterminata passim
barie, inducta. Quo nomine *Plinio Nat. Hist.*
, *c.5.* Italia dicitur *omnium terrarum alumna,*

eadem & parens, numine Deûm electa, quæ cælum ipsum clarius faceret, sparsa congregaret imperia, ritusq; molliret, & tot populorum discordes ferasque linguas sermonis commercio contraheret ad colloquia, & humanitatem homini daret. Quanquam credo liquidius politura ista morum lætaturæ fuissent subjectæ Romanis nationes, si saltem posterioribus temporibus parcius adversum hasce superbiam, crudelitatem, & avaritiam adhibuissent. Plerosque, dum imperii molem, opesque, & tot facinora bello patrata defixi circumspectant, in admirationem rapit reip. forma, velut quæ non potuerit non ad ista producenda plurimum adferre momenti; cum non videatur præclaris facinoribus foris efflorescere posse civitas, quæ prave domi fuerit disposita. Ex tam copiosa rerum sylva placuit nobis potissimum formam Reipublicæ Romanæ seligere, super qua in præsens aliquid meditaremur; non quidem in comparationem curæ ingeniive, cum à multis antiquorum juxta ac recentiorum de eadem fuse sit actum; sed quia non infimam studiorum juvenilium partem historia Romana sibi vindicat, eoque ipsam argumenti velut familiaritatem non citra gratiam fore speramus.

§. 2. Expensuris, quam formam respublica Romana obtinuerit post ejectos reges, quousque summa rerum denuo ad unum fuit devoluta, ante omnia curatius dispiciendum, quis prior ipsius status, quæ instituta civitatis, qui mores civium, isti aut alteri formæ peculiariter habiles. Cum enim

vix

ulla mutatio saltem repentina, in republica
tere possit, quæ omnia prioris administrationis
igia funditus deleat; ita de futuræ formæ sta-
:ate aut aptitudine sperare licebit, prout priora
.tuta ad hanc quadraverint, aut facili negotio
ti potuerint. Urbem igitur Romam à prin-
o reges habuere, quibus venerationem conci-
at opinio potius virtutis, quam antiquitate
splendore insignis prosapia, aut civilem mo-
ı supergressæ opes. Quos cogitantibus omnia
sunt sequestranda, quæ alias in regum fortu-
›culos vulgi advertunt. Heic quippe tectum
nineum, vilis supellex, mensa tenuis, vulga-
servitia, insignia dignitatis modica. Sed nec
istis, aut satelles robore formidabilis, qui in-
m civium obsequium pignorare posset. Popu-
ex colluvie pastorum, obscuræque aut infamis
is convenarum fere coalitus, & vicinorum dein
ssione auctus, rudis, incultus, ferox, martem-
spirans, intra unius urbis pomœria, & modi-
ı circa tractum coërcitus. Ipsi urbi ex merca-
ı modica opum augendarum occasio. Ager
ita laxus, nec fertilitate insignis, tantæque
ıinum multitudini sat maligne alimenta præ-
s. Ex quo tantum non necessaria aliena inva-
di libido; & qua pauperiem per commercia,
manuarias artes non licebat dispellere, vici-
um terras involare quæstus erat.

. 3. Hujusmodi populi regibus necessum vide-
ır imperium aliqua popularitatis specie tem-
ıre, nec sub facie nimis austera illud expro-

mere. Equidem novimus dispares inter opes parem esse potestatem posse: nec qui debiliori imperat regno, minus ideo in suos obtinet juris, quam latissimarum terrarum dominus. Sic neque fulgor inanium, aut modestia ipsam imperii naturam afficit. Et tamen non modicam hæcce vim in animis vulgi obtinent; & prout vires regni, genius populi, indoles regionis, aut peculiaria regis firmamenta sese habent, ita exterior imperii facies adornanda. Pari jure in famulum suum gaudere potest rusticus aliquis, & vir splendidus; & longe tamen dispar apud hujus atque illius subjectum obsequii schema. Sed & in eadem potestate mollius, aut securius servum suum tractat cautus dominus, prout isti amplior, aut restrictior nocendi vis, si quando fidem exuere malitia subegerit. Igitur uti sumtuosos adparatus tenues regni opes abnuebant; ita ut sancte simul & moderate exerceretur imperium, svadebat urbs ampla, civium bellicosorum multitudine referta, quos in furorem prolapsos neque arx premebat, neque addictior regi miles coërcere posset; quibusque adeo, ubi frænum momordissent, ipse numerus ferociam, & securitatem adderet. Sed & pleraque negotia summam rerum spectantia non cum senatu solum, sed & cum populo communicari sæpe consilii videbatur, intra eadem cum ipso mœnia degentibus; ut eo facilius nova instituta reciperentur, & libentius tolerarentur militiæ labores, quos circa stipendium ipsi cives obibant.

§.4. Hautquidquam tamen videntur reges Romani

ıni aliquam ſibi ſummæ poteſtatis partem adeſſe, & in patres, aut populum transtuliſſe. In ıatu qui arduorum momenta negotiorum exıdi curat princeps, non is imperium ſuum mi-it, ſed ut eo feliciore ſucceſſu vires id ſuas ex-cet, cavet. Qui autem in concione populi de-ıata ſua exponit, rationibus & autoritate vo-ıtatem ipſius in aſſenſum flectit, quique id effi-,ut ſubjecti prius parere velint, quam jubeantur; ›oteſtatem cum populo non partitur, aut ſum-ım rerum judicium eidem tribuit; ſed alacrio-ı progreſſum imperatis ſuis conciliat. Neque o abrupta juſſa locum inveniunt inter eos, qui ıuc docendi ſunt, qui mos civilis, quæ indoles ›erii, quod civium officium: Equidem apud *Dio-Halicarn. l. 8.* Marcius Coriolanus: Ῥωμαίοις ἀρχῆς πολίτευμα ἦν ἐκ τῆς βασιλείας ἀριστοκρατίας. *Romanis ab initio erat resp. regno & aristocratia: Idem* diſtinctius remp. à mulo ita conſtitutam fuiſſe tradit, ut ſenatus rebus, quæ a rege referrentur, decerneret, & culum ferret, ita ut ſemper obtineret plurium tentia. Id quod deſumtum fuerit à rep. Laconi-ubi reges non erant ſui arbitrii, ut quicquid ent, facerent; ſed penes ſenatum erat tota pu-æ adminiſtrationis facies. Plebi autem tria hæc ımiſſa fuiſſe, magiſtratus creare, leges ſancire, bello decernere. Quod poſterius repetitur *p. 224. edit. Sylburg.* Enimvero quare in e, quæ ad formam reip. ſpectant, Dionyſii au-

torirati non ſtatim aſſurgamus, rationum nobis abunde eſt. Neque Romulum, dum novellam ſuam civitatem deformat, de exprimenda rep. Laconica magis cogitaſſe crediderim, quam Alexandrum M. de urbe Veneta deſtruenda. Quin & in ipſo *Dionyſio* conſiderandum, quod circa jura plebis ſtatim addit, ἐὰν ὁ βασιλεὺς ἐφῇ, *ſi rex permiſiſſet*; & quod patrum quoque accedere debuerit autoritas. Idem, quod paulo ante dixerat; regis fuiſſe, ſenatum & concionem populi cogere, καὶ γνώμης ἄρχειν, *& primo loco ſententiam dicere*, quod pluribus placuiſſet ratum habere. Verum talia non ad aliquam Imperii diviſionem, ſed ad prudentem ejusdem adminiſtrationem referenda ſunt. Qui ſolus convocandi jus habet rex, qui primo loco declarat, quo ipſe inclinet, facile obtinebit, ut in ipſius ſententiam maxima pars diſcedat. Et fruſtra major pars in diverſa abit, ſi, ut ratum ſit decretum, ex regis arbitrio pendet. Regis, patrumque autoritate ad populum propoſita, non erat magnopere metuendum, ne plebs refragaretur. Et ſane regum arbitrio omnia fuiſſe geſta, vel id argumento eſt, quod prout ingenium regis fuit, ita Civitas Romana vel bellis exercita, vel pacis negotiis fuit. vid. *Florus l. 1. c. 8.*

§. 5. Neque vero exinde, quod ſororis interfector Horatius à populo abſolutus eſt, colligere licet, extremam provocationem à rege Tullio in populum collatam. Res enim illa ideo ad populum rejecta, ne *rex ipſe tam triſtis, ingratiq;*

ad

vulgus judicii, aut secundum judicium supplicii tor esset. Livius l. 1. c. 26. Aut, uti *Dionysius l. 3.* ibet, quia hærebat rex incertus, quonam modo nienda esset lis. Neque enim fas videbatur, conſſum sororis homicidam absolvere, ne piaculo se namque domum obstringeret; & durum tamen rat necare, qui tam egregiam patriæ operam ræstitisset. Sed ex hoc nimis liberaliter *Dionysius* nfert: *populum R. tunc primum capitalis judicii otestatem nactum.* Eo quippe facto invidiam dunaxat abs sese rex devolvere, non jus suum inminuere instituerat. Nam apud *Liv. l. 8. c. 33. M.* Fabius nanifeste causæ servit, dum reprimendæ dictatoris severitati jactat, regem quoque *Tullium provocationi cessisse.*

§. 6. Sed & fallitur *Dionys. l. 4.* dum Servium Tullium *de regia potestate dimidium detraxisse* pronunciat. Cum enim priores reges ad se revocarent judicia omnium litium, & de omnibus criminibus, tam ad privatas injurias, quā ad remp. pertinentibus, suo more (πρὸς τ̄ ἑαυτῶν τρόπον) decernerent; (*Tacit. A. 3.* vocat, *ad libitum imperitare,*) ille separavit hæc, læsæq; reip. criminum se fecit judicem, privatorum querelis alios constituit judices, quib9 leges à se conditas ceu limites ac regulas præscripsit, quas sequerentur in judiciis. Enimvero valde simplex est credere, potestati regis aliquid decedere, si privatæ causæ per judices à rege constitutos juxta leges ab ipso latas decidātur, etiā ubi in privato justo jure à rege nihil temere mutatur. Nam ejusmodi judices non suo jure ju-

risdictionem exercent, sed velut à Rege delega-
sic ut ipsorum sententiæ ab imperio regio v
mutuentur. Quin & rex in eos judices suprem
retinet inspectionem, ipsorumque sententias
quæ abs justitiæ tramite aberrare sint visæ, cor
git. Id quod de Romulo expresse *Dionys. l. 2.* ipsu
de gravissimis delictis decrevisse, leviora senato
bus judicanda permisisse, providendo interim,
quid in judiciis peccaretur. Deinde pestilenti
ma est persvasio, potestatem judiciariam eo ins
vire regibus, ut ipsi justitiam cauponari quea
Scilicet hoc velit aliquis Tarquinio similis; de q
*Livius l. 1. c. 49. Eo accedebat, ut in caritate ci
um nihil spei reponenti metu regnum tutand
esset: quem ut pluribus incuteret, cognitiones
pitalium rerum, sine consiliis per se solus exer
bat: perq; eam causam occidere, in exilium age
bonis multare poterat: non suspectos modo &
visos: sed unde nihil aliud quam prædam sper
posset.* Paria *Dionys. l. 4.* Controversias liti
non ex jure dirimebat, sed ex suis moribu
(ἐπὶ τὰς ἑαυτοῦ τρόπους ἀναφέρων
Qui etiam saluberrimas Servii leges ideo abro
vit, ut ipsi omne jus ex sua libidine liceret met
Enimvero ista præcipua regii officii pars est, pro
dere, ut suo quisque jure potiatur; utque ex
diciis non nisi nocentibus condigna noxa pro
niat. In quæstum vertere justitiam, & sub ist
obtentu pravas libidines expromere, est in ci
tatibus latrocinandi, & rapiendi licentiam pul
cè sancire, fructumq; civilis societatis penitus

ter-

tervertere, & potestatem sceleribus abolendis institutam iisdem fovendis adhibere. Add. *Tacit. Ann. XI.* de Claudio principe stupido, quemque judicia & affectus per uxorem, aut ministros inditi regebant: *Cuncta legum & magistratuum munia in se trahens princeps, materiam prædandi patefecerat.* Ast conditis legibus, & cognitione causarum saltem non gravissimarum, aliis delegata, non solum laborem molestissimum, & cui unius hominis vires nequidquam pares sunt, abs sese amolitur rex; (vid. *Exod. 17. v. 13. seqq.*) sed etiam magnam iniquissimarum offensionum materiam caute declinat. Nam ubi regis arbitria pro legibus sunt, si qui causam suam apud eum obtinuerit, juri suo, non gratiæ regis id in acceptis referet: Qui causa ceciderit, in regem tanquam alteri, quam sibi, æquiorem sæpe offensam concipiet. Ne quid de importunis intercessionibus, & ambitiosis precibus dicam, quibus rex, ipse jus dicens, nullis scriptis legibus velut alligatum, sit obtundendus; quas neque refutare, neque admittere semper in promtu est. Quæ incommoda facillime effugiuntur, si jurisdictio ita constituatur, ut rex profiteri possit, abs suo arbitrio pauca dependere, nec sibi vas ab introducto semel ordine discedere.

§. 7. Isthunc tam mollem regiminis genium invertit Tarquinius superbus, qui imperium scelere quæsitum non dispares per artes exercere instituebat. Primores patrum interfecti, quod Servii rebus favissent; aut quà hæc calumnia non per-

tingeret, quævis alia ad damnationem sufficieba apud eum, cui justitiæ vocabulum inter crudelitatis, & avaritiæ instrumenta disponebatur. Inde horum numero viribusque accisis, ab iisdem publicorum consultatio negotiorum intra privatos parietes revocata. Nec plebem parum alienaverant superbia morum, libidini obnoxium jus, & præter militiæ labores attrita struendis vastissimis operibus corpora. Etsi contra iras civium circumponerentur validus satelles, & affinitatibus conciliatæ vicinorum opes. Occasionem expulsi regis, mutatæque reip. præbuit flagitium filii Sexti in Lucretiam admissum; atrox sane, & insecuta fœminæ nece invidiosissimum; privatum tamen, non in universam remp. commissum, & quod saltem innoxia familiæ pars luere non debebat. Præsertim cum facinoris ultio à rege patre nondum foret postulata; & ille pœnas alieni delicti prius inciperet exsolvere, quam de eodem patrato ipsi constaret. Sed nimirum operam ludit, qui in omnibus imperiorum adquisitionibus, & rerumpubl. mutationibus cuncta examussim ad regulas privatæ justitiæ exigere satagit. Non semper usquequaque laudaveris modum, quo nonnulli solium invaserunt; quid mirum, si sæpe sceleris quid, aut iniquitatis intercurrit, quando eodem iterum dejiciuntur?

§. 8. Videamus jam qualem reip. formam, qui reges exterminarunt, voluerint surrogare; quam idonea eidem recipiendæ Roma fuerit; an, & quid peccatum sit, quo minus illa exquisita, ac diuturna

exti-

extiterit. Apud *Dionys. l. 4.* memoratur, quid inter autores conspirationis in Tarquinium super nova reip. forma tumultuario fuerit consultatum. Ubi demum omnes in sententiam Bruti concessisse dicuntur, ut illa quidem potestas, quam Romulus instituisset, sequentes reges cum incremento patriæ continuassent, retineretur; substituto duntaxat in locum regii tituli modestiore vocabulo, & temperatis honorum insignibus. Sed ne quis deinceps ea potestate posset abuti, placuit pro singulis binos esse pari jure, ut si unus in transversum abire conaretur, ab altero in viam revocaretur; utque præterea illa potestas esset duntaxat annua. De cætero populo idem jus, quod sub regibus habuerat, deinceps quoque relinqueretur. *Idem l. 5. in princ. Introducto optimatum imperio consules, qui primi regiam potestatem sumserunt, &c.* Nec multum abit *Livius l. 2. c. 1. Libertatis originem inde magis, quia annuum imperium consulare factum est, quam quod deminutum quidquam sit ex regia potestate, numeres. Omnia jura, omnia insignia primi consules tenuerunt.* Nobis uti absurdum videtur, imperium regium velle continuare in duobus, pari potestate, eaque duntaxat annua, præditis: ita illud manifestum est, cum nobiles ejiciendorum regum fuerint autores ipsos non plebi, sed suo ordini summam rerum voluisse vindicare: adeoque post abolitum regnum non democratiam, sed aristocratiam constituere in animo habuisse. Neque vero adparet, quare ad isthanc formam recipiendam minus idonea fuerit Roma. Jam tum

enim

enim ab urbe condita autoritate reliquos eminuerant patres, in consilia reip. gerendæ adsumti. Plebs parere semper sveta, ut ipse suo arbitrio omnia gereret, velut momento vix videbatur libidinem potuisse concipere; ac satis habebat, summa negotiorum, ut olim, cum ipsa humaniter communicari. Asperæ quoque sub Tarquinio tractationis pertæsa; æquo animo justum ac moderatum imperium latura videbatur. Neq; enim adeo refractario erat ingenio ista plebs, ut si prudentia rectoribus adesset, ad decorum obsequium non posset componi. Enimvero quod accidit in omnibus mutationibus, quæ impetu potius suscipiuntur, aut necessitate, quam re prius mature deliberata, & designato in antecessum futuro statu; id Romæ quoque contigit; Scilicet nonnulla relinquenda aut concedenda erant, magis quia præsentium temporum rationes aliter non ferrent, quam quod ad decus aut firmitatem novi status apprime congruerent. Nonnulla quoque per socordiam admissa, quæ deinceps in gravissimorum motuum materiem evaluerunt.

§. 9. Cæterum quod *Livius & Dionysius ll. cc.* sentiunt, initio nomen magis regium, quam potestatem sublatam, in eo non possumus non in alia omnia discedere. Neque enim concludere licet, primos illos consules eandem potestatem cum regibus habuisse, aut quidquam aliud quam magistratus proprie dictos fuisse, quia eadem fere insignia gesserunt, & eadem negotia pari cum regibus modo tractarunt. Nam & præses aliquis magnæ

gnæ provinciæ, & à sede regia remotæ, eodem cum rege adparatu potest uti; & omnes imperii regii actus ibi exercere. Et ingens tamen erit discrimen inter regem, qui propriam, & præsidem, qui delegatam sibi à rege potestatem gerit. Potestatem porro regiam sive monarchicam hærere tãquam propriam in duobus æquali jure præditis, & quorum neutri in alterum quid imperii competit, contradictionem puto implicat. Neque est, quod quis nobis occinat exemplum Romuli, & Tatii, qui utique simul Romæ regnum gesserunt. Præterquam enim quod horum potestas non, uti Consulum, certo temporis spatio fuit circumscripta, etiam qui statum Romanæ urbis eo tempore rectè velit concipere, cogitare debet duos exercitus socios, quorum utrique suus dux, sed qui duntaxat iisdem castrorum munitionibus sint inclusi. Scilicet superstite Tatio duo erant populi, Romani, & Sabini, communi tantum domicilio, fortunarumque sede juncti, quousq; extincto isto in unum corpus rite coalescerent. Quid autem de Augustis, qui bini aut terni quandoque imperium Romanum obtinuerunt, sit judicandum, alio loco à nobis fuit expositum. Sic & frustra regeritur, binarium numerum non eo fine sumtum, ut potestati monarchicæ quid decederet, sed ut minus injuriosi, ac graves essent imperantes, dum mutuo se reverentur, ac vicissim à licentia revocare se possunt, adjuncta æmulandæ virtutis necessitate. Neque enim intentio sola efficere potest, ut quod per sui naturam non nisi in uno hærere potest,

test, quando in duos diffunditur, priorem indolem non exuat. Sic si bigamus contendere velit, se ductis simul duabus uxoribus hautquidquam legem monogamiæ voluisse infringere, sed duabus tanquam uni cohabitare; nescio an defensionem suam judicibus sit adprobaturus. Cæterum quando magistratui alicui amplissima potestas demandatur, sæpe rationis est, ut adjuncto pare unius licentiæ fibula injiciatur. Quanquam istam collegarum paritatem felicius in pace, quam bello adhiberi deprehensum sit; juxta tritum illud, *multitudo imperatorum Cariam perdidit*. Add. *Livius l. 22. c. 38. seqq.* & *c. 27.*

§, 10. Sed & illud indicio est, consules non nisi magistratus fuisse, quod ipsorum potestas annuo spatio finiretur, nulloq; ipsorum facto antecedente expiraret. Non enim adparet, quomodo non alieni imperii, sibi tantisper commissi, administrator queat dici, qui illud ex nudo alterius arbitrio accepit, idemque præfixo tempore elapso deponere cogitur, nulla circa successionem deferendam relicta potestate. Præsertim ubi extat concilium aliquod perpetuum, quod non solum post elapsum illud spatium suo jure coire possit, sed etiam eo durante potestate abusum coërcere, aut depositis fascibus in jus vocare queat. Add. *Hobbes de Cive c. 7. §. 16.* Equidem *Grotius de J. B. & P. l. 1. c. 3. §. 11.* modum habendi imperii summi facit etiam temporarium; uti habetur id quod definito temporis puncto, (non incerto vitæ humanæ curriculo,) expirat. In cujus rei exemplum allegatur

tur dictator Romanus; quem pro semestri monarcha venditat eo argumento, quod intra tempus suum omnes actus summi imperii exercuerit eodem jure, quo rex qui est optimo jure; neque ejusdem actus potuerint ab alio reddi irriti. Atqui rerum moralium naturam ex operationibus cognosci; adeoque quæ facultates eosdem effectus habeant, eodem quoque nomine esse nuncupandas. Quanquam dubium non sit, quin major dignitas imperium perpetuum, quam temporarium comitetur; quippe cum solidiore veneratione prosequi soleant homines, quos nunquam ad privatam conditionem redactum iri norunt, quam quos paulo post in æquo sunt conspecturi. Enimvero & ante istum *Bodinus de republ. l. 1. c. 8.* & post eruditi viri dictatorem non monarcham, sed magistratum duntaxat extraordinarium fuisse ostenderunt. Neque vero illud principium usque adeo firmo stat talo, quod illæ facultates sint eædem, quæ videntur eosdem effectus producere. Sed considerandum quoq; est, an quis facultatem eam exerceat tanquam suam, an tanquam alienam, sibi delegatam. Hinc & minus recte in classem monarcharum temporariorum à *Grotio* d. l. referuntur illi, qui antequam reges in suam tutelam pervenerint, aut dum furore, aut captivitate impediuntur, curatores regni ita constituuntur, ut populo non subsint, neq; ante legitimum tempus eorum potestas sit revocabilis. Hi enim summum imperium exercent non suo, sed alieno nomine; adeoque non magis monarchæ vocari pos-

possunt, quam tutor dominus bonorum pupilli. Sed & dictatori omnes & singulas partes summi imperii simul ita commissas, ut intra semestre suum pro arbitrio illas exercere potuerit, nemo historiæ Romanæ gnarus admiserit. Neque absurdum est, dari magistratum, abs quo, saltem in certo negotiorum genere, provocatio non concedatur. vid. *Genes. XLI, 40.44. l.19. C. de adpell. & consultat. l. 8. C. de Episcop. audient. l. un. C. de sentent. præf. præt. l. 18. D. de minoribus.* Addatur quoque *Livius l.8. c 33. & l. 22. c. 25.*

§. 11. Sed regiam potestatem consulibus detrahere in proclivi est. Illud altioris est indaginis declarare, utrum à populo, an à patribus, populo contradistinctis, originarie, & non per modum nudæ præsentationis aut adprobationis, consules potestatem suam acceperint? Idque eo difficilius videtur, quod alibi ostenderimus, licet rex ad senatum aliquem omnia negotia referre solitus sit, huncce tamen, interregno emergente, summam rerum suo sibi jure vindicare non posse; licet vicariam reip. administrationem ad eundem devolvi convenientissimum sit. Rege autem jure an injuria expulso, saltem ex intentione illorum, qui expulerunt, interregnum intelligitur. Ubi ante omnia sciendum, quando mutatio in rep. per tumultum instituitur, non omnia exacte solere, aut posse geri ad illum modum, qui observatur in collatione jurium, tranquilla republ. & omnium, quorum interest, consensu deliberato facta. Sed heic fere tanto plus opum quemque adquirere, quan-

quanto ſolertius in turbido piſcari novit. Quo rerum ſtatu facile eſt,ut audax uſurpatio reliquorum patientia,tacitoque conſenſu brevi in jus evaleſcat. Iſthæc poſita ad diſſolvendum huncce nodum viam nobis monſtrare poſſunt. Scilicet à patribus mutatio ſtatus cœperat, ipſique ſummam reip.curam, quæ tunc circa arcendos reges maximè vertebatur,ſtatim arripuerant. Eorum deſtinata plebs adprobabat,neque contradicebat,quo minus iſti exercerent ea,quæ modeſti reges antea ſolebant; contenta eo haberi modo, quo ipſam ante Superbum reges tractaverant. Quo ipſo intelligitur,plebem ſaltem tacite conſenſiſſe, ut autores novi ſtatus poteſtatem ſummam deinceps obtinerent, ad eum modum temperatam, quo ſub bonis regibus fuerat. Quem conſenſum eo facilius præſumet, qui noverit, quanti vulgo ſoleat imputari,duriorem dominum depuliſſe: etſi poſtea ſæpe adpareat, magis alios homines, quam alios mores ſucceſſiſſe. Neque in tali caſu, ubi poſſeſſio in oculis omnium exercetur, nec quo minus contradici poſſit,ullus metus à poſſeſſore intentatus obſtat, opus eſt, ut abs longo demum tempore confirmatio juris petatur. Accedit, quod cum poſtea in montem ſacrum ſeceſſiſſet plebs, hautquidquam imperium in ſe injuria à patribus uſurpatum queſta ſit, ſed quod in his nullum adverſus ſævitiam fœneratorum ſubſidium foret. Sicuti autem ſub regibus, quod populo ardua reip. negotia communicarentur, poteſtas regia ideò non tollebatur, aut mutila reddebatur: ita patrum ſumma pote-

poteſtas cum iſto jure populi facile ſtare poter
Novas leges perſvadere prius, quam ſancire, pl
rumque utiliſſimum eſt. Humanum quoq; vid
tur ſuper bello ſuſcipiendo prius ad eos referr
qui citra ſtipendium, ſuo ſudore, ac ſanguine
geſturi ſunt. Nam belli arbitria non penes pl
bem, ſed priſcos illos patres fuiſſe, ſatis argui
quod hisce inter artes fuerit plebi defatiganda
bella ex bellis ſerere. Cujus abuſus obtentu cu
poſt tribuni plebis interceſſione ſua etiam nece
ſarias expeditiones ſufflaminare inſtituerent, à d
ctatore petitum remedium; quem creare in pa
trum manu erat. Deniq; ab initio magiſtratus qu
dem creabat plebs, ſed ita, ſi patres autores fieren
(conf. *Livius l.1.c.17.*) & ut non niſi patricii ſa
tem ſummorum honorum eſſent capaces. Et ver
penes patres iſtis temporibus revera fuiſſe, cui mo
giſtratus mandarentur; ſatis conſtat ex *Dionyſ.l.*
p.m.553.556.557. l.9.p.m.599. l.10.p.643. Conf. ta
men *Idem l.9. ab. init.*

§. 12. Ne ſummam poteſtatem diu illibatan
conſervare poſſent patres, à multis non minim
culpa in Valerium Poplicolam conjicitur. Cuju
ambitioſum circa captandam popularem auran
ſtudium inter alios taxat *Paulus Paruta diſc.*
dum ne populo ſuſpectæ eſſent in ſumma Veli
cœptæ ædes, in infimo clivo, delata ſtatim materia
domum extruxit; dum populo faſces ſubmiſit, eoq
ipſo confeſſionem feciſſe viſus eſt, populi quan
conſulis majeſtatem, vimque majorem eſſe; dum
legem de vocatione adverſus magiſtratus ad po-
pulum

pulum tulit. Quanquam enim ista lex eo spectaverit, ut & populus aliquam partem civitatis facere videretur; simulque contra injurias nobilium eidem foret prospectum: debuisse tamen ipsum in formando novo statu aliqua ferre incremento patribus cedentia, allectisque ex equestri ordine,ac reliquo populo potissimis istorum numerum insigniter augere. Ac in universum gravi potius ac severo, quam remisso modo cum plebe agendum: quæ nisi timeat, terreat. Quibus addi potest, populum tunc non tam regni;quam regis odium cepisse. Igitur non necessarium fuisse plura in ipsum jura conferre, quam sub regibus habuerat, dummodo oppressiones,& injuriæ ab eodem arcerentur. Addatur quoque *Arnisæus relect. polit. l. 2. c. 6. sect. 3.* §. *10. 11. 12.* Neque tamen desunt, quæ pro excusando Valerio possint adferri. Scilicet non usq; adeo intolerabilis plebi fueratTarquinius. Nam quos imposuerat labores,in maximum usum, aut ornamentum urbis cedebant. Autoribus patribus rex erat ejectus, qui excitis undique auxiliis regnum suum vi erat repetiturus; cui repellendo sanguinem suum plebs commodare debebat. Ille victor in proceres æque,ac plebem erat sæviturus: ab ultro recepto isti duntaxat, sibi quod metuerent, habebant. Quibus obsequii necessitas incumbit, pari onere unius, aut plurium imperia tolerant; nec asini multũ interest,quo imponente saccos ferat. Imo uni facilius satisfieri posse quã pluribus,ostendit *Hobbes de Cive c. X.* §. *6.* Sic cum extinctoRomulo per interregni tempus inter

ter patres fasces in orbem irent; *tremere pleb. multiplicatam ser*v*itutem, centum pro uno domi nos factos. Li*v*ius l. 1. c. 17.* Quin & in hac ipſ mutatione, cum omnia inſignia regum primi con ſules tenerent, *id cautum eſt, ne, ſi ambo faſce haberent, terror duplicatus* v*ideretur. Li*v*. l. c. 1.* Igitur neceſſarium videbatur plebem pau lo diligentius coli, ut novum ſtatum vel cum pe riculo tueri ne refugeret: ac ſaltem per ſpecioſ inanium illi perſvadendum erat, conditionem ſu am longe, quam ſub regibus, meliorem factam.

§. 15. Neque vero illa, quæ Valerius fecerat ſtatum optimatum per ſe ſubvertebant. Ædes hu miliori in loco extruere privata popularitas era Inſignia honoris alicui ſubmittere non ſempe confeſſionem ſubjectionis habet: ac humanos in ter viros ex iſtorum uſu non ſemper diſcreveri quis altero ſit ſuperior. Ac multis inter lenoc nia conciliando amori eſt, ſigna cultus adverſ ſubjectos præ ſe ferre, ſpeciemque comitatis ac c vilitatis inter inſtrumenta potentiæ diſponer Provocationem autē ad populum conceſſam no neceſſum eſt interpretari velut ab inferiori ad ſu periorem factam, quique pro imperio iſtius ſe tentiam reſcindere, aut corrigere poſſit; cum quis ea intentione damnatis provocationem in dulgere queat, ut juſtitiæ, & æquitatis fiduciam o ſtentet, velut omnium judicio ſententiam abs latam approbaturus. Atque eo minus per iſtha provocationem poteſtati patrum decedebat, quo ut ſuper ea cognoſcere poſſet populus, per mag

ſtr

ſtratum patricium erat convocandus, qui ſiquidem rite res gereretur, concioni præſidebat. Ubi non arduum videbatur efficere, ut cum ſententia judicum populus conſpiraret, ſiquidem reum pœnas dare omnino ex uſu reip. foret. vid. *Livius l. 6. c. 20.* Aut ſi abſolvebat populus reum, quem magiſtratus damnaverant, colorem adhibere in proclivi erat, quaſi non tam poteſtati, quam interceſſioni aut gratiæ populi iſte concederetur. Quomodo apud *Livium l. 6. c. 35.* Papyrius dictator dicebat: *non noxa eximitur Q. Fabius: ſed, noxa damnatus, donatur populo Romano, donatur tribunitiæ poteſtati, precarium non juſtum auxilium ferenti.* add. *Matth. 27, v. 15.* Quanquam fatendum ſit, abuſum iſtius ſive juris, ſive indulgentiæ facilem viam ad diſſolvendam Magiſtratuum autoritatem dare potuiſſe. Integra tamen ſic ſatis perſtabat patrum poteſtas, quamdiu peculiare plebi caput non exiſteret, quod ſuo jure eam convocare, actusque imperii exercere, ac decreta condere, etiam invitis patribus, valeret. Capite enim legitimo deſtituta plebs non niſi per modum ſeditionis obvertere cornua illis, penes quos imperium eſt, valet. Quo adplicari poteſt illud *Hobbeſ. de cive c. 7. §. 5. Si diſcedant congregati, ſolvaturque conventus, neque quidquam ante conſtitutum ſit de tempore, & loco ſe denuo congregandi, non amplius eſt* δῆμος *ſeu populus, ſed multitudo diſſoluta, cui nulla actio, neque jus attribui poteſt.* Idem *d. l. §. 16. Populus qui monarchæ temporario imperium commiſit, ita ut injuſſu ejus non poſſit*

iterum convenire, penitus dissolutus est, manetque imperium penes electum.

§. 14. Enimvero putaverim graviores adfuisse causas, quam popularitatem Valerii, quare patrum imperium mature declinare cœperit, & factio plebis, illis opposita, emerserit. Jam primum ipsa magnitudo urbis, numerusque civium bellicosorum etiam à regibus imperium prudenti quadam ratione temperari jubebat. Id quod in statu optimatum eo magis videtur necessarium, quo facilius venerationem vulgus concipit adversus unum, cui perpetua potestas, quam adversus multos, quos saltem per exteriora parum abs se differre videt, & qui post breves honores privatam sortem nacti parum judicantur eminere. Equidem passim à Romanis legas extolli sapientiam Romuli, qui plerosque populos eodem die hostes, post cives habuit; cum Lacedæmoniis & Atheniensibus hoc exitio fuerit, quod victos pro alienigenis arcerent. *Tacit. A. XI.* Et sane vanum est sperare, unam urbem, myriadem quasi civium complexam, latos terrarum tractus violento imperio diu continere aptam esse. Sed tamen uti sub ejusdem complexum imperii victos recipere, eosque ad antiquorum instar civium habere, utile fuerat; ita intra eadem mœnia tantam multitudinem compingere, militarem fere, nemini consultum videbitur, qui intelligit, ejusmodi urbem rastrorum instar habere; quæ ubi imminentia extrinsecus pericula aut domesticæ calamitates animos non conjunxerint, aut fregerint, facili momento in vastos sedi-

ſeditionum fluctus intumeſcere poſſunt. Nam mercatorum & opificum imbellem numerum in officio continere munus arduum videtur. Add. *Ariſtot. polit. VII. c. 4.* Igitur ad ſtabilitatem ariſtocratiæ id cumprimis videbatur facere, cum ita repente numerum & opes patrum, ut plebi præponderarent, augere vix liceret, ſaltem tenui plebe urbem, quantum poterat, evacuare, deductis coloniis, quæ Romæ imperium agnoſcerent. Nam per agros, aut vicina oppida diſperſæ plebi de ſumma rerum in ſe trahenda conſpirare haut in proclivi futurum erat. Et agris ſuis intentam, ac probe nutritam neque otium, neque fames ad res novandas impellere poterat.

§. 15. Cum ergo numerum incolarum urbis non niſi pedetentim, & ex occaſione carpere daretur, interea duo cumprimis patribus erant obſervanda; tum ne per inſolentiam ac ſuperbiam plebi inſultaretur; tum ut ipſi ſuppeteret, quo ſe commode poſſet alere, ne contra inopiam, & æs alienum ex turbis reipub. remedium quærere inſtitueret. Injuriis irritare plebem numeroſam, bellicoſam, non per agros diſperſam, aut colonias, ſed intra unam urbem concluſam, quæque ſolo reverentiæ vinculo contineatur, quanto cum periculo conjunctum ſit, nemo cordatus non intelligit. Quid enim ſi exulceratis animis turbulentus aliquis occinat, qualia Manlius apud *Livium l. 6. c. 18.* *Quousq; tandem ignorabitis vires veſtras, quas natura ne belluas quidem ignorare voluit? numerate ſaltē quot ipſi ſitis, quot adverſarios habeatis. Quot*

clientes circa singulos fuistis patronos, tot n... adversus unum hostem eritis. Aut qualia Perc... nius apud *Tacitum A. 1. Cur paucis tribunis, p... cioribus centurionibus in modum servorum obe... rent?* Illud autem satis constat, Romæ hautqu... quam ita religiose servatam illam legem aristo... tiis saluberrimam, qua internam apud Vene... tranquillitatem non minima ex parte stare pr... tetur *Casp. Contarenus l. 5. de Venet. rep. Apud ... netos,* inquit, *constantissime hoc observatum f... ut omnibus æquum jus esset, neque ulli impune ... ceret vel hominem ex infima plebe injuria aff... re: patricium vero hominem contumeliam fac... plebejo, pro sacrilegio ac scelere maximo sem... habitum fuit. Quod si quis temerarius hujusm... quidpiam perpetrare ausus unquam fuit, nu... quoque ei fuit impunitatis locus: sed tanto g... viores pœnas dedit, quanto majoris existimatio... dignitatisve extitit.*

§.16. Illud vero perniciosissimum fomitem ... ditionibus præbebat, quod tanta turba ege... rum civium Romam stiparet, quæ cum non ... beret, unde se aleret, ære alieno pressa, publ... semper ac locupletiorum bonis inhiabat, ac q... lemcunque ducem nacta in tumultus pronissi... rapiebatur. Equidem plebem alere de suo aut ... blico rex aut senatus hautquidquam tenentur, ... *Numer. XI, 11. seqq.* Et recte Tiberius apud *Ta... A. 2. Si quantum pauperum est, venire huc, & l... ris suis petere pecunias cœperint, singuli nunqu... exsatiabuntur, resp. deficiet. Si ærarium an...*

ti...

tione exhauſerimus, per ſcelera ſupplendum erit. Langueſcet induſtria, intendetur ſocordia, ſi nullus ex ſe metus, aut ſpes; & ſecuri omnes aliena ſubſidia expectabunt, ſibi ignavi, nobis graves. Non poteſt quippe non fatiſcere ærarium, ad quod evacuandum tanta pauperum colluvies, hirundinum inſtar, incumbit; aut cui alias enormis turba civium obtentu ſuperfluorum munerum imminet. Illud tamen ſummi eſt imperii, proſpicere, ut occaſio civibus ſuppetat, unde per propriam ſeſe induſtriam alere queant. vid. *Hobbeſ. de cive c.13.§.14. & Leviath. c.24.* Qua quidẽ in re eo gravius peccaſſe cenſendi ſunt patres, quo proniorem videntur habuiſſe facultatem & ſentinam urbis exhauriendi, & egeſtati civium ſubveniendi. Scilicet tot hoſtium oppida, agroſque ceperant Romani. Horum partem egenæ plebi tradere expeditiſſimum erat. Nam etſi quod bello adquiritur oppidorum atque agrorum, publico adquiratur; datur tamen modus, ut per talia bello capta & ærarium fiat locupletius, & ſingulis civibus conſulatur. Equidem magna cum contentione ſuper agrariis legibus Romæ ſemper fuit diſceptatum. Qui iſtas aſſerebant, valde plauſibiliter jactabant: verum eſſe agrum eos habere, quorum ſanguine & ſudore partus ſit. Indignum ac miſerandum eſſe, non exiguam plebis partem velut extorrem aris ac focis agere. Feras etiam Italiam incolentes luſtra habere, & cubilia; illis verò, qui arma ferrent pro Italia, & ſanguinem profunderent, nihil præter aëra & lucem concedi, ſed ſine tectis ſedibus-

que cum liberis & conjugibus vagari. Ludibrio haberi ab imperatoribus milites, quum eos adhortantur in acie, ut pro aris & focis dimicent, nemini enim in tanto numero civium vel aram paternam esse, vel domum avitam; verum pro alienis deliciis opulentiaque belligerare & emori. Nominari magni dominos imperii, qui ne glebam quidem, ubi pedem ponant in suo, habeant. Tenuibus dandum esse aliquid, ne velut necessitatem sentiant aliis invidendi. Eorum, qui patrimonio careant, sobolem tolli in spem mendicitatis. Accedere, quod magnam partem agri, qui publicus dicatur, impudentissimus quisque patrum aut divitum per conniventiam magistratuum invaserit; quos enormibus turgescere opibus iniquum sit, magna civium parte vix famem repellente. Si publicus ager ab istis gratis detineatur, favorabiliores esse, qui inopiæ remedium, quam insolentiæ alimentum quærunt. Modicum pro istis censum pauperes æque, ac divites illos persolvere posse. vid. *Florum lib. 3. cap. 13. Livium lib. 2. cap. 48. Plutarch. Gracchis, Dionys. lib. 9.* His reponebatur: Non videri è republica, ut plebs largitione, & publicorum bonorum divisione corrupta, ad inertiam & improbitatem assvefiat. Dulcedine largitionum inescatam, flagitandi finem prius non facturam, quam nihil ex publico patrimonio supersit. Et inducto semel exemplo etiam reliquis libidinem subituram, ut ex publici potius boni dissipatione, quam propriam per industriam rem augere velint. Satius esse, ab injustis possessoribus

agros

agros publicos vindicari, ex quorum reditibus plebi frumentum & stipendium, si in militiam eundum fuerit, præbeatur. vid. *Dionys. l. 8. & 9.* Hæ rationes quanquam non sint spernendæ; ad statum tamen urbis Romanæ videbatur maxime accommodum illorum consilium: *priusquam quisquam agrariæ legis autor tribunus existeret, occuparent patres ipsi suum munus facere. Livius l. 2. c. 48.* Et licet demum post creatos tribunos res agrariæ publice agitari cœpta sit; cum tamen jam tum eorum motuum semina in rep. Romana extiterint, mature de talibus cogitare eorum fuerat, qui diuturnitatem status aristocratici cupiebant. Idque eo magis, quod citra hoc nunquam radicitus extirpari potuisse videbatur funebre malum, quod proximam corruptionis reip. causam præbuit. Quamdiu enim tanta multitudo egenorum urbi incubabat, cui exigua aut nulla rei augendæ facultas; neque essent, qui gratis pecunias mutuo dare vellent; non poterat non æs alienum perpetuo gliscere, quum modicæ quoque usuræ legibus sancirentur. Etsi non deessent temporaria remedia, suspendendo tantisper malo, ne in tam perniciosos motus erumperet; postquam ipse eventus docuit, abrupta Appii consilia haut bene cessisse. vid. *Dionys. l. V.* Nam uti σεισάχθειαν, sive tabulas novas Solonis iniquitate non carere arbitramur: (vid. *Plutarch. Solone*) ita molliora ostenduntur remedia apud *Livium l. 7. c. 21. & Tacitum Ann. VI.* Sicuti & hodie alicubi non spernendum usum adferunt montes pietatis, & Lombardiæ, quas vo-

vocant æquo duntaxat compendio exercitæ. Ante omnia autem prohibendum fuerat patribus, ne ita crudeliter a fœderatoribus tractarentur inopes debitores, neve hi debita corpore aut libertate luere cogerentur. Quæ res eo majorem habebat invidiam, quod magna pecuniarum pars, quam danistæ exercebant, patrum esset. vid. *Livius lib.6.c.36.* Et vero potuisse patres ultro & tempestive quædam concedendo plebe uti obsequentissima, satis adparet ex *Livii lib. 2. c.24. lib. 4.c.59. 60.* Tunc demum autem quædam concedere, quando jam seditionem induerat plebs, erat beneficio suo gratiam demere, & timoris confessione eandem ad majora molienda animare.

§. 17. Sic igitur plebs paupertate & ære alieno oppressa, ac fœneratorum sevitia irritata demum aperte secessionem facit, postquam patres semel, atque iterum remedium malo polliciti, eandem frustrati essent. Quo ipso gravissime peccaverant patres, dum & fidem in posterum promissis suis detraxerunt, animosq; plebis penitus abs sese averterunt, tanquam qui nulla hujus malorum cura serio tangerentur, eaque plane debilitata & afflicta gauderent. Ubi enim semel illa persvasio subjectis hæserit, imperantes id tantum agere, ut ipsi perpetuo miseri sint, nec ullam sese apud hos malorum suorum medicinam invenire; non possunt non eosdem aversari, & ubi occasio arriserit, tam iniquos dominos amoliri, aliosque sibi protectores circumspicere. vid. *1.Reg.XII. 14.16.* Sicuti & plebs Romana, patrum fidei diffisa, non prius cum illis

in

in gratiam redire voluit, quam ex ſuo corpore annuos liceret creare magiſtratus, tribunorum vocabulo, qui plebi contra vim & injuriam præſto eſſent. Hi ut inviolabiles forent, ſacrata lege cautum; ac ne nobiles in iis creandis deinceps quid poſſent, tributis comitiis eos creari inſtitutum. vid. *Livius l. 2. c. 56. 60. Dionyſ. l. 9.* Cæterum hoc ipſo evenit, quod caute valde monebat apud *Dionyſ. lib. 6.* Menenius, quaudo de tali magiſtratu creando mentionem injiciebat plebs: δέος τις καὶ φροντὶς ἡμᾶς εἰσέρχεται, μή ποτε δύο πόλεις ποιήσωμεν ἐν μιᾷ. *Timor etiam & cura quadam nos ſabit, ne forte duas in una faciamus civitates.* Scilicet dum demum multitudo peculiaris ſpeciem corporis incipit induere, quando ſuo jam jure in concilium coire poteſt, caputque habet ab aliis non dependens, neminique obnoxium; cum antea velut immobilis, & ſine nomine truncus foret. Igitur ex illo tempore Roma in duas partes diſtrahi, & quæ antea imperantium & ſubjectorum vocabula fuerant, jam factionum naturam induere. Et, quæ humanæ eſt indoles ambitionis, id deinceps patres atque plebs præcipuum ſibi credebant negotium dari, ut illi quidem, quod potentiæ amiſerant, velut poſtliminio recuperarent; hæc ei, quod partum jam erat, plura ſubinde adjiceret. vid. oratio *Appii* apud *Dionyſium lib. 7. p.m. 454. ſeqq.* Equidem prima fronte non adeo invidioſum videbatur, miſeris civibus contra injurias & oppreſſionem patriciorum magiſtratuum

tribunis subveniri. Sicuti nec insignium splendore iidem enitescebant, aut præter intercessionem imperii quid initiô exercebant. Et satis accisa videbatur potestas, quæ extra urbem nihil valebat, *Dionys. l. 8. p. m. 454. seq.* Et quod unus dissentiens cæteros impedire posset. vid. *Livius l. 2. c. 44. c. 6. c. 37. 38. Plutarch. Tib. Graccho, Dionys. l. 9. p. m. 560. 562. l. 10. p. m. 657. 658.* Enimvero postquam semel velut legitimum, & à patribus separatum corpus plebs constituisset, neque huic duces deerant, qui ad majora capessanda ipsam agitarent, neque libido post primam victoriam patribus invitis extortam plura invadendi. Et cum penes tribunos esset, concionem plebis quotiens placuisset convocare, jam apertum semper campum habebat, quicunque odio aut invidia in patres, ingeniive turbulentia, aut potentiæ studio populari se dare auræ vellet.

§. 18. Quibus gradibus ad majora subinde connixa fuerit tribunorum ac plebis potentia, nemini, qui vel de limine historiam Romanam salutavit, ignotum est. Jam primum ut metuere plebem discerent patres, specimen fuit editum; injus ad plebem vocato & damnato Cn. Marcio; quia patribus svaserat, annonæ caritate uti ad jura sua plebi iterum eripienda. Cui quidem neque inusitata virtus proderat, neque quod exciperet, auxilii non pœnæ jus datum illi potestati; plebisque non patrum tribunos esse; neque quod patres vel nocentem sibi donari peterent. Qua quidem in re plebis, quam patrum conditio reddebatur potior.

Nam

Nam ab his damnato apud plebem patebat refugium: plebi infensæ, qui reum eriperet, nemo erat. vid. *Dionyſ. lib. 7. p. m. 440. 448. 457. 469. lib. 9. p. 586. 596. 610. lib. 10. p. 632. 633. 637. 661. 667. Livius l. 2. c. 34. 35. 61. l. 3. c. 11. 12. 31. 53. ſub fin.* Plebem vero ſua poteſtate non abuſurã non magis ſperari poterat, quam modetatos ſemper tribunos creatum iri. conf. *Dionyſ. l. 7. p. 470.* Sicuti & mox interceſſionem ad quævis juſſa magiſtratuũ, quæ ipſis diſplicerent, tribuni extenderunt. In eo tamen æquiſſimum poſtularunt tribuni, ut, cum antea jus ex arbitrio fere magiſtratuum patriciorum diceretur, perpetuæ ac æquabiles leges ſcriberentur, ex quibus deinceps civium controverſiæ dirimerentur. Quin potius ejus rei gratiã ultro ſuam debebant facere patres. Et qui obnixe contendit magiſtratus, non niſi ex ſuo arbitrio jus dicere, haut obſcuram ſuſpicionem movet, quaſi ſub juſtitiæ vocabulo libidines ſuas cauponari velit. Poterat tunc per decemviros, qui ex patribus omnes erant, (*Livius l. 3. c. 31. 32.*) plebis licentia non mediocriter compeſci, ni veſania ipſorum effeciſſet, ut per tumultum à plebe excitatum iterum dejiciendi forent. Sed & mox non parum opibus patrum deceſſit lege L. Valerii, M. Horatii; *Ut quod tributim plebes juſſiſſet, populum teneret.* Qua lege *tribuniciis rogationibus telum acerrimum datum* pronunciat *Livius l. 3. c. 55. add. Dionyſ. l. XI. p. 725.* Nam quæ ſenatui placebant, plebis adprobatione indigebant: cum etiam invitis patribus plebs ferre leges poſſet, quas ex ſuo uſu duceret. add. *Tacit. Ann. 3.*

§. 19. Sed nec diu quievit plebs, quo minus illa quoque invaderet, quibus sese patres hactenus insigniter efferebant; nobilitatem generis, & quod soli consulatum obtinerent. Ubi super miscendis connubiis agitari incipiebat, fremere patres: *Canulejum colluvionem gentium, perturbationem auspiciorum publicorum privatorumq; afferre; ne quid sinceri, ne quid incontaminati sit: ut discrimine omni sublato, nec se quisquam, nec suos noverit. Quam enim vim aliam connubia promiscua habere, nisi ut ferarum prope ritu vulgentur concubitus plebis, patrumq;? ut qui natus sit, ignoret, cujus sanguinis, quorum sacrorum sit: dimidius patrum sit, dimidius plebis, ne secum quidem ipse concors. Livius l. 4. c. 2.* Ad quæ sane inania, & cum magno plebis contemtu conjuncta, regerebat Canulejus: *Connubium etiam finitimis externisq; dari solere. Romanos civitatem, quæ plus sit, quam connubium, hostibus etiam victis dedisse. An esse contumeliam majorem posse, quam partem civitatis velut contaminatam, indignam connubio haberi? Patrum plerosque nobilitatem non genere, & sanguine, sed per cooptationum in patres habere. Eam si omnino sinceram servare placeat, privatis id consiliis fieri debuisse, non ducendo ex plebe, neq; filias sororesq; enubere sinendo è patribus. Enimverò lege id prohiberi contumeliosum esse. Privatorum ubique semper consiliorum fuisse, ducere aut nubere, quam & cui velis. Neque juris quid turbari; nempe patrem liberos sequi. Nec quid aliud se petere, quam ut hominum, ut civium numero*

sint.

ſint. Poſt longem diſceptationem in connubia promiſcua demum conſenſere patres; & ut petitum ſuper communicando conſulatu differrent, loco conſulum tribunos militum conſulari poteſtate tantiſper creare viſum, promiſcue ex patribus & plebe. Etſi hoc ipſo propius jam conſulatui plebs admovebatur. vid. *Livius lib. 4. cap. 6. Dionyſ. lib. XI. p. 732. 735.* Demum C. Licinius, L. Sextius, occaſionem præbente muliebri ſuperbia, *(Livius lib. 6. c. 34.)* obtentuique ſumtis miſeriis plebis, in eam rem acerrime incubuerunt; præter dudum jactata clamitantes: *non poſſe æquo jure agi, ubi imperium penes patres, penes tribunos plebis auxilium tantum ſit; niſi imperio communicato nunquam plebem in parte reipubl. fore. Conſulatum ſupereſſe plebejis: eam eſſe arcem libertatis, id columen. Si eo perventum ſit, tum populum Romanum vere exactos ex urbe reges, & ſtabilem libertatem ſuam exiſtimaturum. Neque ſufficere, ſi plebejorum ratio duntaxat comitiis conſularibus habeatur. niſi alterum conſulem utique ex plebe fieri neceſſe ſit, neminem fore.* Ad iſthæc cum multa alia, ac inprimis de auſpiciis, quæ penes plebejos negabant eſſe, patres opponerent; *(Livius lib. 4. cap. 6. c. 41.)* victi tandem plebejo quoque conſuli creando autores facti ſunt. Quin ſucceſſu temporis factum, ut non modo penes populum fuerit, quem ex plebe vellent conſulem creare, ſed & quem ex patribus. Utq; adeo autoritas patrum circa creationem magiſtratuum fere inter inania eſſet, dum in incertum comitiorum eventum

tum autores fierent. Conſulatu plebi parto,in reliquorum quoque magiſtratuum partem eadem citra magnam contentionem admiſſa. Sicuti & vix ulla ſummi imperii pars adparet, quam deinceps plebs non ſolum pari jure cum patribus,ſed & majori fere vi atque efficacia non exercere viſa fuerit. Etſi multa quoque à tribunis non velut ex legitima poteſtate, ſed per violentiam geſta deprehendantur.

§. 20. Hucusque progreſſæ reipublicæ quæ forma ſit aſſignanda,inter eruditos non ſatis convenit.Equidem *Polybio l.6.*respublica Romana(quam ipſe vocat κάλλιςον σύςημα τῶν καθ' ὑμᾶς πολιτειῶν, *pulcerrimum corpus omnium, quæ fuerint ipſius tempore rerump.*) ita æqualiter ex tribus formis ſimplicibus judicatur temperata, ut ad quam earum referri debeat,non adpareat. *Cum enim,*inquit, *ad conſulum poteſtatem oculos referimus, prorſus monarchica videtur ea eſſe, cum ad autoritatem ſenatus, regimen optimatium: cum ad populi imperium,liquido putet aliquis ſtatum popularem eſſe.* Inde particulatim enumeratur, quæ conſulibus poteſtas, quod ſenatui, aut populo jus; & quomodo iſta ſint ita inter ſeſe implicita,ut nõ facile ſine uno alter ſe movere queat. Conſules,quamdiu in urbe ſunt,in omnes habere imperium, præterquam in tribunos plebis: ab iis omnia negotia ad ſenatum referri; ſed & populum ipſos convocare poſſe, & ex ſuffragiis majoris partis populi leges ferre. Penes ipſos quoque omnem belli adminiſtrarionem eſſe: illos auxilia

omnem

ſociis imperare, delectus agere, duces inferiores conſtituere, animadvertere, publicas pecunias ad belli uſum pro arbitrio impendere. In ſenatus porro manu eſſe ærarium, ac judicia; ab illo decerni legationes ad exteros, exterorum legationes ab eodem expediri. Populi denique eſſe honores mandare, ac in cives ſummo ſupplicio animadvertere, leges, bellum, fœdera jubere. Enimvero nullius poteſtatem ita eſſe abſolutam, ut non alterius ſubſidio habeat opus, & ab altero impediri queat. Conſulibus ad bellum egreſſis aquam hærere, ſi ſenatus frumentum & ſtipendium ſubmittere detrectaverit; qui etiam anno elapſo imperium prorogare, aut alteri provinciam mandare queat. Ad bella finienda ſenatus populique autoritate eſſe opus: eique abs domum reverſis rationem rerum geſtarum reddendam. Senatui porro magnam populi habendam rationem, penes hunc enim capitalia ſupplicia eſſe; tribunos plebis ſenatus conſultis poſſe intercedere, latiſque ad populum legibus ipſius jura premere. Denique neque à populo ſenatum poſſe negligi, quod plurimi ex conductione bonorum & redituum publicorum rem faciant, quæ ſub ſenatus directione; & quod in pleriſque cauſis ex illo ordine judices dentur. Sic ut pleraque pars populi ſenatui non temere audeat obluctari, metuens, ne forte ejus auxilio opus ſibi futurum ſit.

§. 21. A Polybio plerique veterum ac recentiorum in eo duntaxat abeunt, quod conſulum poteſtatem ad ipſum quoque ſenatum referunt, adeoque

que rempublicam Romanam ex ariſtocratia,& democratia mixtam, temperatam, aut compoſitam tradunt. *Grotius* tamen *lib.1.c.3.*§.*19.* relicta Polybii autoritate,illo tempore remp.Romanam mere popularem aſſerit, ſi non actiones ipſas,ſeu adminiſtrationem, ſed jus agendi reſpiciamus; cum & conſulum & ſenatus poteſtas populo ſubdita fuerit. In quo ipſo aliqui eum ſibi parum conſtare arguunt, dum *d. l.* §. *20.* non ſolum ſub primis conſulibus mixturam ex populari & optimatum potentia admittit; ſed & ſerius mixturæ quid manſiſſe ait,quamdiu *imperium* penes patricios,penes tribunos *auxilium* tantum fuerit. *Livius lib. 6. c.37.* Etſi pro excuſando *Grotio* dici queat, poſteriora eſſe capienda de illis temporibus, quæ communicatum cum plebe conſulatum antecedebant: priora de ſtatu, qui Polybii ævo erat, cujus initium ipſe ducat à conſulatu inter patres plebemque diviſo. Sed & *Arniſæus relect. polit. l. 2. c. 6. ſect.3.* §.*2.* id ſibi proponit, ut oſtendat errare omnes, *qui aliam resp. formam Romanos ſecutos fuiſſe diſputant, quam ſimplicem democratiam.* Quanquam ſi quis accuratè velit rem conſiderare, neſcio an illa ſimplici democratiæ ſatis quadrent, quæ *d.l.*§.*41.* addit; *à momento promulgationis legis Horatiæ, anno ab U.C.306. quo plebs ex Aventino in urbem revocabatur, remp. ita evaſiſſe popularem, ut eo ſenſu, quo Ariſtoteles accipere ſolet, omni jure dicenda ſit democratica, plus enim valuit autoritas plebis, quam patrum; plus roboris habuerunt plebiſcita quam SCta, ideoque ad plebem*

bem magis quam patres res inclinata fuit. Nec hoc dico, quod resp prorsus fuerit plebeja, quodq; patres in universum à consiliis abstinuerint, sed quod plebis potestas plus valuerit, quam patrum.

§. 22. Istorum si hic est sensus; Romæ summum imperium fuisse penes concilium universorum, ita tamen, ut res fere ex libidine inconsultæ ac levis turbæ fuerit administrata; cui concilio ipse senatus fuerit subjectus, qui non nisi consultandi, & à populo commissa exsequendi jus habuerit: tunc fatemur hujus sententiæ nos in historia Romana nondum liquidam invenire demonstrationem. Scilicet id nunquam præ se tulit plebs, quod senatum sibi subjicere, suaque potestate penitus exuere vellet: sed ut plebeji quoque non minus quam patricii reip. & honorum essent participes, utque plebs, si magistratus patricii ac senatus sua potestate abuterentur, contra ipsorum injurias præsidium haberet. Apud *Livium l.6.c.35.* cum de consulatu plebejis conciliando consultarent Fabius Ambustus, Licinius, & Sextius, ita destinata sua exprimunt: *conando agendoque jam eo gradum fecisse plebejos, unde si porro annitantur, pervenire ad summam, & patribus æquari tam honore quam virtute possent.* Sic apud *Dionysium l. 7. p. 440.* cum Cn. Marcio diem ad populum dicere instituerent tribuni, ita inter alia disseruit Decius: *postulamus, ut plebi non plus nec minus juris sit, quam vobis, quæ non minima causa fuit, ut non aliorum imperata faciatis, sed ipsi aliis jura præ-*

præscribatis, Sic autem effeceritis, ut non deteriore conditione simus, P.C. si eos, qui corporibus nostris, & libertati conantur injuriam facere, proposito judicii metu cohibeatis. Ab injuriis esse liberum, & si quis intulerit, in eum jure vindicari, omnibus in eadem republica versantibus ex æquo commune ducimus. Neque vero legis Horatiæ ea videtur fuisse intentio, ut plebs patribus velut sibi subjectis leges pro libidine posset præscribere. sed ut hi quoque illis tenerentur, quæ plebs, *ut suæ libertati caveretur*, scivisset. vid. *Livius l. 3. c. 55.* Sed neque senatus unquam confessus est, sese plebi tanquam superiori subjectum, suamque in rep. potestatem à plebe, tanquam ipsi ministrantem & obnoxiam habere. Verum ita plebem ad participationem regiminis concordiæ causa admisit, ut tamen eo sese penitus exuere haudquidquam vellet. Sic apud *Dionys. l. 7. p. 441.* Minutius ita ad plebem loquitur: *Vos plebeji cum in gratiam cum senatu rediretis, satis putabatis æs alienum remitti vobis; & in auxilium pauperum, ne vi opprimerentur, & magistratus petiistis creari ex vestro corpore: & imperato utroq; magnas nobis egistis gratias, magistratum autem consulum abrogare, aut senatui regimen rerum adimere, partiumve reip. ordinem pervertere nec petiistis, nec unquam peteris.* add. *Liv. l. 6. in fin.*

§. 23. Cæterum si quando tribunorum audacia ulterius ad convellendum senatus jus progressa est, hic mascule restitit, non eo modo, quo inferior contra superiorem jus precarium utcunque

tuetur,

tuetur, supplicando, deprecando, obtestando; sed quo velut ab æquali injuria propulsatur. Et multa per vim à tribunis constituta, post occasione data patres iterum irrita reddidere. Neque ad rem facit, quod *Arnisæus d. l.* §. *32.* addit; *quæstionem facti esse, non juris: non quæri, quo jure in possessionem majestatis populus pervenerit, sed quantum de majestate reipsa ad se traxerit.* Nam id nondum liquido probatum est, plebem unquam saltem præ se tulisse, quod universum senatum sibi vellet subjicere, ita, ut deinceps ille non nisi administrator esset potestatis, quæ radicaliter in plebe hæreret; aut senatum unquam in ejusmodi subjectionem consensisse. Neque semper si quid conor, id de facto quoque obtineo. Neque unus aut alter actus per violentiam exercitus, & ab altero pacis causa toleratus statim potestatem ac jus meum probat. Sic quando cerebrosæ uxori indulget maritus, in effectu quidem fit, quod uxor, non quod maritus vult. Et tamen exinde illa jus suum in hunc hautquidquam demonstraverit. Inde qui certo modo ad partem alicujus juris admittitur, ubi id quidem integrum ipse ad sese trahere moliatur, alter autem semper contradicat, omnibus modis reluctetur, per vim extorta iterum convellere satagat; is sane nondum de facto jus illud in solidum possidere recte dicitur. Equidem vi solet quandoque parari imperium; sed qui eo parto gloriari vult, necessum est, ut vel alterum, cui id extorsit, civitate expulerit, aut in civitate manentem adegerit, ip-

sum

ſum deinceps ſuperiorem agnoſcere. Quousque plebs Romæ nunquam contra patres evaluit. Cum porro fere per ſeditiones atque violentiam, præterque civilem morem ad conſentiendum in petita ſua ſenatum plebs adegerit, neque hic antiquo ſuo jure ſeſe penitus abdicaverit, ac ſubjecti conditionem adſumſerit: facile adparet, ſtrictæ admodum plebis jura eſſe interpretanda, & ut ſenatui quoque libertas ſua relinquatur: utque adeo partes ſummi imperii patres ac plebs velut æqua poteſtate tractaſſe intelligantur. Inde per interceſſionem tribunitiam non eſt credendum, ſaltem ex intentione concedentiumi patribus ademtum fuiſſe jus ſtatuendi de negotiis reipublicæ: ſed hoc tantum actum cenſebitur, ne jura jam plebi parta, ſuaque indulta deinceps directe aut indirecte tollerent patres, aut alia premendæ plebi introducerent. Quo obtentu ſæpe delectus impedierunt tribuni, quod bella ex bellis à patribus ſeri defatigandæ plebi arguerent. Sic in creandis magiſtratibus (præter tribunos plebis) in ferendis legibus, in ſuſcipiendo bello, pace, fœderibus, poteſtas jubendi plebi tributa, ita debebat intelligi, ut ne patrum autoritas plane inter inania eſſet, utque adeo ſenatus populique poteſtas pari ſaltem paſſu heic ambularet; præſertim cum in comitiis centuriatis non mediocrem partem facerent ipſi patres. Sic per provocationem ad populum hautquidquam penitus extorquebatur ſenatui poteſtas in ſontes animadvertendi; ſed per eam id ſpectabatur, ne quis per libidinem magiſtratuum & judicum

dicum opprimeretur. Nam apud *Livium l. 3. c. 52.* ipsi patres non adeo inique tribunos peti à plebe agnoscunt; *cum præsertim nec nos temperemus imperiis, quo minus illi auxilii egeant.* Abusus autem & violentæ extensiones juris, quibus ab altera parte strenue repugnatur, hautquidquam pro adquisitione universi imperii sunthabendi. Deniq; non adparet, quomodo pro simplici democratia possit haberi illa resp., in qua præter conciliū plebis extat conciliū optimatum, seu senatus, qui autoritate, splendore, dignitate longe eminet, iisque opibus pollet, ut si ad vim descendatur, alteri non multum concedat; qui suo jure omnia reip. negotia tractat; suo jure est perpetuus, & non ex plebis arbitrio suppletur; qui denique destinata aut decreta sua cum altero communicat, potius ut conjunctis animis omnia agantur, quam quod eidem sese subjectum agnoscat. vid. *Cicero Catilin. II. & Philipp. III.* Quod si quis dixerit, comitia centuriata esse concilium illud universorum, penes quod summa potestas fuerit; eoque nomine remp. Romanam vocandam esse popularem: ei reponendum, istis comitiis, quando primitus instituebantur, haudquaquam summam rerum commissam: ac plebem non id contendisse, ut illorum potestas comitiorum augeretur, sed ut plebs, prout patribus contradistinguitur: aliqua jura adquireret; denique nec omnes summi imperii partes in istis comitiis tractatas.

§. 24. Nobis nihil expeditius videtur, quam ut remp. Romanam ex eo tempore, quo plebs peculiares

liares sibi magistratus accepit, inter respublicas irregulares referamus, & quidem ad earum genus, quas bicorpores aut bicipites possit vocare. Scilicet in duas partes discesserat resp., patres ac plebem, postquam hæc peculiare sibi caput nacta est; quarum neutra alteri sese subjectam agnoscere volebat, & utraque plerasque partes summi imperii sibi vindicabat, parique fere potestate eadem administrabat. Ita tamen ut ad factionum instar fere inter se partes istæ egerint, & tantum non continuis contentionibus luctatæ sint; dum senatus gliscentes plebis vires atque audaciam compescere, hæc istum magis magisque in ordinem redigere niteretur; etsi plebis viros fere exsuperare visæ sunt, præsertim postquam multi nobilium, deserta optimatum factione, plebi sese venditare instituerent. Atque istæ partes non tam communi imperio junctæ videntur, quam conventionibus quibusdam, ac insuper caritate patriæ necessitate propria defendendi, & aliena invadendi cupidine. Ad isthæc confirmanda, aut illustranda cumprimis facit considerare dictum Menenii supra adductum ex *Dionysii l. 6. p. 409.* quo metuere se dicebat, ne si peculiaris plebi magistratus concederetur, duæ civitates ex una fierent. Apud *Livium l. 2. c. 44.* Etrusci jactant: *duas civitates ex una factas: suos cuiq; parti magistratus, suas leges esse. Id. l. 2. c. 57. Dum tribuni consulesq; ad se quisq; omnia trahant, nihil relictum esse virium in medio; distractam laceratamq; remp. per magistratus.* Apud *Eundem l. 3. c. 67. Quintius: Quis finis erit discordiarum?*

rum? Ecquando unam urbem habere, ecquando communem hanc esse patriam licebit? Salustius in *orat. ad Cæsarem de rep. ordinanda: In duas partes ego civitatem divisam arbitror, sicut à majoribus accepi, in patres & plebem. Antea in patribus summa autoritas erat, vis multo maxima in plebe. Itaq; sæpius in civitate secessio fuit; semperque nobilitatis opes diminutæ sunt, & jus populi amplificatum.* Deinde si quando inter patres plebemq; seditio fuit orta, hautquidquam plebs questa fuit, obsequium, quo patres ipsi forent adstricti, violatum, aut imperium populi ab ipsis fuisse imminutum; sed pacta secum in monte sacro, & post ejectos decemviros in Aventino inita non servari. Ad illa pacta, tanquam fundamenta sui juris provocabant tribuni, non ad obligationem, qua se patres ipsis subjecissent. Inde apud *Dionysium l. 7 p. 435.* quando Marcius ad tollendam potestatem tribunitiam patres incitat, eo prætexto uti ipsos posse dicit, quod non violent pacta, sed in violatores eorum animadvertant. Plebem enim λύειν, τὰς ὁμολογίας, καὶ παρασπονδεῖν, *solvere fœdus, & pacta violare*, cum non contenta sit illis, quæ in reditu ex monte sacro obtinuit. Et mox *ibidem p. 438.* tribuni patres vicissim accusant ὡς ἐψευσμένων τὰς συνθήκας, *quod pacta fefellissent*, fœdusq; & jusjurandum plebi de superiorum offensarum oblivione datum violassent. Sic in eadem Marcii causa tribunus ad patres: *nunc stare debetis pacis conditionibus*, τηρεῖν τὰ συγκείμενα.

Deos

Deos enim nobis dedistis sponsores fœderis, multa & dira imprecati ejus transgressoribus. Apud *Eundem l.9.p.601.* Lectorius tribunus: *non vim factam senatui; nec bello adquisitum reditum: rogatos ut reciperent relicta, cessisse senatus precibus.* Tum commemoravit jusjurandum, & leges reditus, in quibus erat offensarum oblivio, deinde proprius plebis magistratus, qui subveniret pauperibus, & oppressores eorum reprimeret. Apud *Eundem l.X.p.661.* quidam arma à plebe sumenda svadent adversus patricios, qui *pactum cum plebe fœdus violassent.* Denique, si quando tribuni consulibus concordes extiterunt, non ea species fuit, quasi hi istorum, aut isti horum imperio obtemperarent, sed velut utriq; ex benevolentia, aut communi utilitate in eadem consilia conspirarent. Discordes sese mutuo velut æquales oppugnavere. Facit etiam huc cumprimis illud *Livii l.3.c.65. Alter semper ordo gravis alterius modestiæ erat. Quiescenti plebi à junioribus patrum injuriæ fieri cœptæ: Seniores patrum, ut nimis feroces suos credere juvenes esse; ita malle, si modus excedendus esset, suis, quam adversariis superesse animos. Adeo moderatio tuendæ libertatis, dum æquari velle simulando ita se quisq; extollit, ut deprimat alium, in difficili est; cavendoq; ne metuant homines, metuendos se ultro efficiunt, & injuriam à nobis repulsam, tanquam aut facere, aut pati necesse sit, injungimus aliis.* Et *ibid. c.67. Discordia ordinum est venenum hujus urbis; patrum ac plebis certamina; dum nec nobis imperii, nec*

vobis

vobis libertatis est modus, dum tadet vos patriciorum, nos plebejorum magistratuum.

§.25. De habilitate, præstantia, ac velut sanitate istius formæ alii præclare, alii secus judicarunt. *Polybius l.6.* postquam ostendisset, quomodo singulæ civitatis partes & incommodare, & commodare sibi invicem queant, addit; inde evenire, ut adversus omnes casus apte sint concinnatæ; adeoque meliorem hac remp. neminem posse instituere. Periculo quippe ab exteris ingruente concordare cives, opemq; sibi invicem ferre; consulta factaque pari vigore obiri. Et inde remp. invictam per ipsam qua constat formam. Rursus ubi externo metu vacui rebus lætis in superbiam, & injurias mutuas convertantur, ipsam tamen remp. ex se malis suis remedium parare Ubi enim pars aliqua se efferens jurgium movere, & majorem, quam oporteat, potentiam sibi cœperit vindicare; quia nullius potentia omnibus numeris in se sit perfecta, sed consilia omnium ab obsistentibus mutuo impediri queant; hinc nullam offerre se partem supra cæteras valere, neque impotentia superbire. Omnia quippe in suo statu manere, cum aliorum cohibeatur impetus, alii ne in se quoq; insurgatur perpetuo metuant. Enimvero cum *Idem paulo ante* conversionem rerump. regularium, & illum velut necessarium orbem, uti ipsi videtur, sat argute demónstraverit; (quem tamen magis de rebusp. intra unam urbem conclusis, quam de diffusis imperiis aguoscimus:) non levibus argumentis opus erat, ut cordati crederent, metum ab ex-

teris, & mutuam inter membra reip. renitentiam validiora ad diuturnitatem vincula esse, quam imperium, prout illud in regulari aliqua rep. existit. Aut valde fallor, aut proprium judicium de rep. Romana sub persona Valerii expromsit *Dionysius l.7.p.460. Vix aliud,* inquit, *est utilius ad salutem hujus reip. tuendamq́ libertatem ejus, & potentiam, atq́ concordiam conservandam, quam adsumi plebem ad publica negotia, & administrationem rerum ita temperari, ut nec penes solam plebem sit imperium, sed mistum ex his instituatur regimen. Nam facillime ad injurias prolabitur unaquaq́ ex reip. formis, si per sola sit. Quod si mediocriter misceantur, pars quæ consvetum ac decentem modum excedere videbitur, in ordinem cogetur ab altera magis sobria, retinenteq; mores pristinos. Paucorum quippe potentia penes optimates sita, ubi divitiis & factionibus elata, justitiæ cæterarumque virtutum nullam rationem habuerit, plebis prudentia corrigitur. Plebs ipsa ubi à modesto & legitimo regimine ad immodestam, & iniquam dominationem deflectere cœperit, ab uno quopiam optimo viro compescitur, & vi retrahitur ad officium.* Enimvero isthæc oratio longe plausibilior foret, si satis cautum esset, in tanta hominum multitudine, propriis aut alienis libidinibus tumente, modestiam, & sana consilia furori viribus succincto semper prævalitura.

§.26. Ex recentioribus *Macchiavellus* circa formam reip. Romanæ vestigia Polybii presse sequitur, *disc. ad Livium l.1.c.2.* Inde cum eam remp. prædi-

prædicasset perfectissimam, ad id demonstrandum *cis* supponit, omnes homines esse malos, eosque malitiam semper velle exserere, ubi occasio commoda arriserit. Quod si illa malitia quandoque lateat, id ex alia causa provenire; quam tamen tempus demum in lucrum protrahat. Inde quod nobilitas Romana post ejectos Tarquinios aliquantisper pravitatem suam tectam gesserit, plebique sat æquam & tolerabilem sese exhiburit, causam fuisse metum à Tarquiniis adhuc vivis imminentem. Hisce extinctis, eaque depulsa formidine, nobiles virus suum ubertim in plebem effudisse. Sic ut plebi necessarium fuerit de tali cogitare instituto, quod æque, ac Tarquinii, nobilibus timorem posset incutere. Adcoque demum inventos tribunos, quorum potestas insolentiæ istorum fibulam injiceret. Enimvero uti illud facile concedimus, malitiam plerorumq; mortalium non nisi metu intentato satis coërceri; & non paucos libertate potentiæ suæ ad eadem abutendum corrumpi; ita illud oppido quam absurdum remedium videtur frænandæ imperantium pravæ libidini, in eâdem civitate exadversum isti opponere potestatem æquæ validã, quæq; suo jure terrorem ipsis cominus intentare queat, ubi extra limites officii evagari eidem judicati fuerint. Id quippe est, ne imperii abusus contingat, imperii vim dissolvere, & in una civitate perpetuo velut castris castra opponere. Sane commodiore ratione injurias nobilitatis illa sistit optimatum respublica, quæ leges non minus in nobiles quam plebejos exer-

eeri facit. Id quod lubenter admittent nobiles, qui diuturnam & quietam, quam brevem & turbidam potentiam malunt. Sed nec illud nobis persuadet *Macchiavellus disc. seqq. 4. 5. 6.* dissensionem ordinum internam magnitudinis Romanæ caussam ita fuisse, ut citra hanc ad id fastigii Roma eniti non valuerit. Equidem fatemur, senatum bella ex bellis, si ultro non surgebant, texuisse, ut distenta foris per expeditionem magna populi parte, reliquis domi posset uti magis tractabilibus. Quam caussam callide dissimulat L. Quintius consul apud *Livium l. 3. c. 19. Nescio quo fato magis bellantes, quam pacati propitios habemus deos.* Apud *Dionysium l. 9. p. 590.* Servilius: propter internas turbas fit, ut *bellum pace nobis potius videri possit, quando in bellis inimicis male facimus, in pace amicis. Idem l. X. p. 659. Hic jam consueto circuitu in urbe recurrebat mos, ut in bellis concors, in pace discors esset. Quo animadverso, quotquot ad consulatum eveherentur, nihil magis quam externos motus optabant: & quoties foris pax esset, quærebant incusationes, & bellorum occasiones; quippe qui viderent, felicitatem urbis externis bellis crescere, at intestinis seditionibus imminui atque enervari. Idem l. 8. p. 549. In omnibus locis tam Græcarum quam barbararum gentium usu venit, ut cessantibus externis periculis intestinæ domi seditiones exoriantur: sed maxime id accidit in populis bellica ærumnosaque vita assuetis, partim libertatis, partim imperii desiderio. Ægrè namque se continere possunt ingenia cupiditatibus*

assve-

assvefacta, si prohibeantur à consvetis exercitiis: & ideo prudentes reipublicæ præsides semper alunt aliqua externorum bellorum seminaria; satius ducentes foris confligari, quam domi. Atqui præterquam quod de felicitate civitatis non semper ex magnitudine ditionis est judicandum, nondum sat liquido probatum fuit, ad idem culmen Romam citra ejusmodi divulsionem ordinum assurgere non potuisse. Præsertim cum eam incrementorum, quæ sub regibus ex tam tenuibus principiis fecerat, pœnitere non posset.

§.27. Longe propius ad veritatem accessisse videtur *Paruta disc.1.* qui plurima notat vitia, quæ imperfectam, aut ad diuturnitatem inhabilem rempublicam Romanam reddiderint. Inter alia ipsi notatur enormis potestas quibusdam magistratibus, ac inprimis extraordinariis, quales erant dictatores, concessa. Plebs nimis potens, & ad quælibet reip. negotia promiscue admissa. Ordines neque muneribus, neque gradu potentiæ rite distincti; ex quo non prava soluni, sed & contraria sibi instituta provenerint. Quibusdam magistratibus imperium diu nimis prorogatum. Nec privatorum opibus certus modus præscriptus; cum tamen, ut civis quis fieret, nullus census per leges requireretur. Quorum hoc uti statui populari congruit, ita ista eidem quam maxime adversantur. Nobilium opes tum privato velut Marte, tum ex publico insigniter auctæ; magna ex adverso plebis parte ad egestatem devoluta. Unde hæc invidia flagrans facile aures præbere his,

qui in istos eam incitare moliebantur. Ipsa porro Roma tanquam corpus biceps ac biforme internis dissidiis perpetuo distracta; unde non potuerint non magna in rebus deliberandis aut gerendis provenire impedimenta. Utraque pars summam rerum ad se trahere, utraque ad alterius opes minuendas mutuo incumbere. In justitiæ administratione magis vocabula factionum, quam causa attendi. Tum inde maxima optimatibus incommoda, quod ex ipsorum ordine multi ad plebem transirent, auraque populari turgidi, & istis formidati volitarent. Jam legum exigua autoritas, quæ ambitu, vi, aut levitate populari facile perrumpebantur. In senatu multæ corruptiones. Instituta popularia uti primo adspectu libertati favorabilia; ita ad diuturnitatem hautquidquam valida & tyrannidi viam sternentia. Jam id quoque vitiosum, quod pleraque instituta reip. fecerint ad alendam virtutem militarem; pauca aut nulla huc spectaverint, ut tranquillam & decoram pacem bene ferre cives possent. Hinc bellum Romæ proficuum, pax domesticis turbis fœda; quas cum exterorum metus hostium non amplius utcunque reprimeret, extrema demum mala reip. attulisse adparet. Et cum id tantum egisse Roma visa fuerit, ut cum oppressione aliorum fines suos proferret; non potuisse non in civibus quoque ambitionem immensum gliscere. Educatio nimis libera, & quæ mores civium non satis ad observantiam legum, uti Spartæ, formaret. Nam, uti *Aristoteles Polit. l. 2. c. 6.* tradit: ὁ νόμος ἰσχὺν ὐδεμίαν

εἴχει

ἔχεις πρὸς τὸ πείθεσθαι, πλὴν παρὰ τὸ ἔθος. *Lex nullam habet firmitatem uti ei pareatur, nisi ex assuetudine.* Demum postquam multos errores ac defectus enumerasset, qui in formando istius reip. statu fuerint commissi, nec post occasione data mature correcti, concludit: eam semper fuisse corpus male temperatum, & pravis humoribus scatens, eoque nunquam firma satis valetudine gaudens: quam discordiæ civiles misere exercitam longe citius exitio admoverint, quam alias vires ipsius pollicebantur. Nec diversa heic sentit *Arnisæus d.l.* §. *118. seqq.* Quibus & nos calculum nostrum addimus. Neque enim cordatus quisquam bene dispositam pronunciaverit rempublicam, quam intestini motus non potuerunt non perpetuo agitare, quousque in male formatā monarchiam mutaretur, cujus vitia demum enervem molem misera ruina præcipitarunt.

DE LEGIBUS SUMTUARIIS.

§. I.

Quam non vulgaris sit operæ, tantam hominum multitudinem, quanta civitate continetur, rite temperare, ut huic vigor sanitasque constet; vel id luculento est indicio, quod mortales non multis solum, sed & sæpe repugnantibus inter se libidinibus

agitentur, queis tamen par fere circa perturbandam societatis civilis tranquillitatem efficacia inest. Ut de aliis jam taceamus, quantas turbas dare solet insatiabilis habendi libido? Quam variis legibus velut aggeribus iste torrens coercendus est, ne, dum in aliorum facultates sese diffundit, atrocibus rixis cives committat? Quanto vigore quoque sæpe opus est, ut homines quæ debent, erogare velint, & ad explendam suam obligationem velut medullitus affixas sibi pecunias depromere? Neque minus tamen apud plurimos conspicitur vesana libido per inania opes dissipandi, gravissimis & ipsa malis remp. involvere idonea. Quæ pestis eo malignior est, quod apud multos contrarium sibi vitium accepit, ut eo infensius alienis bonis immineant, quo dissolutius propria perdiderunt. Hoc malum qua ratione commodissime sisti posse videatur, nonnulla in præsens meditari sedet, ansam nobis præbente epistola Tiberii, quam super eo negotio ad senatum scripsit, apud *Tacitum Annal. 3.*

§. 2. Initio igitur videndum, in quasnam potissimum res tum quondam Romæ, tum hodie in multis Europæ partibus enormes aut superflui sumtus sese gaudeant effundere. Apud *Tacit. d. l.* primo tanquam maxime invidiosi tanguntur *mensa ganeaq; paratus.* Ad hanc itaque classem referimus superfluas domesticorum ciborum strues, & gementes sub patinarum pondere mensas; domestici liquoris nimiam ingurgitationem; rariorum epularum ambitiosam affectationem; cibos præterea

terea exoticos, longæque petitos; vina exotica; condimenta terris alio calentibus ſole nata; & ſimilia. Quibus ſumtibus imprimis obſtetricatur ſolennium epularum velut publica neceſſitas; natalitiæ, ſponſalitiæ, nuptiales, funebres, collegiales, ex conventione in urbem euntes, & quæ aliæ tantum non vim legis luxuriæ circumponunt, nec quemlibet ſuo arbitrio ligurire patiuntur.

§. 3. Inde perſtringuntur *Villarum infinita ſpatia.* Sub qua claſſe comprehendi poſſunt omnes ſuperfluæ ſubſtructiones, & ædes, oſtentationi tantũ aut voluptati inſervientes, nulli uſui; præſertim ubi illis exornandis acceſſerint peregrina marmora, aulæa, & alia modeſtam elegantiam & ſobrium uſum ſupergreſſa ſupellex. Horti itidem ſumtuoſi, iique meri voluptuarii, piſcinæ, vivaria, nemora, ambitioni miniſtrantia.

§. 4. Succedit *familiarum numerus, & nationes.* Quo ſpectant omnes miniſtri & ſervi, non neceſſariis aut utilibus miniſteriis, ſed pompæ duntaxat deſtinati; quos ſplendidis excolere veſtibus inter leges elegantis luxuriæ eſt. Hiſce exuberantem pretioſorum equorum, & rhedarum numerum aſſociare poſſis.

§. 5. Sequitur *auri argentiq; pondus; tabularumq; miracula.* Huc referimus vaſa aurea & argentea multitudine, aut magnitudine & pondere enormia, per quæ materia pecuniæ ſubtrahitur; vel etiam artificio conſpicua: nec non cujusvis generis vaſa non ad uſum, ſed oſtentationem comparata, nec materiæ pretio, ſed raritate æſtimata.

Item pocula vitrea & crystallina artificiose cælata, porcellina, & similia, quorum accendit fragilitas pretium, & quæ possunt statim tota perire. Item tabulæ pictæ, queis antiquitas, fama artificum, aut elegantia immensum apud multos pretium posuit.

§. 6. Inde taxantur *promiscuæ viris mulieribusque vestes*. Quo ipso præcipue notatur mollities virorum, abs talibus vestibus non abhorrentium, quæ etiam graviores fœminas parum decebant: ventus textilis, & per quem impudicæ ne adulteris quidem plus sui in cubiculo, quam in publico ostendunt, & quo sumto mulier parum liquido nudam se non esse jurabit, nequam commento, ut vestis non tegeret. Sub hanc classem tamen revocabimus omnem superfluum vestium splendorem, & quicquid in iis non usui, sed superbiæ subservit. Inprimis auro & argento intextas vestes, quæ duplici nomine damnosæ sunt, & tales, ubi ipsa vestis minima sui pars est; sed præcipuam ejus partem constituunt pretiosa assumenta & ornamenta, ac ligularum exercitus ingens. His adde plumas, pelles exoticas, Zobellinas; item cæsariem factitiam magni pretii, & similia.

§. 7. Denique peculiari classe censentur *illa fœminarum propria*. Etsi enim natura ad rem magis servandam, quam adquirendam istas idoneas finxerit; sæpe tamen in jam dictis luxuriæ generibus paria cum viris faciunt, quin & sæpe nolentes sumtibus exhauriunt. Sed & peculiari fere ardore feruntur in margaritas & gemmas, quæ

per

per mortalium libidinem principium culmenq; omnium rerum pretii tenent. De qua re *Tertullianus de habitu muliebri: Breviſſimis loculis patrimonium grande profertur. Uno Lino decies ſeſtertium inſeritur. Saltus & inſulas tenera cervix fert. Graciles aurium cutes Kalendarium expendunt, & ſiniſtra per ſingulos digitos de ſaccis ſingulis ludit. Hæ ſunt vires ambitionis, tantarum uſurarum ſubſtantiam uno & muliebri corpuſculo bajulare.*

§. 8. Expendamus jam damna, quæ ex ejusmodi ſumtibus tum in ſingulos, tum in privatas domus, tum denique in totam civitatem redundant. Et per illam quidem luxuriam, quæ in epulas, viniqué ingurgitationes inſanit, quid noxæ animis corporibusq; ſingulorum inferatur, in aprico eſt. Hebetudo mentis, fractus animi vigor, laboris impatientia, infinita morborum lues, præcox aut debile ſenſum, properatæ mortes.

§. 9. Quantopere porro ſingulas domos affligant ſupervacui iſti, enormesque ſumtus, ſubruto cenſu, nemini obſcurum eſt. Quas majores per induſtriam & parſimoniam cumulaverant opes, primum abſumuntur. Inde æs alienum contrahitur, quod per uſuras quotannis intumeſcens demum avitos fundos & prædia abſorbet, ſaltem debitore defuncto, ſi forte ipſius vivi autoritas & potentia creditorum importunitatem tantiſper repreſſit. *Plutarchus de vitando are alieno: Si contenti voluiſſemus eſſe rebus ad vitam neceſſariis, tam non eſſet fœneratorũ genus, quam non eſt Centauro-*

taurorum atque Gorgonum. Cæterum luxus uti aurarios, argentariosq; fabros, & unguentarios, ac pretiosorum colorum tinctores, ita fœneratores etiam produxit. Non enim panis & vini pretium debemus; sed prædiorum, mancipiorum, mulorum, tricliniorum, mensarum, & ea, quæ effuse in publicum faciendo sumtus, aut ambitiose, inutiliterque magnificentiam, affectando prodegimus. Ipsa porro *tot Dictatorum, tot Consulum stirps & progenies* cum ob inopiam dignis sese artibus excolere nesciat, ad pudendam ruditatem redacta sibi ipsi rubori, aliis oneri evadit, ac demum illustres familias obscuro fine claudit. Nonnulli, qui rei familiaris vulnera per scelus, pravasque artes solidare aggrediuntur, nil aliud efficiunt, quam ut aliis negotium facessant, sed sibi maturius exitium inveniant.

§. 10. Circa expendenda autem incommoda, quæ ex sumtibus illis in totam civitatem redundant, distinguendum est, utrum pecunia, quæ ita prodigitur, intra civitatis fines maneat, an vero hac occasione extra eandem migret. Equidem sunt, qui incommoda luxus, quatenus illa totam civitatem tangunt, elevare conantur, si duntaxat consumantur, quæ intra civitatis terminos proveniunt, nec opes nostræ ideo ad exteros transferantur. Isthoc modo enim, quæ majorum aviditas corrasit, per nepotum prodigalitatem iterum in populum spargi, numisque inutili carcere detentis libertatem donari. Omnem velut fœcunditatem pecuniæ ex motu provenire. Quo

major

major ergo pecuniæ motus in aliqua civitate existat, eo uberiorem lucri materiam singulis adesse, & eo plus quoque in ærarium redundare; præsertim ubi in ea, quæ consumuntur, certa sint onera imposita. Parum interesse civitatis, si per luxuriam aliquot familiæ pessum eant, cum ex earundem velut fractis tabulis aliæ incrementa possint capere; & nunquam ita in universum furat aliquis populus, quin nonnulli cæterorum stultitiam in emolumentum suum vertere norint. Addunt, fuisse principes, qui ultro luxuriam populo suo immiserint, ut hoc modo ejus ferocia frangeretur, quo minus nervorum deinceps ad jugum excutiendum foret. Eo medio Cyrum usum ad effæminandos Lydos. Sic cum multis opes suæ animum addant ad res novas moliendas, dum per luxum ac immodicos sumtus illæ attenuantur, simul quoque vires ad turbandum præsentem statum subtrahi.

§. 11. Enimvero talia fortasse qualicunque cum colore jactari possunt ab illis; queis per vim partum imperium non disparibus artibus stabilitur. Sed ut princeps, qui legitima via & volentibus civibus ad imperium pervenit, corruptelis & vitiis civium firmando statui suo uti velit, id neque fas neque proficuum fuerit. Sane enim ad robur civitatis cumprimis facit, si cives animis corporibusque vigeant, quæ utiq; luxus in languorem & desidiam dat. Neque bono principi etiam à frugi civibus difficile erit impetrare, ut tantum conferant, quantum publicis necessitatibus sufficit.

Quid autem tributi expectes ab illis, qui patrimoniū suū intra ventrem condiderunt? Neq; statim, proscripto luxu, velut circulatio pecuniæ sistitur. Cum porro per luxuriam multa alia vitia proveniant, illa extincta & hisce radix succiditur. Atqui non potest non ex re legitimi principis esse, ut sui cives quam paucissimis vitiis urgeantur.

§. 12. Cæterum quod gravissimum est, qui bona sua consumserunt, quā maxime solent principi & civitati esse molesti. Aliqui enim ex principis liberalitate deinceps victitare instituunt. Atqui *si quantum est pauperum, venire huc, & sibi petere pecunias cœperint, singuli nunquam exsatiabuntur, respublica deficiet.* Ac si *ærarium ambitione exhauriatur, per scelera supplendum erit.* Ex iisdem, si qui muneribus publicis præficiantur, plane venales se præbent, ac omnia in quæstum suum vertunt, publicis æque ac privatorum opibus imminentes. Qualem Varum Quintilium describit *Vellejus Paterculus*: *Pecuniæ quam non contemtor? Syria, cui præfuerat, declaravit; quam pauper divitem ingressus, dives pauperem reliquit.* Verum quia paucis admodum contingit ex largitionibns principis; aut expilatione civium peculatuve, aut justitiam cauponando rem afflictam instaurare; plurimi, audaciam addente desperatione atque inopia, ex turbis reip. malis suis remedium quærunt, & privatum incendium publica ruina restinctum eunt. Nam civibus, qui in re lauta & integra sunt, quieta civitate opus est. Ast qui adesis bonis ære alieno premuntur, turbas

reip.

reip. optant, aut quærunt; per quas aut lacunas rei familiaris explere, aut creditores saltem tantisper eludere queant. Aut si fortuna adversa fuerit, satius habetur in acie cadere, quam per creditores nexum trahi. Ad quæ illustranda facit expendisse, quas caussas conjurationis Catilinæ, quosque ipsi socios adscribat *Salustius & Cicero Catilinaria 2. Suetonius Julio c. 27. Tum reorum, aut obaratorum, aut prodiga juventutis subsidium unicum ac promtissimum* Cæsar: *nisi quos gravior criminum, vel inopia luxuriave vis urgeret, quam ut subveniri posset à se. His plane palam bello civili opus esse dicebat.* Facit & huc aliquo modo locus *Aristotelis polit. V. 6. Fiunt etiam mutationes in oligarchia, quando prodigaliter viventes qui gubernant per luxuriam patrimonia, consumserunt. Optant enim res novas hujusmodi homines, tyrannidemq; vel sibi ipsis vel alteri affectant.* Et paulo post: *Hi homines consumtis patrimoniis aut res novas commovent, aut remp. furtis expilant.* Apud *Tacitum Hist. 1. Othonem, cui compositis rebus nulla spes, omne in turbido consilium, multa simul extimulabant: luxuria etiam principi onerosa, inopia vix privato toleranda. Famianus Strada l. 2. de bello Belgico,* quando caussas tumultuum Belgicorum recenset, inter alia addit: *Aliis ad tuendam dignitatem, profusis jam domesticis opibus, turbata publica re opus erat. Grotius Annal. Belgic. lib. I. Etiam eo tempore nobilitas magnifica, dignitate eximia, sed attritis opibus erat, suo luxu, an Principum dolo, qui specie honorū*

præ-

præstantissimum quemq; sumtibus exhauserant. Et mox: *Dum dignitati student, & cum Hispanorum fastu concertant, magnam rei familiaris jacturam fecerant: itidemq; primores reliqui, neutiquam pari opulentia; minorum autem gentium plerig; luxu aut inopi militia etiam fidem consumserant.* Contra infrugi homines accommodari potest dictum Epaminondæ apud *Plutarchum Lycurgo:* Τὸ τοιοῦτον ἄριστον οὐ χωρεῖ προδοσίαν. *Tale prandium non capit conditionem.*

§. 13. Sed & maximum in civitatem redundat commodum, quando *lapidum causa*, & ad reliquam luxus materiam parandam *pecunia nostra ad externaas aut hostiles gentes transferuntur.* Egregius in eam rem est locus apud *Dionem Chrysostomum orat. 79. Numquid animadvertitis, quod hi homines (dico autem Celtas, & Indos, atq; Iberos, ac Arabes; Babyloniosq;)* φόρους παρ' ὑμῶν λαμβάνουσιν, οὐ τῆς χώρας, οὐδὲ τῶν βοσκημάτων, ἀλλὰ καὶ τῆς ἀνοίας τῆς ἡμετέρης, *tributa à vobis accipiunt, non pro regione, neque pro pecoribus, sed pro cupiditate vestra atq; dementia. Non enim, si qui armis facti superiores, cogunt victos sibi argentum dependere, id solum dicitur tributum: neq; hominum est admodum felicium, neq; fortium, tributa præstare aliis: si autem quidam, nemine invidente militibus, neq; cogente ob fatuitatem & delicias argentum, quod plurimi æstimant præ omnibus, sponte mittant per magna via atq; maris intervalla aliis, nonne plane*

pejus

pejus est, turpiusq; factum? Atq; hoc magis, quod illi parvos infirmosq; lapillos, atque hercle etiam bestiarum ossa dantes, accipiunt argentum & aurum, pro utilibus inutilia permutantes. Sic Scriptores rerum Gallicarum memorant, antequam ab Henrico IV. textrinæ serici in Galliam essent introductæ, quotannis 40. tonnas auri, & amplius extra Galliam fuisse exportatas. Add. *Petrus Matthæus histor. l. 4. p. m. 88.* Et sane pecuniam esse nervum rerum gerendarum nemini non constat. Ac si vel maximè viris polleat aliqua civitas, tamen si pecuniæ inopia laboret, poterit in eam dici, quo Flaminius quondam Philopæmeni Achæorum prætori, multis equitibus, ac gravis armaturæ militibus instructo, pecuniæ autem inopi, illudebat: *manus eum habere, & crura, sed ventre carere*, apud *Plutarch. apophth.* Neque enim bellum semper seipsum alit, & cum alii quoque non debile ferrum spargant; inde incrementis divitiarum, ex bello quæsitarum, rationes superstrui minime possunt. Est quippe, quod ad lucrum spectat, militia sicut alea, qua plurimi rem suam labefactant, paucissimi ampliorem reddunt. Cum autem in genere omnium civitatum status inter se sit pax satis infida; multæ etiam peculiari æmulatione sibi invicem immineant: inde nihil aliud agit, qui quacunque ratione exterorum opes auget, quam ut illos in sese armet, sibique vires resistendi detrahat. Nec sufficit excusatio; non pecuniam ad exteros transferri, sed merces apud nos copiose provenientes; quarum permutatione ista

ne ista luxui inservientia adquirantur. Nam sæpe ea permutatio similis est illi Glauci & Diomedis, dum pro mercibus utilissimis, & quibus alii populi carere non possunt, nugæ adquiruntur; & materia aliorum pecunias attrahendi inutiliter perditur. Eo certior autem civitati paupertas imminet, si quæ importantur pluris sint, quam quæ exportantur. Juxta dicterium Hispanorum: Qui plura erogat, quam recipit, illum ne Deus quidem divitem facere potest: qui autem plura recipit, quam erogat, illum ne diabolus quidem pauperem facere potest.

§. 14, Antequam autem ad remedia hujus mali investiganda accedamus, occurrendum prius est objectioni nonnullorum, qui luxui speciosa vocabula splendoris, dignitatis, magnificentiæ circumponunt. Quibus advocatum sese fert Asinius Gallus apud *Tacitum Ann. II.* Cum enim decretum à Senatu Romano fuisset, *ne vasa auro solida ministrandis cibis fierent, ne vestis serica viros fœtaret:* Fronto modum quoque postulavit argento, supellectili, familiæ. Adversus quem iste ita disseruit: *Auctu imperii adolevisse etiam privatas opes. Cuncta ad remp. referri: qua tenui, angustas civium domos; postquam eo magnificentia venerit, gliscere singulos. Neque in familia & argento, quæque ad usum parentur, nimium quid aut modicum, nisi ex fortuna possidentis. Ideo census distinctos, ut quia clarissimo cuique plures curæ, plura pericula subeunda, eorundem quoque delinimentis ad requiem animi, aut salubritatem*

cor-

corporum uti possit. Cui orationi *assensum dedit sub nominibus honestis confessio vitiorum, & similitudo audientium.* Enimvero huic reponi debet: Quæstionem non esse de modo possidendi, sed consumendi. In eo nihil esse vitii, si gliscentibus publicis opibus etiam privatorum patrimonia augeantur. Hautquidquam tamen eum solum divitiarum fructum habendum, multa posse per inanem ostentationem consumere. Neque privatos usque adeo rerum suarum esse dominos, ut à civitate ipsis non possit præscribi, ne in certas res pecunias suas erogent. Ut privatorum adparatus publicam magnificentiam æmuletur, necessarium non esse. Quin nihil repugnare, imo utilissimum esse, ut publica sit opulentia, privata parsimonia. Sed nec semper modum familiæ, argenti, supellectilis ad fortunam possidentis referendum. Id equidem vesaniæ proximum, splendoris affectatione viam sibi ad mendicitatem struere. Neque tamen illud salva rep. privatis semper concedi posse, ut tantum consumant, quantum fortunæ ipsorum ferunt. Quod alius equiti, alius senatori census sit assignatus, id argumento non esse, senatori utique per inania plus consumendum, quam equiti. Sed è republ. videbatur esse, qui istis ordinibus censeri vellent, patrimonium habere, cujus fructibus honeste sustentari possent, ne vel sordidam per pauperiē reip. dignitatem prostituerent, vel negotiis publicis relictis rei familiari augendæ curam impenderent, vel ex rep. quæstum facere instituerent. Ac demus civitate non invita

fru-

fructus præscripti censûs consumi? tamen cum multi sint, quorum opes mensuram communis census longe excedant, si quidem hi pro ratione opum suarum magnificentiam aut luxum intendere velint, cæteri, quibus par dignitas, minus patrimonium, æmulatione accendentur: & dum hi istis cedere, isti ab hisce exæquari nolunt, non possunt non hi demum bonis everti. Denique neminem esse, qui illis, queis multæ curæ, multaque pericula pro rep. exhaurienda, invideat, quæ ad honestam animi requiem, aut salubritatem corporum inserviunt. Verum in eo nihil ad hunc finem faciens deprehendi, si immenso argenti pondere mensæ gemant, si inutilium turba servorum domus stipetur, si suppellex ad superfluum fastum adornetur. Indignum denique esse, amplitudinem munerum in republ. licentiâ pecunias inutiliter disperdendi metiri.

§. 15. Sunt alii, qui plene negant profusos illos sumtus per leges sisti posse: eoque arbitrantur, satius esse nihil esse heic tentare, quam irriti conatus ludibrium subire. Quo etiam spectat epistola Tiberii: *omittenda potius prævalida & adulta vitia, quam hoc adsequi, ut palam fieret, quibus flagitiis impares essemus. Si quis legem sanciat, pœnas indicat, civitatem verti, splendidissimo cuique exitium parari, neminem criminis expertem. Isthoc, si cætera respicias, in levi habendum. Eidem intra animum medendum, Principes pudorem, pauperes necessitatem, divites satietatem in melius*

lius mutaturam. Add. *Seneca de clementia l. 1, c. 22.* Ubi arbitramur, tunc quidem Tiberium ingruentes accuſatores recte repreſſiſſe, qui opulentiſſimi cujusque fortunis jam imminebant obtentu criminum, quæ tot per annos immenſum accumulata erant citra pudorem metumve, legibus ſumtuariis velut in ſoporem datis. In continuo quippe vigore legum exſecutionem retinere debet princeps, ſi omnem ſuper aſperitate pœnarum quærendi cauſam civibus vult adimere. Alias enim, ſi longum ad tempus diſſimulet leges violari, & inde civibus in ſecuritatem datis repente velit inſurgere, non corrigere ſuis legibus homines voluiſſe videbitur, ſed laqueorum in vicem easdem adhibuiſſe, irretiendis incautioribus. Qui enim aliquid diu ſub oculis ſuis quotidie patrari diſſimulat, impunitatem eidem tacite indulgere præſumitur, ubi tempora reipublicæ nullam in diverſum rationem ſuppeditant. Quare enim, ſi ſacroſanctas volebat leges, tamdiu patiebatur impune iis inſultari? Quare non primos quoque legum violatores pœnis mactavit, ut terror in alios diſpergeretur? Cur in publicos mores vitium abire paſſus eſt? Nunc dum uno velut impetu obſoletarum rigorem legum revocat, id agit, ut occaſione vitii, quod ipſe aluerat, cives fortunis evertat. Inde ubi per diuturnam principum conniventiam aut negligentiam vitium aliquod invaluit, utique par videtur anteactis in univerſum veniam indulgeri; & futura duntaxat pœnis ſancienda. De cætero inconveniens judicamus, principem, cui mores

res

res civium cordi sunt, circa reprimendum hocce malum non alia velle adhibere media, quam quæ heic à Tiberio proponuntur. Quantocunque enim ea ingenii probitas est, ut vitio alicui blandienti intra animum ultro mederi velit? Quin *corruptus & corruptor, æger & flagrans animus haut levioribus remediis restinguendus, quam libidinibus ardescit.* Aliqui exemplo, & quadam æmulationis necessitate alliciendi. Equidem pudere principes merito debebat; cum opibus ac dignatione reliquos tantopere emineant, animos vanissimis rebus obnoxios gerere. Sed tamen vix adparet, quomodo pudori tamdiu locus esse possit circa rem, cui opinio præstantiæ & splendoris vulgo adhæret. Neque vero pauperes semper necessitas in melius mutat: quin aliqui ære alieno, aut per scelera luxuriæ pabulum suggerere instituunt; ac postquam omnia defecerunt, demum acrioris viri habetur, merito perire. Tardum quoque est expectare quousq; divites satietas emendet; quæ multis ne tunc quidem venit, quando nihil superest, quod consumant.

§. 14. Ad reprimendum igitur isthoc malum sine dubio plurimum faciunt leges sumtuariæ, vigilanti semper exsecutione servatæ. Quibus adjungi possunt leges, queis exoticæ deliciæ & instrumenta luxus importari prohibentur. Fortasse etiã aliquid momenti huc adferret illa lex *Platonis de LL. l. XI. Quæcunq; emendo & vendendo commutantur, in statuto fori loco permutentur dando accipiendoque ultro citroque rem, & rei pretium illico: nec alicubi alibi,*

alibi, nulla vero emtio venditioque ad terminum fiat. Saltem si eadem ad res luxui inservientes adplicetur, addito, ut si quis talium rerum quid alteri crediderit, ex eo non actionem habeat. Enimvero hisce legibus succenturiari debent alia remedia, quæ ipsas radices mali penitus evellere citra violentiam sint idonea. Nam cum non quibusvis pateat, quantum reipublicæ intersit ejusmodi sumtus circumcidi, multis legum rigor heic supervacuus habetur, & instar puerilis disciplinæ ex morositate superiorum profectæ videtur, ad molestiam civibus facessendam, non permittere, ut quisque de pecunia sua pro lubitu disponat. Sicuti apud *Valerium Maximum l. 2. c. 9. n. 5.* Duronius loquens introducitur: *freni sunt injecti vobis Quirites, nullo modo perpetiendi: alligati & constricti estis amaro vinculo servitutis: lex enim lata est, quæ vos frugi esse jubet. Abrogemus istud horridæ vetustatis rubigine obsitum imperium. Etenim quid opus est libertate, si volentibus luxu perire non licet?*

§. 17. Quodnam autem sit remedium, legibus succenturiandum, intelligetur, si primariam scaturiginem ejusmodi profusorum sumtuum investigaverimus. Circa sumtus ergo mensæ ac ganeæ negari non potest, apud multos eorum caussam esse gulæ ac palati delicias. Apud plerosque tamen tum heic, tum in quovis reliquo sumtuum genere primarius fons est ambitio, opum ostentatio, splendorisque ac magnificentiæ affectatio. Gaudet enim mortalium superba indoles in eo se-

se

ſe jactare, in quo aliqua præſtantiæ indicia eſſe judicantur. Inter hæc autem non poſtremo habetur loco, opibus abundare, animumque habere opibus ſuperiorem,ſic ut illas lubenter velis & dextre poſſis erogare in talia, quibus magnificentiam vulgus metitur. Quamdiu iſthoc egregium habetur, quantumvis ſeveræ leges pœnæque malum penitus non tollent: ſed ſemper prava hominum ſolertia fraudem legum inveniet, & hoc ipſum inter ſpecimina maximæ generoſitatis habebitur, pœnam legum floccifacere,ejusque periculum ultro in ſe arceſſere. Quam ob cauſam quoque ſola vectigalium magnitudo ſumtus in res exoticas fieri ſolitos non reprimet. Nam & hoc eſt ambitioſæ luxuriæ ingenium, contra ſumtuum magnitudinem animoſe luctari: & in multas res eo acrius luxum inſanire facit enormitas pretii. Ex quibus adparet ratio, quare ſcopum non attigerint legislatores, qui per leges ſumtuarias dignationem addiderunt illis rebus, quarum uſum tollere aut circumſcribere volebant: puta ut hoc vel illud nobilibus tantum geſtare fas eſſet, plebejis non item. Hoc modo enim præſtantiæ opinio rebus iſtis velut publico decreto fuit addita, ſimulque libido hominum in easdem immenſum inflammata. Quanto ſapientius Zaleucus, cujus ejusmodi leges ſumtuariæ memorantur apud *Diodorum Siculum l. XII. c. 21.: Mulier ingenua, niſi forte ebria ſit, non ſit unà ancilla comitatior. Extra urbem noctu pedem non efferto, niſi cum mœchum forte accedit. Aureum ornatum, & inter-*

intertextas auro vestes ne circumdato, nisi meretricem agere velit. Vir annulum subaureum, aut vestem Milesiæ parem ne gestato, nisi qui scortatione vel adulterio se contaminat. Proinde fœdis pœnarum exceptionibus, seu probrosis conditionibus pœnæ annexis, à noxio cives luxu & intemperantiæ studio facillime avertit. Nemo enim tam turpis probri confessione se ludibrio civium exponi sustinebat.

§. 18. Cardo igitur negotii hujus in eo vertitur, ut opinio præstantiæ ejusmodi sumtibus adimatur, & contraria opinio vanitatis, stoliditatis, ineptiarum, ἀπειροκαλίας iisdem concilietur. Id quo minus fiat, nihil sane repugnat. Nam id utiq; præstantiæ signum haberi potest, adparatum suum sobrie adornare, nihil temere profundere, futuri non incautum esse, patrimonium suum conservare aut augere, ita rem familiarem administrare, ut ubi difficilia tempora ingruant, & tibi sufficere, & reip. succurrere queas. Cæterum unde isthæc opinio promanare primo debeat, quo efficax sit eradicandæ contrariæ opinioni, mutandisq; civium libidinibus, non difficile collectu est. Nimirum penes rectores civitatum est, uti valorem personis, numis aut mercibus ponere; ita & dignationem certis rebus addere aut demere. Non possunt quippe cives non plurimum deferre judicio illorum, penes quos summum in se imperium est. Cum enim alicujus judicium adspernari, eidemque contraniti offensæ materiam præbeat; nemo non civium, qui principem habere propi-

tium optat, id aget, ut quæ isti probantur, sibi quoque placere videantur. Cùm prava quoque & ingrata principis instituta multi per adulationem, aut vitandæ offensæ, vel inviti soleant exprimere. Ergo tunc demum pudor cives subibit ejusmodi sumtus faciendi, si princeps constanter res ipsas, in quas fiunt, nec minus qui istos faciunt, contemnere, & vilipendere sese ostenderit: simulque si exemplo suo, quid ab aliis fieri velit, ipse expresserit. *Præcipuus adstricti moris*, inquit *Tacitus*, *autor Vespasianus fuit, antiquo ipse cultu victuque. Obsequium inde in principem & æmulandi amor, validior quam pœna ex legibus & metus.* Etsi magnas ejus mali reliquias Romæ remansisse, aut post iterum invaluisse ex illo *Tertulliani apologet. c. 9.* colligitur: *Quonam illæ leges abierunt, sumtum & ambitionem comprimentes, quæ centum æra non amplius in cœnam subscribi jubebant? nec amplius, quam unam inferri gallinam, & eam non saginatam? quæ patricium, quod decem pondo argenti habuisset, pro magno titulo ambitionis senatu submovebant?* (vid. *Valer. Max. l. 2. c. 9. n. 3.*) *Video enim & centenarias cœnas à centenis jam sestertiis dicendas, & in lances argentaria metalla producta.* Enimverò orbem illum, cujus *Tacitus d. l.* meminit, expectare, ut ultro morum vices vertantur, serum nimis est. Nam in orbem quidem ire videmus v.g. vestium materias atque formas; Sed ut citra aliud remedium luxus ultro in frugalitatem desinat, tunc demum eveniet, quando nihil amplius superest, quod consumi queat

§. 19.

§. 19. Sed operæ pretium puto fuerit pressius consideraſſe, qua ratione iſthæc remedia circa ſingulas luxus ſpecies commodiſſime videantur temperari poſſe. Luxum igitur menſæ facillime reprimet exemplum principis, ſi ipſe intra aulam ſuam ſobria elegantia gaudeat; & ubi ab eminentibus civibus invitetur, modeſtum paratum adprobet, immodicum adſpernetur. Convivia, ſeu helluationes potius publicæ ſevere prohibendæ: aut quatenus multis populis perſvaſum eſt, non poſſe certorum negotiorum auſpicia rite niſi à convivio ſumi, ſaltem ferculorum ac convivarum numerus circumſcribendus. *Plato de LL. l.VI.* ad nuptias non niſi decem ex propinquis, & à ditiſſimis ſupra minam impendi non vult. Add. *Gellius l.2. c.24.* Exemplo autem juxta ac legibus nitendum principi, ut domeſticis gaudere copiis, quam exoticis deliciis malint cives. Quas eliminare facillimum eſt, ſi importari prohibeantur. Per intenſionem vectigalis certam ſpeciem arcere licet, ubi alia, quæ iſtius vicem ſubire poſſit, vectigali minus oneretur. Sed ſi unica tantum ſit ſpecies, quæ publice magni æſtimetur, magnitudo vectigalis ejuſdem dignationem apud luxurioſos accendet.

§. 20. Ædificandi libido non ita facile in publicum morbum ubique invaleſcere poſſe videtur: & multos populos indoles regionis ſuæ prohibet Romanorum hèic furorem imitari. Igitur ſufficere poterit, ſi peregrina ædium materia, & ſupellex, ornamentaque exotica importari vetentur. Si

unus vel alter ædificandi studio censum suum subruat, civitatis id parum interesse potest.

§. 21. Coërcendo inutilium servorum numero non parum videtur facere, si civibus non concedatur ejusmodi ministrorum genere uti, quod fortunam principis tantum decet; aut cui tales tituli tribuuntur, qui potius publica civitatis, quam privatæ domus ministeria præ se ferunt. Si præterea certus modus præscribatur pedisequis & similis farinæ famulis, ad inanem pompam adscitis. Quorum exuberans multitudo id quoque mali gignit, quod dum nulla re seria occupantur, nequitia fere tempus fallant, utili alicui opificio longe melius impendendum. Si denique prohibitum simul sit, & stolidum habeatur, pecunias splendide vestiendis istis homuncionibus profundere. Sed & illud publico expediet, si civibus non concedatur rhedis uti, nisi domi confectis, nec plures, quam binos equos in urbibus jungere, nec ulla pretiosa & supervacua ornamenta *iisdem* adplicare.

§. 22. Circa supellectilem auream argenteamque, & alia vasa id judicaverim expedire, si princeps ipse talia, quæ propter raritatem aut pretium inter cimelia ostentari merentur, quotidianis usibus non adhibeat. De cætero aurifabris gravissima sub pœna interdicatur, ne ex conflata pecunia ullum vas conficiant: neve opus materiæ sextam partem pretio superet. Sanciatur quoque, ut omne aurum argentumque factum pupillorum monetariis vendatur, ut inde numi cudantur;

nec

nec non reliqua omnis supellex eorundem, quæ quotidianas necessitates excedit, auctioni subjiciatur. Sic enim non temere, qui liberos suos amat, in ejusmodi rebus comparandis modum excedet; quia illæ cum dispendio fere non mediocri distrahuntur.

§. 23. Circa rem vestiariam hoc quidem utilissimum foret, si id effici posset, ut cives nullis utantur vestibus, quæ intra civitatem ex materia ibidem proveniente non sint confectæ, omnesq; adeo exoticæ telæ pannique proscribantur. Utque indigenæ ad excolenda istius generis opificia quavis ratione alliciantur: aut si illi non sufficiant, extranei opifices quantiscunque privilegiis invitentur. Interdicendum quoque fuerit, ne rudis qualiumcunque telarum materia exportetur. Si in civitate sufficiens materia non proveniat, ea aliunde non nisi rudis importetur, si fieri queat.

§. 24. Enimvero quia plerunque vestium elegantiam & decorem ad usum aulæ populus solet exigere, omnino è re fuerit, à principe introduci perpetuam aliquam vestium formam, qua & ipse constanter utatur, ministrisq; aulicis eandem gestandam pro imperio injungat: & qui illo habitu non comparuerit, ab aula excludatur. Aut si hoc durum nimis videatur, vilissimi servulorum, coquorum pueri, & qui pavimentum verrunt, vel etiam moriones in aula eo habitu superbi circumambulent, quem contumaces aliqui aut vani in gratiam principis mutare detrectant. Pari ratione muliebres vestes uxor principis & gynæceum aulicum

temperabit. Nec est quod aliquis dicat; hoc modo elegantiam nationis deformari, eamque inter barbaros referri, politioribus ludibrium debituram. Nam primo hæc convicia tanti non sunt, ut ideo pecuniâ exteros per vanitatem locupletare, & nos ad paupertatem redigere debeamus. Deinde plurimi fuerunt & sunt populi utique cultissimi, quibus nemo sanus ob habitus constantiam barbariei notam impegerit: cum illa potius gravitatem, & institutorum patriorum amorem arguat. Cur enim nihil elegans sit, nisi quod peregrinum? Aut cur una natio arbitrium elegantiarum suo velut jure sibi vindicet? Deniq; cum nostra memoria textorum non minus quam vestificum ingenia infinitis inventionibus luxuriaverint, & omnis fere tam telarum quam vestium varietas in orbem iverit; non video, cur ex tanto numero aliquis habitus eligi, aut ex diversorum habituum partibus peculiaris aliqua forma componi nequeat, quæ perpetuo pro eleganti haberi possit. Isti habitui postquam autoritatem principis & aulæ usus addiderit, valde superbus fuerit, qui unquam isto erubescere vellet. Facit huc quod memorat *Mich. Montaigne essais l. 1. c. 43.* cum post excessum Henrici II. vix per annum in aula ex panno laneo vestes gestaverint, tantus mox contemtus seriei extitit, ut apud medicos solum & chirurgos istæ vestes remanserint; & si quispiam alius serica veste indutus conspiceretur, statim pro rurestri aliquo, aut minoris oppidi cive habitus sit.

§. 24.

§. 24. Ejusmodi autem ſtabili habitu introducto plurima in civitatem & ſingulos redundare poſſunt commoda. Nam ne de eo dicam, quod utiq; ex dignitate alicujus nationis ſit alterius nationis non videri ſimiam; elegantiores homines hautquaquam ſingulis menſibus de nova veſtium forma cogentur eſſe ſoliciti; & infinita illa varietate proſcripta facilius erit tantum textorum in civitatem numerum introducere, quantus uſibus civium ſufficit. Aut ſi quid utique ab exteris ſit petendum, multo parcius erit, & quod minore cum diſpendio permutatione noſtrarum mercium parari queat. Neque eſt quod aliquis metuat, ejusmodi perpetuo habitu introducto id incommodi proventurum, ut nobilis à cerdone aliquo in publico per exterius ſignum dignoſci nequeat; id quod tamen utique confuſioni vitandæ videtur neceſſarium. Nam ut iſtud diſcriminis ex pretio & luxu veſtium dignoſcatur, neceſſarium non eſt; ſed heic facile eſt alias notas comminiſci, parum ſumtuoſas, quibus cujusque dignatio cognoſci queat. Sic Romæ calcei lunati, & latus clavus ſenatores, anguſtus clavus equites à plebejis ſecernebant.

§. 25. Denique ſi ſit quæpiam ſpecies veſtibus exornandis inſerviens, quæ nulla ratione apud nos provenire apta ſit, v. g. pelles Zobellinæ, neque à fœminis impetrari poſſit, ut iſtis deliciis libenter carere velint, ne ob pilorum illorum mollitiem tantundem fere tributi principi extraneo, quam noſtro regi à multis exſolvatur, noſtræque pe-

cuniæ ad eos transferantur, quos prægraves vicinos nostra civitas semper experta fuit: judicaverim isti rei tali fortasse ratione occurri posse. Scilicet in aula mos introducatur, istis pellibus non aliter uti, quam suffulciendis vestibus, adeoq; pilis introrsum versis; ac paupertina ostentatio judicetur, ex nigella pellicula fœminas formæ suæ commendationem velle quærere. Sane enim ubi istæ pelles à conspectu aliorum removeantur, & calori tantum fovendo, qui usus earum maxime naturalis est, destinentur, ultro expirabit luxus, cujus maximus habetur fructus, conspici.

§. 26. Supersunt illa fœminarum propria lapilli, unionesq;. Quorum usum si interdicto sistere aggrediaris, infinitas querelas ejus sexus excitabis; cum crediturae sint, ad miserrimam sese conditionem redigi, si magnam patrimonii sui partem minutæ cistellæ amplius includere nequeant. Nec deerunt ex viris, qui omnibus modis pugnaturi sint, ne matronarum mundus maritorum rem affligere desinat. Videantur contentiones super abroganda lege Oppia apud *Livium l. XXXIV.* Igitur ne iratas Junones nostras experiamur, subtiliori modo ipsarum morbo medeamur. Recipiatur in aulam mos factitiis aut ignobilioribus gemmis ac margaritis sese ornandi, idq; aperte, non quasi pro genuinis istæ haberi debeant. Istis non nobiles tantum fœminæ, sed & deinceps ancillæ jubeantur onustæ incedere. Sic aula quidem istis autoritatem conciliabit, sed vile earundem pretium plebejis quoque ea ornamenta familiaria reddet. Quo facto aut

cto aut minoris deinceps micabunt fœminæ: aut nobilissimæ quæque pervulgatum ornatum adspernatæ, istud demum in se decus elegantissimum ducent, quod natura dedit, & quod detractis omnibus ornamentis adscititiis superest. Isthæc in universum super coërcendo luxu temperandisque legibus sumtuariis disputata, pressius ad singulas civitates adplicare in proclivi fuerit illis, qui cujusque civitatis conditionem penitius perspectam habuerint.

DE CONCORDIA VERÆ POLITICÆ CUM RELIGIONE CHRISTIANA.

§. I.

QUam salutare ac plane necessarium sit institutum civitas, quæ summo imperio velut animatur, in ista malitia generis humani, præsertim postquam hoc in tantam excrevit multitudinem, nemo est tam imperitus rerum humanarum, qui ignoret. Ne quid enim de commoditate dicam, de cultu, amœnitate, ac rerũ sufficientia, quæ ex vita civili provenit; sane intutam penitus, quotidianis insidiis & periculis obnoxiam ac longe miserrimam acturi essent mortales vitam, pravitate hominum adversus alios potissimum homines exprimere sese gaudente, nisi in civitatibus degeremus, ubi sub protectione

ſummorum imperantium, qui viribus omnium ad communem defenſionem utuntur, quietam & tranquillam vitam degeremus, quantum quidem rerum humanarum conditio fert, in quibus nihil ab omni parte perfectum deprehenditur. Nam & ubi una civitas ſe alterâ paulo validiorem ſentit, facile eam libido ſubit debiliorem invadendi & opprimendi: & in ipſis civitatibus præſentaneæ pœnæ metus non ſufficit, quo minus civis civem injuriis laceſſat. Quæ tamen inter rariora ſunt habenda, & nequaquam comparari idonea cum illis malis, quæ manſura nos eſſent, ſi ſinguli extra ſocietatem civilem viveremus Cæterum uti hoc beneficium, quo per civitates fruimur, merito magni eſt æſtimandum: Ita iſtud bonum, quo per Religionem Chriſtianam potimur, tanto majoris eſt faciendum, quanto felicitas immenſa & nunquam deſitura, commodis ſat imperfectis hujus vitæ cito transeuntis præſtat. Utrum autem doctrinæ illæ, ex quibus utrumque iſtud bonum fluit; Illa nempe, qua felicitatis æternæ conſequendæ ratio traditur, & quæ modum gubernandæ civitatis ad legitimum finem docet, mutuo repugnent, an vero amicè inter ſe conſpirent, quæſtio eſt non exigui momenti. Quorum quidem prius non paucis è vulgo perſuaſum eſt, quibus politica ſolet vocari ſapientia hujus mundi, quæ ſapientiæ divinæ repugnat, & politici homines filii hujus ſeculi audiunt, quaſi ſine pietate & Religione, à veris Chriſtianis toto cœlo differentes. Aſt uti non abnuimus, magnum inter homines inveniri politicæ abu-

abusum; & apud multos actionem politicam, aut artificium politicum vocari, quod summum scelus & flagitium est: ita nobis certum habetur, veram politicam, ex genuinis suis principiis deductam, & legitime adplicatam, nequaquam repugnare Religioni Christianæ, sinceræ illi, & prout à Salvatore nostro atque Apostolis promulgata fuit, citra assumenta & corruptelas humanas consideratæ: Sed cum ea potius amice conspirare hanc ipsam Religionem Christianam; ac ubi in ipsis cordibus hominum radices egerit, & non sola intra labia versetur, plurimum conferre in civitatibus, ut politica scopum suum eò facilius & felicius possit assequi. Id quod paulo distinctius deducere, dissertationis hujus argumentum erit.

§. 2. Ad demonstrandam autem istam concordiam duplicis generis argumenta adhiberi possunt; quorum quædam velut in genere eam svadent; reliqua distinctæ magis & sigillatim eandem repræsentant. Ex priori classe primo habetur loco, quod ad eundem autorem utraque doctrina suam referat originem. DEUS O. M. qui Religionem Christianam, misso suo Filio, orbi promulgavit, idem quoq; civitatum imperiiq; civilis Autor ac Stator merito vocari potest: Quem repugnantia sibi dogmata condidisse, quorum tamen observatio generi humano tam necessaria foret, omnes pii ultro adspernantur. Societatis porro civilis Deum esse Autorem, & divinæ literæ passim insinuant, & ipsa ratio firmiter evincit. Equidem

præceptum expressum in divinis literis non extat, quo Patresfamilias, qui antea seorsim suam quisq; familiam rexerant, à Deo in societatem civilem coire jubentur: nec tale quid extitisse sat idoneis rationibus videtur demonstrari posse. Multo minus extat ex peculiari Dei revelatione profecta doctrina de natura & constitutione civitatis in genere, de partibus summi imperii, de regulis imperii administrandi tam circa cives, quam circa exteros observandis. Talia enim ex professo tractare, extra scopum est divinarum literarum. Nihilominus passim in Scripturis dicitur, Reges à Deo esse, qui per sapientiam divinam regnent, ac ministerium divinum in hisce terris exerceant; quibus ut cives Christiani pareant, pro iisdem preces ad Deum fundant, quæ ipsis ex ratione sui muneris debentur, exsolvant, inter officia Christiani hominis insertum legitur. Neque ob defectum aut ignorantiam expressi præcepti circa constituendas civitates statim dicendum est; Deum tantum ex postfacto imperium civile adprobasse. Sed etiam antecedenter Deus civitatum Autor dicendus est, quatenus saltem ex tacito dictamine rectæ rationis voluntatem divini Numinis homines collegerunt. Cum enim in genere humano, tanta malitia infecto, post ejus multiplicationem, pax, tranquillitas & incolumitas obtineri non posset, nec ullus fere exercitio legis naturalis relinqueretur locus, nisi societates civiles instituerentur; liquidissime infertur, quod qui Deus voluit, ut homines hancce vitam pacifice & honeste inter sese degerent,

gerent, idem quoque voluerit, ut necessaria pro conditione temporum ad eum finem media adhiberent. Instituta autem & probata civitate, probari quoque Deo censentur omnia illa, quæ ad eam rite & legitime gubernandam ac defendendam observanda sunt.

§.3. Ad priorem quoque classem pertinet, quod Servatori nostro, & Apostolis nuspiam propositum fuisse legatur, civitates tunc exstantes evertere, & in aliam formam commutare, aut nova axiomata politica, regulasque gubernandi civitates tradere; sed obsequium & honorem Rectoribus civitatum à Christianis fideliter exhiberi mandant. Dum etiam Servator noster discipulos suos quaquaversum mittit, ut omnes homines ad amplectendum Evangelium invitent; sub illis omnibus utiq; Rectores civitatum, & qui publice istis sua ministeria præstant, complectitur, & his quoque ut Ecclesiæ nomina dent, mandat. Atqui istos, ubi fidem Christianam amplexi fuerunt, nequaquam coronas, imperia aut Magistratus suos exuere jubet, aut nova quædam precepta politica observanda ipsis promulgat, diversa ab illis, quæ antea ex rationis lumine, aut indole societatis imperiique civilis intellexerant. Quod tamen utique fieri par erat; nisi vel ipsum genus vitæ istorum hominum Salvatori probaretur, aut si doctrina ipsius veræ politicæ quid repugnans complecteretur.

§.4. Enimvero distinctius paulo, & rationibus ex ipsa utriusq; doctrinæ indole petitis ea concordia est demonstranda. Ac illud quidem ex scitis

veræ politicæ non est postremum, ad salutem civitatum, ac earundem legitimus finis obtineatur, plurimum facere, si Rectoribus civitatum salus populi suprema lex sit, si gregem sibi commissum ament, ad ejusque incolumitatem ac felicitatem omni cura ac diligentia incumbant, legesq; sui muneris, prout illud ex lege naturali, aut peculiari constitutione suæ civitatis promanat, religiose observent. Si semper cogitent, se non ideo ad tantum esse provectos fastigium, ut ipsi cæteros per fastum proculcent, aut bonis, operaq; civium abutantur ad inanem ostentationem, luxuriam aut voluptates; sed ut sint bonis præsidio, malis terrori, oppressis levamento, miseris solatio. Quos cives non velut publicam pestem detestentur, sed tanquam beneficium aliquod situs & tutelare Numen ament ac venerentur. Si denique semper cogitent, se non homines solum esse, sed & hominibus præesse, se propter populos, non populos propter ipsos esse: detestantes insolentiam Cæsaris, qui apud *Lucanum* ita dicebat *libro V: Nunquam sic cura Deorum Se premit, ut vestra morti, vestræq; saluti Fata vacent. Procerum motus hæc cuncta sequuntur. Humanum paucis vivit genus.* Si denique cogitent, quemadmodum per ipsos civium atque bona adversus aliorum injurias tuta præstantur; ita & eadem sibi ipsis pretiosa haberi debere, & circa quæ nullo modo sibi prodigis esse liceat, nisi quantum civitatis ea pro communi defensione periculis exponi, aut impendi postulat. Cum hisce conspirat, imo iisdem efficaciter succentu-

nturiatur Religio Christiana, quæ & in gene- suum cuique officium cum fide ac diligentia beundum præcipit, tanquam partem obsequii, uod ipsi DEO debemus: & omnes homines ad ibunal divinum sistendos docet, ubi nullus perso-arum respectus habetur, ubi nihil eorum, quibus gnitatem & magnitudinem mortales metiti so-mus, attenditur: sed ubi quilibet, secundum id uod vivens egit, accipiet, sive bonum fuerit, sive alum. Imo ubi multum ab eo reposcetur, qui ultum accepit. Quæ sane omnia apud pios civi-tum Rectores maximum habent pondus, ut po-state se sua non efferant, & ut ita officium suum erere laborent, quo sibi ejus ratio apud horren-um illud tribunal constare possit.

§. 5. Nec minus illud ad incolumitatem civita-s extraditis veræ politicæ facit, si vice versa cives iæ civitatis Rectores ament, tanquam patres pa-iæ, & quorum cura ac solicitudine publica post Deum salus stat, cui etiam singulorum felicitas in-ectitur: si nemo istis fastigium suum invideat, ut ad illud subvertendum & in se transferendum ncumbat; si omnes promptum ipsis obsequium eferant, & quæ iisdem debentur, citra tergiver-ationem & alacriter præstent; si denique illorum bi incolumitas, quam propria magis cordi sit. Ista t civibus eo diligentius observentur, plurimum onfert Religio Christiana, quæ magistratus à Deo, ipsiusque ministros esse dictitat; quibus qui esistit, Dei ordinationi resistit; quibus parendum st non solum propter iram, aut ad evitandam pœ-

nam

nam fori humani,sed & propter conscientiam,sive ad declinandam pœnam tribunalis divini: quibus qui resistunt, sibi ipsis condemnationem adferent. Inde apud eos,quibus utDeo placeant curæ est,nō potest non augeri veneratio & obsequii promtitudo adversus tales, qui magnitudinem & potestatē suam non solis civibus in acceptis referunt, sed & quibus ipse Deus autoritatem addit; cujus offensa sane omnium terribilissima incurritur, ubi quis ipsis debitum honorem rite non exhibuerit.

§.6. Habetur quoque in vera politica salutare medium ad internam civitatis firmitatem & tranquillitatem conservandam, si cives præsentem statum ament, eidemq; acquiescant,nec per ambitionem,impatientiam,aut libidinem privatas suas opes augendi, ad res novandas sint proclives. Ad hoc ut animi civium disponantur, plurimum confert Religio Christiana, dum Christianis plenam felicitatem post hanc demum vitam exspectandam proponit,eoque desideria nostra ibi defigere jubet; heic autem viatorum nos esse conditione pronunciat; qui cum sibi in hospitio non perpetuo habitandum, sed per noctem tantum unam aut alteram morandum intelligunt, illius si quæ videntur incommoditates facile digerunt, nec de istis corrigendis magnopere laborant. Et cum præterea gloria opesque mundi cito transeant, fumi aut umbræ instar, imo multis occasionem præbeant, quo minus de æternis, uti par erat, sint soliciti: Ista prohibet talia magnopere affectare, & si ultro velut affluant, eadem possidere jubet velut

non

non possideas, & nunquam animum iis velut affixum habere. Quæ dogmata qui rite imbiberit, & in animum suum penitus demiserit potius præsentem Reipublicæ statum etiam cum aliqua incommoditate conjunctum tolerabit, quam ad res novas moliendas sese adplicabit, etsi exinde honoris sibi atque opum spes ostentetur; nec ulla fortunis suis incrementa affectabit, nisi quæ velut ultro divina allubescente gratia sese offerunt, iisdemque nunquam ad inanem fastum, atque arrogantiam abutetur.

§. 7. Circa illud quoque politica est solicita, ut cives inter se concordes, & ab injuriis invicem abstineant, ac humanitate, officiis ac beneficiis invicem certent, nec incrementa sibi ex aliorum oppressione & ruina quærant. Id quod legibus, præmiis, pœnisque, ac proba disciplina in civitatem introducta obtinere laborat. Et sane quid Principi gratius esse potest, quam si videat devotissimis ipsi civibus bene inter se convenire; quorum lites eidem non parum molestiæ ac tædii, ac quandoque etiam detrimenti & periculi conciliant? Quid ipsis civibus, qui probo quidem & sano sunt animo, lætius contingere potest, quam si citra rixas & contentiones inter amicos, aut saltem non infestos vitã hanc transire queant, & quod in aliorum hominum societate degant, lætandi potius, quam dolendi causam habeant? Atqui hac in parte Religio Christiana politicæ quam maxime concors est, imo ad istum scopum utramque velut paginam facit, & qua civiles leges pœnæque pertin-

gere non valent aut solent,feliciſſime ſupplet. Sane enim metus pœnæ per leges civiles intentatæ animi humani malitiam nequaquam corrigit; ſed eam duntaxat pauliſper reprimit; quæ,qua libido & occaſio invitat, erumpere gaudet, ubicunque ſpes arriſerit latendo, aut vi,gratia,muneribus humani fori ſeveritatem eludendi. Et quanquam diſciplina à puero adhibita, & in firmam conſvetudinem audita inſitam mortalibus malitiam non parum corrigat: tamen facilis in prava relapſus eſt, ni divinitus allubeſcens gratia probitati velut firmamentum addiderit; qualis gratia utique Religionem Chriſtianam comitatur apud eos, qui eandem in pectus rite dimiſerunt. Sane enim divino auxilio ſublevantur fidelium animi, ut vitia refugiant, & honeſta ſectentur, etiam ubi nullus humanæ motus pœnæ urgere videtur. Deinde leges civiles ſatis craſſe circa reprimenda vitia verſantur, & tollunt aſtutias, quatenus manu rem tenere poſſunt: magnam partem malitiæ humanæ diſſimulant, & impunitam dimittunt. Graviores duntaxat injurias pœnis prohibent: minutas fere prætereunt, quaſi non dignas,quibus cognoſcendis Prætor defatigetur. Quæ tamen non parum moleſtiæ afferunt,& continuatæ inprimis ſat acriter mordent; præſertim cui ad iſta ſpernenda animus non ſatis obfirmatus eſt. Eædem quoque vix auxilium ſuum accommodant, actionemq; largiuntur, quam circa præſtationes magni momenti, & quidem fere quæ ex contractibus reſultant; in quibus ipſis tamen non enormes fraudes diſſimulant,

lant, & publicam velut licentiam illis indulgent: ſic ut plauſibilis feratur Juris Romani ſententia: *In pretio emtionis & venditionis naturaliter licet contrahentibus ſe circumvenire.* Id quod ad alios quoque contractus ſæpius quam opus erat adplicatur. Reliquas præſtationes fere in cujusque arbitrio & pudore relinquunt. Cujus quidem rei variæ cauſæ traduntur. Nam & ſic ſatis tranquilla ſocietas inter homines citra quædam officia videbatur poſſe conſiſtere; unde eadem intelligebantur ſepoſita velut materia peculiari benevolentiæ alios ſibi homines devinciendi. Quippe cum tantam vim conciliandi aliorum animos non habeant, quæ actione in foro humano intentata poterant extorqueri, quam quæ citra iſtius metum licebat denegare. Multis quoque officiis maximus ſplendor videbatur deceſſurus, & non niſi mercenaria habenda erant, ſi lex civilis vim ſuam iisdem adplicaret. Denique & multa inextricabilem videbantur habitura diſceptationem, & immenſa litium ſegete tribunalia erant obruenda, ſi omnia legibus civilibus fuerant ſancienda. Quanquam autem Legislatores civiles excuſari poſſint, quod deſperarint, ſolis humanis mediis benevolentiam inter cives arctius conjungere; manifeſtum tamen eſt, hoc modo unionem inter cives ſatis laxam fuiſſe relictam, ac multis actionibus publicam velut impunitatem conceſſam, quibus tamen animi hominum non mediocriter irritari ſolent. Denique quia in foro humano non poteſt & ſolet pronunciari, niſi ſecundum acta & probationes; inde ma-

litioſi

litiosi homines facile solent impelli ad lædendos alios, aut detrectandum debitum, si fraudem suam nullis idoneis argumentis demonstrari posse arbitrentur. *Multum quippe licentiæ pravis ingeniis adjicit illa fiducia, quis enim sciet?* Sic ut revera sat angusta res sit ad legem civilem bonum esse, ac illa omittere, aut præstare, quæ per istam pœnis humanis sancita sunt. Sic igitur per leges civiles plerorumque populorum impune est, clandestinis modis alteri insidias struere, damnumque conciliare, tacitis susurris & calumniis alterius famæ detrahere, superbia sese & fastu præ cæteris efferre, humanitatis & misericordiæ officia negligere, post accepta beneficia ingratum sese exhibere, per pollicitationes, ex quibus actio non datur, alteri illudere, mendacia spargere, aliud clausum in pectore, aliud in lingua promtum habere, in contractibus modicas fraudes miscere, aliumque modice circumvenire, avaritiæ, remque augendi studio in infinitum fræna laxare, ambitioni velificari, superfluis litibus & quæ facile per amicam transactionem componere erat, alios fatigare, vindictæ libidine ardere, immortales inimicitias gerere, per aliorum tacite procuratam ruinam ad famam & ampliorem fortunam grassari; & quæ alia quotidie exerceri videmus: quibus prætor remedium afferre vel negligit vel desperat. Per quæ omnia tamen concordia & benevolentia inter cives non mediocriter turbatur.

§ 8. Hac igitur in parte cum politica amice conspirat Religio Christiana, dum quia ista, optimam habi-

habitudinem civitatum valde deformantia, solis suis artibus tollere nequit, aut gravioribus velut districta negligit, emendare & ex fundamento curare, quantum humana pravitas in hac mortalitate corrigi idonea est, laborat. Nam primo, ut jam supra tetigimus, Religionem Christianam divina quædam comitatur gratia apud illos, qui non nomine solo eam profitentur; per quam animi ita imbuuntur, ut deinceps ad officium suum faciendum incumbant, non respectu pœnæ aut emolumenti temporalis; sed ex amore & reverentia erga Deum, & ut eidem obsequium suum approbent. Deinde Religionis Christianæ decretis non satisfecit, qui externis tantum & crassioribus vitiis sese abstinuit; sed illa quam maxime internam cordis puritatem, affectuumque & cupidinum compositos motus requirit. Nec illi aliquod minutum aut contemnendum peccatum videtur; sed etiam de otioso verbo apud tribunal divinum rationem reddendam docet. Neque illi satisfecit, qui alterum non læsit, aut contractus explevit; sed beneficentia quoque, humanitas, misericordia, quantum in cujusque viribus, exercenda injungitur, etiam ubi nulla recuperandi spes arridet. Neque illi sufficit, vanis litibus alteri molestiam non facessere; sed & ad injurias condonandas, ad remittendum aliquid de summo jure pronos esse eadem jubet. Nec alteri sua eripuisse, aut per alterius stragem ad honore grassatum non fuisse satis est: sed etiã per innoxia media avaritiæ aut ambitioni litasse inter vetita habetur. Deniq; Christiani homi-

hominis officium nequidquam implevisse judicatur, qui utcunque vitæ suæ innocentiam civili judici adprobare potuit, & si non caste tamen cautè agere, suaque facinora dextre negare & obtegere calluit: quique adeo probitatis suæ hoc palmarium habet argumentum; hujus vel illius facinoris me nemo legitime convicerit. Sed ex scitis Religionis Christianæ Deus etiam arcana pectoris cogitata arbitratur, qui & illa, quæ hominum notitiam subterfugiunt, in apertum protrahet, & ad tribunal suum aliquando evocabit, ubi maxima, minima, intricata, plana absque ullo judicis tædio aut errore decidentur. Inde est, quod tam assidue à Salvatore nostro & Apostolis inculcatur caritas, quæ longanimis est, benigna, non invida, non inflata, quæ nō quærit sua, non exacerbatur, non cogitat malum, non gaudet injustitia, gratulatur autem veritati; quæ omnia tegit, omnia tolerat. Quod tantopere commendatur beneficentia, humanitas & misericordia adversus illos maxime exercenda, quibus minima facultas est paria reponendi. Quod tam graviter taxatur avaritia, tanquam radix omnium malorum; & ambitio, cui nullum scelus grave videtur, si ad finem ipsius judicetur facere. Quod subinde mansvetudo ingeritur & patientia, ne ex male temperata animositate alios lacessamus, aut ob quamvis offensam in rixas & pugnas erumpamus. Quod denique tam severe proscribatur odium, invidia, & vindictæ ardor, illæ pacis & tranquillitatis pestes nocentissimæ; & ex adverso præcipitur, ut alios æstimemus tanquam

quam fratres, ut potius alter alterius felicitatem, quantum potest, promoveat, ut ad remittendas injurias & reconciliationem, si forte offensa intervenerit, simus proclives. Quod quidem postremum tam rigide à Christianis exigitur, ut & ipse Deus delictorum illis veniam sit delegaturus, si isti proximo offensas condonare abnuant. Cujus rei causa sine dubio est hæc, quod vix ulla in parte affectus tam contumaciter, quam hic, resistant, ac apud plurimos speciem generositatis mentiatur, non impune lacessi, mala pro malis ubertim & cum fœnore reponere, immotumque non minus, quam silex aut Marpesia cautes animum gerere. Sicuti & illi, qui olim, & hoc seculo variorum mores populorum observarunt, notant; utut multorũ Ethnicorum mores quibusdam in partibus non sint spernendi, in quibusdam etiam Christianis pudorem incutere queant; apud plerosque tamen strenue injurias ultum ire, virtutem fere haberi, & quid ignoscere sit, ignorari. Cum igitur observatio horum officiorum, quæ hactenus tetigimus, à Religione Christiana tantopere probatorum, animos hominum ad concordiam & tranquillitatem immane quantum disponant; quis non intelligit, quantum subsidii per Religionem Christianam politicæ circa internam civitatis pacem & firmitatem stabiliendam accedat.

§. 9. Cæterum uti quæ hactenus deduximus sat plana videntur, ita num circa promovendam civium virtutem bellicam politicæ conspiret Reli-

gio

gio Christiana, paulo altioris est indaginis. Quæ sane ut alatur, veræ politicæ quam maxime curæ est: quippe cum ad finem civitatum non sufficiat, ut cives inter se tranquille & citra injurias agant, ni ab exterorum quoq; invasionibus & oppressionibus tuti sint. Quomodo autem tuti erunt, nisi in armis probe exercitati, & ad pericula fortiter repellenda, hostemque strenue profligandum cives sint dispositi? Quod ipsum frustra speratur, ni in hoc ipso vera quædam præstantia & virtus inesse judicetur. Jam autem non statim adparet, quomodo hæc locum invenire possit apud eos, quibus injunctum est, ne ipsi sese ulciscantur, sed vindictam Deo committant; qui si in ulla maxilla cædantur, alteram quoque obvertere debeant, & tunicam capere volenti, etiam pallium dimittere; quibus deniq; ex patientia & condonatione injuriarum, inimicorumq; dilectione gloria petēda sit. Tangit hanc rem etiam *Macchiavellus discurs. ad Livium l. 2. c. 2.* ubi rationem reddere conatur, quare antiquis temporibus civitates libertatem acrius, quam hisce defenderint, adeoque fortitudine magis olim, quam nunc floruerint. Causam refert in diversitatem educationis modernæ ab antiqua, quæ ex differentia Religionis Christianæ ab ethnica promanarit. A Christiana enim religione minus æstimari honorem mundi; in quo cum ethnici summum bonum collocarint, eo ad feroces actiones fuerunt stimulati. Ab hisce Divorum numero adscriptos non nisi Duces exercitum & Principes reipublicæ. Christianos autem homi-

homines humiles & contemplativæ potius quam activæ vitæ ad id gloriæ provexisse: ac summum bonum collocasse in humilitate, abjectione, & despectu rerum humanarum; ethnicos contra in magnitudine animi, robore corporis, & omnibus aliis rebus ad fortes reddendos homines idoneis. Et sicubi religio Christiana fortitudinem requirit, illam magis patiendo, quam fortiter agendo exserendam. Accedere diversitatem rituum circa sacra; cum Ethnicorum sacra splendida cum pompa, & multarum victimarum effuso sanguine peracta ferociam hominibus addiderint: Christianorum autem sacra cum humilitate, & aliqua pompa magis delicata quam magnifica, nulla tamen cum actione feroci aut alacri peragi. Illum igitur vivendi modum mundum reddidisse debilem, ac dedisse eum in prædam hominibus sceleratis: quibus facile sit ipsum pro suo lubitu tractare, dum vident, quod homines ut cœlum obtineant, magis circa verbera sufferenda, quam vindicanda sint solliciti. Addit tamen iste scriptor: *Quanquam autem mundus effæminatus, & cælum exarmatum videatur, id tamen sine dubio magis ortum fuit ab ignavia hominum, qui interpretati sunt Christianam Religionem secundum otium, & non secundum virtutem. Nam si considerassent, quomodo illa permittit exaltationem & defensionem patriæ, vidissent, quomodo eadem velit, ut nos istam amemus & honoremus, & præparemus nos, ut simus tales, qui eam possint defendere.* Quæ ultima verba omisit *Anonymus*

nymus Autor Gallicus, qui vulgo Anti-Machiavellus vocatur, nescio an sat bona fide; cum priora asperrime castigaret, *part. 2. cap. 8.* Ubi primo observandum est, militiam Italicam illa ætate, & quæ eam antecedebant temporibus, tam corruptam & effæminatam fuisse, ut ludicra potius exercuisse, quam serio rem gessisse isti Itali mercenarii milites videri potuerint. Sicuti ipse *Macchiavellus de Principe c. 12.* & *Guicciardinus histor. lib. XV.* latius tradunt. Deinde recte sese videtur habere illa ratiocinatio: quia Religio Christiana permittit exaltationem patriæ (per licita nimirum media,) ejusq; defensionem; igitur eadem vult, ut cives ament patriam, & præparent sese, ut strenue possint ipsam defendere; i.e. Religionem Christianam non repugnare fortitudini bellicæ ad legitimum incrementum & defensionem patriæ impendendæ. Ergo aut omnia me fallunt, aut Florentino Scriptori non religio Christiana, sed corruptelæ otiosorum monachorum accusantur, qui invento à se vitæ generi ignavissimo, & absurda pietatis larva adornato eximiam quandam sanctimoniam tribuerunt, sic ut sese κατ᾽ ἐξοχὴν Religiosos vocarent, ac cætera vivendi genera velut longe infra jacentia despicerent; ac id sibi meritorum parari jactarent, quod non suæ tantum saluti sufficeret, sed quod aliis quoque multis modiis admetiri possent. Qui & in divorum numerum adscripsere, templisque ac festis coluere ex suo ordine., prout quisque nova devotionis imitamenta invenit, & mimum suum optime agere calluit. Ex laicorum, ut

ut illi vocant, numero pauci valde illorum suffragio hoc honore potiti, & fere, qui proxime ad monachorum superstitionem accesserant, aut immensis opibus inutile mortalium genus cumulaverant. Unde multis facilior ad salutem via fuit visa, exuta seculari dignitate monasterio sese includere, aut ut defunctorum corpora monachorum habitu vestirentur, mandare. Ejusmodi persuasiones ubi invaluerunt, non potest non plurimum de dignatione vitæ civilis & militaris decedere, ac multis potius videri, in altissimo cœnobiorum otio explorata salutis fiducia ætatem exigere, quam inter civilis ac militaris vitæ fluctus jactatum de anima sua periclitari. Atq; hoc tantum si voluit Macchiavellus, non video, quare eo solo nomine hostis Religionis Christianæ haberi debeat. De cætero uti per mactationem victimarum veræ fortitudini parum accessisse arbitramur; quippe cum alias ex laniorum ordine Duces bellici forent legendi: ita non video, quare per Religionem Christianam non maxima quoque laus manere possit ac debeat pium bellatorem, qui pro defensione patriæ, ac justa alias causa magno animo, pari ac successu decertavit. Quanquam enim, si omnes homines Religionem Christianam amplecterentur, & secundum ejꝰ præcepta exacte vitam instituerent, vix ullus bello locus fore videatur: tamen cum magna generis humani pars eandem non profiteatur; & inter eos, qui verbo se Christianos jactant, non pauci habendi & dominandi libidine in bella injusta rapiantur: fas sane erit veris etiam

Christianis istorum injustam vim à vita, libertate, fortunisque suis propulsare. Nam dicta S. Scripturæ, quæ obvertere maxillam, & dimittere pallium jubent, ex confessione omnium orthodoxorum Theologorum non pertinent ad eam protectionem, quam Rectores civitatum suæ civitati adversus violentiam aliorum debent. Imo ne privatis quidem vel legitimam defensionem, vel jus suum subsidio magistratus asserendi adimunt. Studium autem vitilitigandi, & prurigo lite disceptandi, quod amica via componi poterat, & ardor vindictæ, i.e. dira libido ægre faciendi iis, qui nos læserunt, eorumque dolore animum nostrum satiandi, non in privatis solum, sed & in civitatum Rectoribus Religio Christiana improbat; & vera politica nequaquam commendat, quin potius veræ generositati, & magnanimitati repugnare judicat. Ipsa quoque virtus patientiæ legitimam sui defensionem, & jurium suorum assertionem nequaquam excludit. Inconsulta autem & cœco impetu ruens ferocia bellis utplurimum exitiosa est; nedum ut vera politica civium animos ea imbuendos censeat. Nam modesto & composito animo qui sunt, non minus strenuè pugnare possunt, ubi res poscit, quam feroces, & periculorum propter ipsa pericula cupidi. Virtus autem humilitatis, Christianis tantopere commendata, non magis veræ fortitudini adversatur, quam ad hancce aliquid facit ineptus fastus, & jactantia Thrasonis alicujus aut Pyrgopolinicis. Porro ad condonandas injurias homo Christianus semper quidem para-

paratus & pronus esse debet: sed si alterum injuriæ non pœniteat, neque is veniam petat & satisfactionem offerat, sed potius malum malo cumulare pertendat; sane non prohibeor per Religionem Christianam asperis remediis furorem ejusdem frangere; præsertim cum virtutes Christianorum non debeant esse alimenta malitiæ in aliis. Denique & in hoc fortitudinem militarem insigniter promovet Religio Christiana, quod ea de immortalitate animæ, & piorum post hanc vitam felicitate securos nos reddit: Sicut pro justa causa bellanti eo minus jactura hujus vitæ metuenda sit, quod per eam ad meliorem conditionem transferatur. Ad quod illustrandum facere potest, quod *Lucanus l. 1.* persuasionem immortalitatis animæ & metempsychoseos populis Celticis quondam metum mortis demsisse ait: *Inde ruendi in ferrum mens prona viris, animaque capaces mortis; & ignavum reditura parcere vitæ. Cæsar de bello Gallico l. VI.* de Druidibus loquens: *Inprimis hoc volunt persuadere, non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios: atque hoc maxime ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto.*

§. 10. Illud etiam in gerenda Republica necessarium habetur, ut non omnia aperte præ nobis feramus, quæ animo destinavimus, nec quævis nostra consilia velut in mensa solis exponamus: quin & sæpe quasi obliqua velificatione utamur, quando rectum cursum tuto secare non licet. Et cui ignotum est tritum illud, quod Ludovico XI. Gal-

liarum Regi ſubinde in ore erat: neſcit imperare, qui neſcit diſſimulare. Cujus rei cauſa eſt, quod ſæpe conſilia noſtra irrita, imo pernicioſa nobis ſint; ſi ante tempus evulgentur. Sæpe autem illa per nudum & obfirmatum ſilentium non ſatis teguntur; quippe quo importuna hominum curioſitas magis ac magis ad eadem inveſtiganda accenditur. Igitur quo arcanis noſtris improbe imminentes alio avertantur, ſæpe neceſſum eſt, ut iſtis velut inane ſimulacrum objiciatur. Sicut apud *Virgilium Æneid. X. Tunc Dea nube cava tenuem ſine viribus umbram In faciem Æneæ, (viſu mirabile monſtrum) Dardaniis onerat telis, clypeumque jubarque Divini aſſimulat capitis, dat inania verba; Dat ſine mente ſonum, greſſusque effingit euntis.* Multi quoque ſunt ingenio ita refractario, ut ſi aperta ratione cum iis velis agere, nequidquam eos ad placitum tuum deducere poſſis. Hos ergo obliqua via ad ſcopum imperantium & reipublicæ deducere neceſſum eſt. Multa quoque ſæpe altiſſima diſſimulatione premenda, & diverſus plane vultus fingendus ab eo, quod animo agitamus. *Spem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem.* Quæ omnia jure naturali licita habentur, quatenus nullius alterius jus lædunt, & ad noſtrum aliorumve commodum ſpectant. Iſthunc quoque agendi modum, quatenus ad legitimum uſum & finem civitatis tendit, nec alterum injuria afficit, Religioni Chriſtianæ hautquidquam repugnare arbitramur. Cum enim ei probentur imperia civilia, probari quoque cenſebuntur

tur illi artes innoxiæ, quæ posita malignitate, contumacia, ac stoliditate hominum utiles aut necessariæ sunt. Et huc adplicari posse videtur, quod Salvator noster discipulos suos, quos ut oves in medio luporum mittebat, jubet esse simplices ut columbas & prudentes ut serpentes. Nec dubitavit *Paulus 2. Cor. IX.* aperte profiteri, adhibitum à se velut stratagema politicum, dum apud Macedones jactavit, Achajam ante annum fuisse paratam eleemosynæ, ut istos æmulatione ad promtius dandum accenderet. Cæterum cum pravis dominandi artibus mediisque injuste partum imperium stabiliendi, aut legitimum alias imperium injustis amplificandi nobis nihil negotii est.

§. II. Ad illustrationem hujus argumenti, simulque commendationem majorum nostrorum, qui Religionem Christianam à corruptelis humanis repurgatam dedere, plurimum faciet, si expendamus, quam multa dogmata veræ politicæ repugnantia foveantur inter sectas Christianorum, qui à primæva Religionis puritate degeneraverunt. Eorum aliqua speciminis loco heic tangemus. Ex scitis veræ politicæ constat, omnia illa, quæ unionem, qua civitas connectitur, dissolvunt, exitiabile morbum in Republica producere, ac ad convulsionem & ruinam civitatis gradum struere. Talis autem dissolutio emergit, si præter sumum imperium civile fingatur aliqua potestas sacra, cujus subjecta, modusque ejus potestatis exercendæ nulla ratione à summo imperio civili dependeant; quæque adeo absolutam sese Dominam religionis ani-

marumq; ferat: inprimis si illa sacra potestas ullo modo sese extendat ad actiones civium, quæ ad finem civitatis faciunt, adeoque summi imperii civilis directioni subsunt. Hoc enim modo civitatem fieri bicipitem, imo imperium civile potestati alteri subjici, & ab illa velut precario dependere manifestum est. Cum æque imo efficacius imperet, qui est Dominus animarum, quam qui est Dominus corporum; & qui jussis suis vim per comminationem pœnæ æternæ addit, quam qui temporalem duntaxat pœnam repræsentat. Quanquam enim nemo sanus asseruerit, imperio civili fas esse pro lubitu Religionem formare aut interpolare, secus quam clarum Dei verbum tradit: datur tamen via circa Religionem ita in republica disponendi, ut & hæc ex solo Dei verbo constituatur; & summum imperium civile persistat illibatum. Multo major autem proveniet convulsio, si ille Rex sacrorum extra civitatem sit constitutus, ac non sola pietatis opinione, sed etiam mundanis opibus nitatur. Tunc enim universus sacerdotum ordo, qui in civitate vivit, ejusque opibus alitur, & civium animos ab sese habet dependentes, subditus est Principi isti extraneo: id est, externus ille rex sacrorum alias civitates præsidiis suis premit, & tot ibi arces possidet, quot templa & monasteria sunt extructa; & ubi vel paululum ipsius libidini & commodis obviam iverint, in ipsis visceribus periculosissimum iisdem bellum movere potest. Quadrare hæc in potestatem Pontificis Romani, quam sibi hautquaquam suffragante sacra Scri-

ptura

ptura arrogavit, nemo eſt tam imperitus rerum qui neſciat. Huic enim primum fuit, abſolutum ſeſe arbitrium Religionis, & authenticum interpretem divinæ Scripturæ ferre, ſolique ſibi poteſtatem leges circa ſacra ferendi aſſerere; abs quo quicquid eſt ſacerdotum per orbem Chriſtianum dependeret. Ex hoc fonte quid malorum in civitates Chriſtianas profluxerit, tot ſeculorum hiſtoriæ loquuntur Inde enim ipſi uſurpatum ſacris interdicere Regibus & integris civitatibus, easque prædæ quorumvis exponere; ſubditos fide & juramento exſolvere, eosq; in legitimos Principes armare, regna in alios transferre, ſicarios Regibus immittere, per ſacerdotes Principum deſtinata oppugnare, omnes deniq; ad ſuam libidinem temperare. Et licet hoc ſeculo multum de antiqua impudentia remiſiſſe videri velit; manet tamen eadem radix, manent eadem fundamenta, & ad eundem finem licet mediis paulo tectioribus, & modo minus violento tenditur. Ex quibus non poſtremum eſt, quod Jeſuitæ, quos recte militiæ Papalis triarios dixeris, juventutis informationem magna ex parte ad ſe traxerint; qui id potiſſimum negotii ſibi datum judicant, ut ſtudioſa pubes ejusmodi opiniobus imbuatur, quæ maxime ad emolumentum ſacræ iſtius monarchiæ faciunt, ac procul ab illis libris arceantur, qui ad intelligendas ejusdem fraudes lucem præferre poſſint. Cui & hoc accedit, quod ex univerſa juventute diſciplinæ ſuæ commiſſa promtiſſimus quisque ſacramento ipſorum adigatur, velut ſupplendis ſedis Romanæ legionibus.

bus. Ergo Zelotypi ſint circa ſuum imperium qui ſapiunt principes,quo id illibatum retineant: non ferant in ſua civitate æmulam, aut ſuperiorem ſibi poteſtatem; non foveant in ſua civitate, qui ipſorum imperium nolint agnoſcere; multo minus qui extraneo abſolutum obſequium debeant: nec alieni Principis devotiſſima præſidia in ſuum territorium recipiant, & cum liberi ſint,ſervituti ſeſe ſubjicere nolint. Nam valde ſimplex eſt, qui credere poteſt, extraneum principem, quam ſpecioſam larvam pietatis & paternæ caritatis ſibi induerit, magis utilitatem ſtatus alterius,quam proprias opes curare.Bene *Grotius tract. de dogmat.reip. noxiis*: *Imperiis omnibus maximum periculum imminet,ſi eorum omne jus ſubjicitur unius itidem per arma dominantis externæ, aliasq; res ad ſuum commodum trahentis poteſtati: quod malum maxime ſenſit Germania, Gallia & Venetia, non niſi eϐerſa apud populum iſtius aſſeϐerationis ϐi,eϐaſere.*

§. 12. Eſt & inter decreta veræ politicæ,ut quilibet,qui defenſione civitatis utitur,pro virili quoque ad ejus conſervationem aliquid rei aut operæ conferat. Id enim non ſolum æquitati naturali congruit; ſed etiam, ni probe obſervetur,ad oppreſſionem cæterorum civium tendit. Quod enim onus, cui ferendo omnes pariter connituntur, leve eſt; illud, ſi multi humeros ſubtrahant, & id totum in reliquos devolvant, hoſce demum plane affligit. Et quanquam in pleriſque civitatibus certo generi civium à certis oneribus conceditur immuni-

munitas: id tamen ideo factum, quod ab istis insignis quæpiam opera, & quæ cæterorum oneribus prostabilior sit, in rempublicam proficiscatur, aut proficisci judicetur. De cætero autem homines reipublicæ inutiles immunitatibus donare, parem æquitatem habet, ac si quis ignavos & validos nebulones industriis civibus gratis alendos obtrudere velit. Hac in parte quantopere impingat religio Pontificia, manifestum est. Quæ sacerdotibus & monachis quidem immunitatem ab oneribus reip. tribuit, aut si omnino urgente necessitate & ipsi in partem onerum vocentur, id tamen precario à Rege sacrificulo obtineri vult. Et tamen sine fine & modo opes illis undequaque corradere permittit, & gravissime indignatur, si quis eorum avaritiæ limites ponere velit. Sicuti paulo post initium hujus seculi Respublica Veneta experta est. Atqui hac rrtione lenta velut tabe consumi reliquos cives, & plane pessundari in aperto est.

§. 13. Illud etiam veræ politicæ congruit, ut ex civitate otium & ignavia proscribatur; ut omnes cives assvefiant ita se præparare, quo reipublicæ utilem operam exhibere possint; ut non foveantur, qui velut ignavum fuci pecus alieni laboris fructus gratis devorent; ut qui laborare cum possint, non volunt, ne comedant. Hac in parte quantopere impegerit religio Pontificia quis non videt? Quæ cum variis modis libertatem hominum in sui incrementũ accendisset, quo non deessent, qui tantis opibus liguriendis sufficerent, præter complures inutilium sacerdotum classes, varios

quoque greges monachorum, est commenta genus otio devotum, & non nisi fruges consumere natum, præter paucos aliquos, qui in literis nonnihil præstiterunt. Quorum otium tamen & voracitas uti civitatibus magno oneri fuit; ita dominationem pontificiam non parum istorum hominum opera sublevari indicio est, quod unice ab ipso Pontifice dependeant, Episcoporum jurisdictioni exemti, suosq; Generales perpetuo Romæ residentes habeant. Sic ut non solum plebs istorum fucata pietate devincta teneatur, sed & ipsi Episcopi, ne forte in senatum Romanam insurgere queant, per eosdem coërceantur: si nempe contendere velint, non minus sibi jure divino injunctum greges suos pascere, quam Episcopo Romano, eoque sese divinitus instructos omni ea potestate, quæ ad hunc finem facit, nec ut demum eandem Roma petant, necessum esse.

§.14. Nec minus veræ politicæ scitis continetur, operam dare, ut opes civitatis conserventur, & licitis mediis augeantur. Cui repugnat eas vanis aut non necessariis causis ad exteros transferri, illosque nostra pecunia adversus nos ipsos armari; aut saltem sudore nostro voluptatem & delicias suas instruere. Atqui dum religio Pontificia sedem regni sacrorum Romæ collocavit, constat, quam immensa auri vis ex plerisq; Europæ provinciis eo confluxerit, obtentu beneficiorum Ecclesiasticorum, à Pontifice conferendorum, aut confirmandorum, annatarum, dispensationum, indulgentiarũ, & similium pecuniæ aucupiorum; quæ quo largius

arri-

arriserunt, eo majorem Italis præbuerunt occasionem Transalpinorum simplicitatem irridendi. Neq; vero credendum est, alio fine matrimonium inter sacramenta elatum, quam ut suo jure ad Ecclesiasticum forum Pontifex posset trahere causas matrimoniales, lucrosissimas sane ob tot prohibitos gradus jure canonico additos, & maximi alias momẽti, quippe abs quibus legitimi natales, hæreditates, ac jura successionum tam in privatorum bonis, quam integris regnis & statibus dependent.

§. 15. Isthoc quoque dogma vera politica, tanquam ad finem civitatum cumprimis faciens, insigniter commendat, ut civibus quam maxime cordi sit, ob reverentiam divini Numinis recta & ad jus naturale quadrantia opera facere, atq; eidẽ adversantia facinora fugere. Eo meliores enim cives habendi, quo major iis ad legem naturalem sese componendi solicitudo fuerit. Ubi itidem impingit religio Pontificia, dum bona opera, quibus vim merendi æternam salutem adscribit, definit non tam observatione eorum, quæ lege naturali & decalogo præscribuntur, quam præstatione rerum inanium, aut lucro sacerdotibus cedentium, puta abstinentia certorum ciborum, jejuniis, crebro iteratis recitationibus salutationis angelicæ, peregrinationibus ad loca sacra, largitionibus in monasteria, & superflua templorum donaria. Quæ omnia eo tendunt, ut cives velut leve quid habeant vitam ad leges componere, modo sacerdotes sibi habeant propitios. Ex altera parte quam faciles ea persuasio homines ad quævis scelera perpetranda facit, si

credant, quorumvis sese facinorum veniam in tribunali divino obtinere posse, si modo sacerdotibus, (qui ad ea tacenda rigidissime obligantur,) eadem ingenue confessi fuerint, & quam ipsi injungunt satisfactionem, expleverint. Quo ipso revera sacerdotibus nundinatio quædam scelerum indulgetur. Ex hisce satis puto adparere, quantopere sibi etiam propter rationes politicas gratulari debeant civitates, quæ jugum Pontificis Romani excusserunt, & quam diligenter ipsis prospiciendum sit, ne eidem denuo subjiciantur.

§. 16. Videamus paucis, quid dogmatum veræ politicæ repugnantium aliæ quoque inter Christianos errantium sectæ foveant. Sunt igitur inter instrumenta civitati servandæ utilissima leges, quibus hominum malitia utcunque frænatur, ut secure inter se habitare possint. Frustra autem leges istæ civiles feruntur, & inique pœna ob easdē violatas exigitur, nisi penes cives sit eas observare aut violare. Huic dogmati adversantur, qui actiones humanas, super quibus in foro civili ratio solet exigi, fatali cuipiam necessitati, & quæ usum liberi arbitrii in hujusmodi rebus plane extinguit, subjiciunt. Quod dogma Calvinianis quibusdam tribuitur; ac Reip. sane est perniciosissimum. Nam eo non potest non omne studium præclaras actiones suscipiendi, & pravas fugiendi extingui, quippe quod inutile esse creditur, si ad istas libertas hominis nihil confert. Ac inprimis homines desperati, melancholici, ac rationis parum sanæ, ubi semel facinoris quid animo conceperunt, pertinaciter id

per-

persequuntur, quod fatali necessitate ad idem rapi sese arbitrentur, ac demum non citra horrendam blasphemiam causam peccati in Deum referunt,& se non nisi nuda instrumenta, quibus nihil imputari possit,jactant.

§.17.Cum etiam hæc boni civis virtus à vera politica commendetur,ut præsentem Reipublicæ statum amet,& à rebus novandis abhorreat; hac quoque in parte non parum labis adhærere multis Calvinianorum judicatur, dum in democratiam nimio amore propendent, & contra monarchias aversantur,ad easque convellendas sunt proclives. Ejus rei causa quidem peritis rerum non obscura est. Qui enim per Galliam,Helvetiam atque Belgium simul cum Pontificia religione autoritatem Pontificiorum Episcoporum ejuraverant,cum novam Ecclesiæ administrationem instituerent,in democraticam regiminis formam consenserunt, in qua & ministri omnes inter se essent æquales,& ad conventus Ecclesiasticos seniores quoque & diaconi è plebe adsciscerentur. Cum autem semel in rebus sacris plebs ad suffragium admitteretur; proximum fuit, ut crederent, iniquum esse totam civitatem unius hominis voluntate regi. Accedebat quod Helvetii quidem, democratiis innati, non possent non illum statum magni facere;Galli autem & Belgæ, qui à Principibus injustam sese persecutionem pati clamitabant,odium &in hos& in quosvis alios Monarchas conciperent. Uti solitum est hominibus,odisse,a quibus læsus fuisti, odiumque unius in totum genus diffundere. Ac judi-

judicant prudentes, ad turbas istas, quæ superioribus annis Angliam miserrime exercuerunt, non parum contulisse dogmata Genevensia, quæ juventus Anglicana ibidem studiis operata, aut ex eorum scriptis hauserat, & in patriam disseminaverat. Tanti refert, quibus principiis politicis adolescentes imbuantur. Tradit etiam nonnulla insigniter huc facientia *Jacobus VI. Magnæ Britanniæ Rex in dono suo regio lib. 2.*

§. 18. Habet denique hoc in universum tota Fanaticorum natio, ut non minoribus in religione, quam vera in politica erroribus teneantur. Eorum aliqui omnem magistratum civilem abolendum jactarunt, & novum aliquod Christi regnum in hisce terris, cujus scilicet ipsi columina forent, erigendum somniarunt. Alii certas actiones ad civitatum conservationem, posita malitia hominum, necessarias improbarunt; puta, capitali supplicio in sontes animadvertere, aut militare. Imo ad ipsum vitæ genus damnandum processerunt; ut qui negarunt, Christianum bona cum conscientia posse magistratum gerere. Alii divinos quosdam instinctus captarunt, ac quicquid vel morbo affecta mens, vel stupida ignorantia, vel composita in ecstasin nequitia suggessit, pro oraculis & vivendi regulis sibi suique similibus venditarunt. Omnes religionis pariter ac reipublicæ pestes, procul à civitatibus arcendi, quæ tranquillitatem internam amant. Quos & isti non levi cognatione contingunt, quibus imperantium præcepta & jussa, quæ circa res directioni ipsorum subjectas

edunt,

edunt, familiare est conscientiæ suæ qualitercunque informatæ opponere; quique adeo omnes suas actiones, civili imperio obnoxias, non legibus, sed proprio judicio, sæpe immane quantum distorto, metiri pertendunt. Quos in pari cum Regibus fastigio collocari, iisdemque non nisi precario parere velle manifestum est. Verum isthæc omnia prolixius deducere instituti nostri ratio non fert. Nos in hoc voto finimus, ut in regno hoc vera religio, veraque politica perpetuo concordes floreant, & SERENISSIMUS REX NOSTER CAROLUS XI. per omnia pietatis, civilisque virtutis specimina coruscans, Deo bonisque omnibus probatum regimen ad seros annos perducat.

DE
STATU HOMINUM NATURALI.

§. I.

QVi circa corporum naturalium constitutionem investigandam soliciti fuerunt, non satis habuere, faciem eorum exteriorem, & quæ primo statim obtutu in oculos incurrunt, adspexisse; sed & eadem penitius rimari, & in partes, ex quibus componuntur, resolvere præcipuus labor fuit. Quin & demum quicquid est corporum ad primam quandam materiam reducere visum, quæ ab omnibus particularibus formis abstracta conciperetur; ad quam ubi

ubi perventum fuit, ulterius quo progrederentur non habuerunt. Eandem viam inftitere,queis indolem nobiliffimi corporis moralis, civitatis nimirum, curatius perfcrutari cordi fuit; quibus non externam tantum ejusdem adminiftrationem, ac magiftratuum varietatem, ac vocabula claffesque populi evolvere fuffecit; fed & intrinfeca velut ipfius difpofitio, ex poteftate ac jure imperantium, & obligatione civium refultans, perfpecta; nec minus partes, ex quibus vaftum illud corpus componitur, accuratè difcretæ. Quin ad difciplinæ illius perfectionem infigniter facere judicatum, omnes focietates velut transfcendere, & mente concipere conditionem atque ftatum hominum, qualis ille extra focietatem, & ab omnibus artibus & inftitutis humanis vacuus intelligi poteft. Inde enim liquido demum cernere licet, quæ neceffitas ac ratio fuerit focietatum civilium combinandarum, quid poteftatis aut obligationis ex earundem natura promanet, quid commoditatis deniq; ac peculiaris habitudinis inter homines ex iisdem proveniat. Unde ifthæc doctrina fuo fibi jure principem in politica architectonica vindicat locum; fic ut gravi defectu laborare judicandi fint libelli politici, qui iftam ne fummis quidem digitis attigerunt. Quæ & ipfa ratio nos movet, ut materiam ifthanc de ftatu hominum naturali incudi fubjicere jam aggrediamur, quo illa tractatione velut fplendefcat, fimul fimpliciorum quoq; palato fiat accommodatior, omnisq; cavillandi anfa imperitis aut malevolis præripiatur.

§.2.Pro-

§. 2. Propositum est igitur nobis contemplari statum hominum, quo extra societatem civilem vivere, & in quo omnia inventa & instituta humana, queis vitæ huic decor & commoditas fuit conciliata, abstracta intelliguntur. Eum *naturalis status* vocabulo adpellare placet, non solum quia istud à non paucis hoc sensu adhibetur; sed & quia cum usu communis sermonis congruit, naturalia contradistinguere iis, quæ mediante facto humano existere cœperunt. Quod si autem vocabulum *naturale* aut *status naturalis* ab aliis, aut in alia disciplina diverso modo accipiatur, id quidem pace nostra facere licet: dummodo eam, quæ istis placet, horum terminorum significationem cum illa, quam nos jam determinavimus, nolint confundere. Sed & hoc patet per naturalem statum nos heic non intelligere perfectissimam hominis conditionem, aut quam ultimo velut natura intendit, & in qua ut homo persistat, eadem utique velit; aut ad quam velut normã status civitatum, quantum corruptio humani generis admittit, sit exigendus. Nam sane civilis status naturali nostro statu, inprimis ubi singulis in hominibus consideratur, longe existit perfectior; neq; tamen naturæ repugnat, quod homines hoc velut proscripto illum subierunt. Sic neque nobis aliquid est negotii cum *societatis civilis statu naturali & legali*, quem Vir Clar. *Jacobus Thomasius* Lipsiæ non ita pridem comentus est; cui naturalis stat9 societatis civilis est perfectissima humani generis societas, & qualis extitura fuerat, si istud intra primævã integri-

integri-

tegritatem, in quâ à Deo conditum fuit, perſtitiſſet: legalis autem ſtatus, qualis jam intra tantam mortalium corruptelam haberi poteſt; ob quam in civilibus inſtitutis non omnia ad unguem poſſunt exigi, ſed multa imperfecta & vitioſa toleranda ſunt. Enimvero ſi quis eam diſtinctionem accuratius examinare velit, inveniet quæ merito deſiderari poſſunt. Nam primo non video, quam congrue ſtatus naturalis, i.e. ex mente ipſius perfectiſſimus, in quo utiq; perfectiſſimas leges eſſe, iisq perfecte obtemperari intelligitur, ſtatui legali opponatur. Deinde iſthæc diſtinctio ex *Ariſtotele* petita, cui alius natura, alius lege ſervus eſſe traditur, ad ſtatum ſocietatis humanæ minus dextre videtur adplicari. Nam præterquam quod ſervitus naturalis apud *Ariſtotelem* nondum ad liquidum ſit perducta; aut ſaltem ſtatum perfectiſſimum non arguat; gratis quoq; aliquis civitatum ſtatus præſupponitur, in quo cives omnis vitii & malitiæ ſint exſortes. Cum civitates revera ſint medicina quædam humanæ imperfectionis. Id quod inter alia etiam S. Scriptura innuit, dum poteſtatem ſummorum imperantium vocabulo *gladii* notat; cui gladio in perfecto & primævo ſtatu locus non eſt. Unde & abſurdum arbitramur, quod §. 32. de requiſitis belli juſti ex ſtatu naturali, i. e. ex ipſius mente, perfectiſſimo agit. Nam inter illos perfectiſſimus ſtatus non eſt, ubi tale quid committitur, quod bello ſit vindicandum. Inde ſtatus quidem hominum ſeu humani generis diverſus eſſe poteſt; ſed ſtatus ſocietatis civilis in genere conſide-

sideratus uniformis est. Sicuti nec illa satis sibi constant, quod inscriptio quidem istius dissertationis *de societatis civilis statu naturali & legali* loquatur: in §.5. autem eadem distinctio *humanæ societatis* feratur; cum humana societas civili utique longe sit amplior. Sed nimirum uti nos quidem prohibere non possumus, quo minus quis ea distinctione, velut inventis novis insulis auriferis, sibi gratuletur: ita insignem aliquem ejusdem usum perspicere nos nondum potuisse ingenue profitemur; cum aliunde eorum institutorum, quibus illustrandis eadem adhibetur, ratio longe solidior dari possit. Nec tamen si quis eandem mordicus tueri velit, nos eo nomine hæreseos ipsi crimen impingemus.

§.3. Illud præterea in limine hujus dissertationis monemus, nos hominem cum suis inclinationibus heic considerare, prout nunc eum sese habere deprehendimus, abstrahendo, num ab initio diversus ille fuerit, vel non; adeoque nos semper heic naturam hominis pravitate infectam præsupponere. Cum enim propositum nobis sit isthæc dogmata ex lumine rationis deducere, extra rhombum fuerit altius heic velle adscendere, quam quousque nostra ratio sibi jam relicta pertingere valet. Sane enim quæ de statu primi hominis, ex quo ipse peccato suo evolutus est, jam novimus, eam cognitionem divinis literis debemus. Et si quæ ejusdem vestigia apud scriprores Ethnicos occurrunt, ea videntur reliquiæ traditionis alicujus inter antiquissimos mortalium aliquandiu conservatæ

vatæ, donec ea lapsu temporum alicubi plane exolevit, alicubi in fabulosa commenta degeneravit. Inde nec nostræ jam operæ est acquirere, unde illa malitia ac miseria, qua genus humanum nunc involutum cernitur, primitus promanarit; cum sola ratio heic debili progrediatur pede: quicquid sat ingeniose disputet *Mornæus de Verit. Relig. Christ. c. 16. & 17.* Neque verò adparet, quem magnopere usum in doctrina civili habeat, homines in primæva illa integritate constitutos contemplari, ac istorum conditionem statuere velut exemplar, ad quod leges & instituta civilia sint exigenda & adaptanda. Sive enim ponamus civitates inventas dispellendæ indigentiæ, sive ad pariendam securitatem adversus mala, quæ homini ab homine imminent; ad utrumque declarandū non opus videtur præsupponere, humanum genus initio in summa rerum affluentia egisse, ac nulla prava libidine ad mutuo nocendum solicitatum. Nam ea felicitas cum istis finibus, ob quos nostræ civitates jam sunt constitutæ, stare nequit. Ac si quis penitius velit rimari illa instituta, quæ in nostris jam civitatibus malitiam hominum præsupponunt; is facile agnoscet, quam parum cognationis cum iisdem fuissent habituræ majores societates, si quas præter conjugalem & paternam in genere humano integro sibi quis velit deformare.

§. 4. Cæterum hoc loco bifariam potissimum statum hominis naturalem considerabimus. Primo quidem si concipiamus animo hominem sibi soli plane relictum citra omne subsidium humanum post nativitatem ipsi accedens, ac citra omnia inventa

venta humana, queis necessitates aut commoditates hominum sublevantur & promoventur; & ita quidem, ut ponamus hominem non amplioribus animi corporisq; dotibus instructum, quam nunc in eo nulla prævia cultura deprehenduntur, neque eundem peculiari Numinis cura foveri. Ad hanc rem penitus intelligendam age abstrahamus ab illa cognitione, quam super originibus humani generis ex divinis literis hausimus, ac intra limites rationis sibi jam soli relictæ maneamus. Hac igitur duce satis liquido colligere videmur posse, humanum genus non extitisse ab æterno, sed aliquando initium cepisse. Sive autem ponamus unum par hominum ab initio undecunque provenisse, sive plures simul exorti fingantur; miserrimum tamen eorundem statum concipiamus necesse est. Isti enim cum primum undecunque prodirent, vel infantes fuisse ponendi sunt, vel justam staturam jam habentes. Si prius ponamus, atque simul imbecillitatem infantum recens ex utero materno prodeuntium adspiciamus; utique illis misere pereundum fuisse videtur, nisi velut per miraculum brutum aliquod animal ubera miseris præbuerit; id quod de quibusdam expositis antiqui autores memorant. Quod ipsum tamen cum brutis contubernium bestiarum alumno non parum ferinæ indolis daturum erat. Si autem posterius ponamus, nempe primos istos homines justa statim fuisse statura; necessario tamen concipiendi erunt nudi, non nisi inarticulatum sonum emittere valentes, omni disciplina ac cultur

tura vacui; quibus fame vellicante obvium quidvis arreptum gustuque prætentatum fuerit, donec utcunque esui aptum inveniretur, (nam & infantes quicquid adprehenderint ori statim admovere cernimus) sitim obvius liquor levaret, contra injurias aëris antra aut densæ arbores qualecunque suffugium darent. Tales si in terra adhuc plane inculta sibi solis relictos destituamus, quamdiu miserrimam ac fere belluinam vitam acturos fuisse arbitramur, donec propria experientia ac ingenio, aut occasione ex solertia quorundam animalium petita paulatim ad aliquem vitæ cultum proficerent, & varios usus meditando extunderet artes. Id quod facile agnoscet, si quis omnia illa velit circumspicere, quibus jam in vita nostra utimur, & quam difficile cuivis futurum fuerit omnia ista proprio marte invenire, ni aliorum hominum manuductio & opera præiret; imo quam de plerisq; nunquam in mentem plurimis fuerit venturum. Atque hæc causa videtur, quare gemina hisce de conditione primorum hominum tradiderint scriptores ethnici, qui super veris originibus generis humani ex divinis literis nihil didicerant, sed suo tantum ratiocinio ducebantur. Vid. *Horat. serm 1. sat. 3. Lucretius l. V. Diodorus Siculus l. 1. c. 8.* Item quod, cum statum Paradisi ignorarent, finxerint de singulari quadam aëris temperie, terræq; ultronea fertilitate, quæ primis mundi temporibus extiterit; quasi alias genus humanum ita recens enatum servari non potuerit, si ea, quæ nunc est, aëris intemperies extitisset, tantoque labore

bore victus fuisset quærendus. Vid. *Ovid. Metamorph. l. 1. 107. Virgil. Georg. 2. v. 336. Lucretius l. VI. At novitas mundi nec frigora prima ciebat, Nec nimios æstus, nec magnis viribus auras. Veteres Philosophi* apud *Lactantium lib. 2. cap. 12. Non erat*, inquiunt, *in principio mundi hiems & æstas; sed perpetua temperies, & ver æquabile.*

§. 5. Quanquam autem in tali statu & quidem extremo ejus gradu universum genus humanum simul & semel nunquam extiterit; haut abs re tamen est eundem hoc modo velut delineari, non solum ut intelligamus, quam multa bona homines hominibus debeant, eoq; ad φιλανθρωπίαν & socialitatem disponatur; sed etiam quia unus & alter peculiari casu revera in eum penitus, aut in aliquem ejusdem gradum devolvi potest. Ac revera in statum huncce conjicitur infans, qui per scelus parentum in locum vastum, & ab omni cultu humano vacuum, & quo nullus hominibus accessus solet esse, exponitur. Qui plenum specimen status istius repræsentare posset, si contingeret, eum in tali solitudine citra omne humanum auxilium adolescere. Qui autem naufragio aut per vim aliorum nudus, egenus, omnique instrumento destitutus in desertam, planeque incultam insulam ejicitur, ad aliquem duntaxat status naturalis gradum delapsus est, quatenus utique memoriã cultæ vitæ, artiumq; notitiam retinuit, cujus subsidio facilius suis necessitatibus consulere potest. Sic apud *Virgil. Æn. III.* Achæmenidi *dira illuvies,*

immissaque barba, Consertum tegmen spinis, Dum Vitam in sylvis inter deserta ferarum Lustra demosq; trahit. Victum infelicem baccas, lapidosaq; corna Dant rami: & vulsis pascunt radicibus herba. Sic & protoplasti, postquam admisso peccato felicissima Paradisi conditione exciderant, parum ab extremo gradu status naturalis, de quo nobis jam sermo est, abfuisse videntur, nisi qua divina bonitas miseris peculiariter succurrit. Cum enim in Paradiso vestibus non indiguerint, & fructibus horti ultro enatis victitaverint; non adparet, quomodo actualem cognitionem habuerint earum artium, quibus genus humanum jam nativam indigentiam repellit; præsertim si tam exiguo temporis spacio commorationem eorundem in Paradiso cum plerisque circumscribamus. Nisi dicere velimus, Adami in Paradiso scientiam sese extendisse, ipsoque actu jam tunc sese exseruisse circa futura quoque contingentia, & talia quidem, quæ statum peccati præsupponunt, eamque scientiam per lapsum mansisse integram. Quod cum valde difficile probatu sit futurum, simplicius putaverim dicere, ex peculiari Dei gratia & informatione protoplastos ejectos miseriam & egestatem ejus status, in quem devoluti erant, sat mature dispulisse; adeoque ab ipso Deo didicisse usum præcipuarum rerum, quibus vitæ humanæ indigentia sublevatur. Cum enim post lapsum statim iidem præcinctoria sibi è foliis ficulneis contexuissent, materia ad vestimenti usum inepta, & non tam repellendis aëris injuriis, quam velando utcunque

pudo-

pudori inserviente; Deus materiam utrique usui longe aptiorem subministravit, confectis è pellibus animalium tunicis. Quas quomodo alias tam cito in vestes aptare sibi homines potuissent, ferramentorum adparatu destituti, & pecoribus jugulandis nondum adsueti, si divina informatio absuisset, nos quidem non dispicimus. Unde à pari non obscure videmur colligere posse, divinam manuductionem circa alias quoque res istis allubuisse, quæ non minus vitæ humanæ necessariæ quam vestimenta erant, nec minus difficilem primam inventionem habuisse videntur. Sic cum Deus hominem expresse ad agrum colendum ablegaret, & pane eundem deinceps vesci juberet, utique nobis persuasum est, Deum ipsi tradidisse naturam seminum, tempora sementis, modum terram subigendi, ac quomodo ex seminibus panis cibo humano idoneus posset confici. Nam ad hæc omnia proprio marte addiscenda longa experientia & meditatione opus erat. Unde vetustissimos Græciæ incolas, qui nescio quo casu usum frumenti amiserant, legimus diu glandibus & fructibus sponte natis victitasse, antequam agricultura apud ipsos inveniretur. Cum tamen filius Adami primogenitus statim ad agriculturam tanquam artem jam notã & excultam, sese adplicuisse in divinis literis memoretur. Sic Adamum jam habuisse usum ignis & ferri, vel ex sacrificiis sat firmiter colligi videtur. Nam ut Thubalkain primus ferri inventor statuatur ex *Genes. IV. 22.* necessum non est; cum antea usus ferri potuerit esse

ſimplicior; iſte autem inſigni dexteritate in arte fabrili polluerit. Atqui utriusque uſum tam cito potuiſſe iſtis innoteſcere citra informationem divinam, fidem ſane videtur excedere. Sane ignis inventio tanti eſt res momenti viſa veteribus Græcis, ut eum à Prometheo ex cœlo in terram delatum fabulati ſint. Et de incolis inſularum Canariarum & Philippinarum, ut & inſulæ apud Sinas, quæ los Jardenas vocatur, memorant, illos ante adventum Hiſpanorum uſum & notitiam ignis non habuiſſe. Vid. *Georg. Hornius de Origin. Gent. Americ. l. 1. c. 8. & l. 2. c. 9.* Adeoque cum ſemel eo excidiſſent, per complura forte ſecula neque meditatione, neque fortuito experimento eundem inſtaurare potuiſſe. Multæ quoque fuerunt nationes, quæ uſum ferri diu ignorarunt, utut ejus materiam regio ipſarum poſſideret. Sic igitur prima hominum ſtirps ſat maturè ſtatus naturalis incultum exuit, poſtquam DEO docente uſum earum rerum, quas tetigimus, percepiſſet; quæ non ſolum vitæ humanæ cumprimis ſunt neceſſariæ, ſed & inſtrumenti vicem ſubeunt cætero vitæ cultui parando. Quod autem longo pòſt tempore minus culturæ apud quosdam populos deprehenſum eſt, quam apud primos iſtos homines, eorumque ſobolem jam fuit, alicubi quidem cauſa fuit regionis, quam ſortiti ſunt, infelicitas. Alios fortaſſe validiorum violentia in longinquas, incultasque regiones ejectos egeſtas oppreſſit, nullo inſtrumentorum adparatu ex priſtinis ſedibus deportato. In ſimilem inopiam inciderunt, qui migratione in re-

motas

motas terras ſuſcepta per incuriam ejuſmodi inſtrumenta ſecum ferre neglexerunt, aut caſu aliquo iisdem exuti ſunt. Quæ reparare, cum commercia nondum frequentarentur, difficillimum fuit. Etſi alii defectum iſtum adhibita materia minus habili utcunque ſupplere conati ſunt. Sicuti multi populi Americæ in ferri vicem uſurparunt lapides, teſtas oſtrearum, oſſa ac dentes animantium, arundinem & ſimilia. vid. *D. Dapper in deſcriptione Americæ edit. Teuton. p. 11. 149. 157. 171. 301. 418. 632. 643. 650. 653. 654.*

§. 6. Cæterum cupido à miſeria ſtatus iſtius naturalis quam longiſſime diſcedendi ſocietatem inter homines non parum promovit, inſtituta communicatione rerum ad vitæ culturam facientium; per quam omnibus inventa & elaborata velut in medium conferuntur, & cujuslibet induſtria univerſis emolumento cedit; cum alias exiguum valde ſit, quod unius hominis ingenium invenire, aut induſtria elaborare citra aliorum auxilium queat. Cui fini in genere humano receptum per informationem piorum inventa in alios transfundere, operas ſociare, commercia exercere, domicilia conjungere, congreſſus celebrare. Ut tamen ſocietates civiles inſtituerentur, ad hunc quidem finem adeo neceſſarium non videtur, cum & diſcere quid ab aliis, & operas communicare, & res permutare liceat cum illis, qui commune nobiscum imperium non agnoſcunt. Ex conſequenti tamen per civitates cultus vitæ inſigniter promovetur, dum per eas civibus præſtatur ſecuritas, ut & citra impedi-

mentum operi incumbere, & industriæ suæ fructum securius capere queant. Illud tamen observandum, mortalium multos, dum status naturalis miserias dispellere, vitamque copioso adparatu instruere laborant, modum heic excessisse, viamq; ad avaritiam & luxuriam patefecisse, magno malorum proventu genus humanum mundare solitas. Inde & divinæ literæ & sapientum præcepta modum studio adquirendi, ac vitam velut expoliendi ponere jubent; ne circa supervacua sudetur, & breve hoc quod degimus ævi inter inania curarum frustra effluat, nec vigor in debilem mollitiem frangatur. Cum longe melius vita exigatur modico sobrioq; adparatu, & virili patientia ad aspera obdurato corpore, quam per nimias copias, quæ onerant potius, quam instruunt, aut per teneram mollitiem, quæ etiam mediocrium molestiarum sensum exasperat.

§. 7. Altero modo statum hominum naturalem consideramus, prout ille statui civili opponitur, & prout quilibet sui esse arbitrii, nulliqque imperio humano subjectus intelligitur. Qui ipse status vel per fictionem concipitur, vel revera existit. Prius fit, si fingamus ab initio magnam aliquam hominum multitudinem undecunque extitisse sine ulla unius ab altero dependentia; & ut nihil inter ipsos vinculi præter communem naturam intercederet. Aut si fingamus jam totum genus humanum ita esse dissolutum, ut quilibet ab alterius imperio liber sui plane arbitrii intelligatur, nullo itidem vinculo inter homines superstite, quam

quod

quod ejusdem ſpeciei animalia ſint. Hac poſita fictione, quæ facies humani generis futura fuerit, non obſcure ex ſequentibus colligi poteſt. Nam eo minus de hoc laborandum videtur, quod ejusmodi ſtatus revera nunquam in genere humano extitit, nec ut adparet unquam exiſtet; adeoque quod nunquam univerſum genus humanum ſimul & ſemel in ſtatu naturali, iſthoc modo deſignato, fuit conſtitutum. Nam prout divinæ literæ ſuper originibus generis humani tradunt, inter primum par hominum arctiſſima fuit matrimonii conjunctio, in qua Deus uxorem marito ſubjectā eſſe juſſit. Ex his prognati poteſtati patriæ erant obnoxii. Ac cum genus humanum ſemper fuerit per generationem propagatum, ac deinceps quoque ſit propagandum, iſthæc peculiaria vincula nunquam ex univerſo genere humano tolli poſſunt. Aſt qui revera exiſtit ſtatus naturalis, non quidem initio rerum fuit, ſed tunc demum emerſit, quando multiplicari homines in diverſas familias, easq; ſegreges cœperunt ſeparari. Tunc enim qui in eadem familia degebant, peculiari quidem inter ſe vinculo nectebantur, paterno, maritali, aut herili; cum reliquis autem extra familiam conſtitutis in naturali ſtatu verſabantur. Poſt introductas autem civitates illi, quos eadem civitas complectitur, civili invicem vinculo junguntur. Ipſæ autem civitates inter ſe, & qui in diverſis civitatibus degunt, in naturali invicem ſtatu vivere intelliguntur. Sic ut jam in ſtatu naturali invicem vivant, qui neque communem habent dominum,

& quorum unus alteri non imperat,aut subjicitur. Vincula autem consanguinitatis, cumprimis propinquæ, ad benevolentiam quidem mutuam animos hominum fere solent disponere ; per illa tamen sola statum naturalem tolli non arbitramur, nisi peculiare insuper vinculum,imperii quid producens, accedat. Etsi benevolentia, quæ ex propinqua cognatione provenit, ut & peculiaris inter quosdam amicitia, svavi animos vinculo conjungens, non parca velut symptomata status naturalis soleat intercipere aut sedare ; quæ frequentius, atque gravius sese sveverunt exserere inter eos, queis nil nisi humana natura est communis. vid. *Gen. XIII. 8.*

§.8.Præcipuum porro jus, quod statum naturalem comitatur, est, quod qui in eo statu degunt, nemini in hisce terris sint subjecti, nulliusq; præterquam DEI O. M. imperium in se agnoscant. Quo intuitu etiam iste status libertatis naturalis nomine venire solet, per quam quilibet citra antegressum factum humanum sui juris, ac arbitrii, nulliusq; hominis imperio obnoxius esse intelligitur. Etsi alias, si subtiliter rem considerare velimus, utique inter statum ipsum & ex eodem profluens jus aliquid sit discriminis. Quia porro naturalis ista libertas subjectionem duntaxat alterius hominis excludit, nequaquam autem eam subjectionem, qua homo suo Creatori est obnoxius: igitur eadem libertas cum hoc semper temperamento est intelligenda,quo imperio divino in hominem sua constet autoritas. Cæterum quæ liber-

tas

tas hominibus in statu civili degentibus attribuitur, reliquias tantum quasdam libertatis naturalis complectitur Nam liber civis, quatenus mancipio opponitur, id habet, ut actiones suas, ex quibus potissimum lucrum aliquod aut emolumentum provenire aptum est, pro lubitu exercere & adplicare possit, (cum servi contra ad dominorum nutū operas obeant, & quicquid inde provenit, iisdem adquirant;) de cætero tamen non ad legem tantum naturalem, sed & civilia scita, summorumque imperantium peculiaria jussa sese teneatur componere. Etsi isthæc libertas alicubi laxior, alicubi malignior deprehendatur, prout per leges civiles pauca aut plura legi naturali superadduntur. Ac inprimis illæ civitates servitutis nota infamantur, ubi omnia, quæ cives adquirunt, imperantes ad se rapiunt non tam in usus reipublicæ, quam ad libidinem istorum impendendum. De cætero autem isthæc civium libertas, quam personalem solent vocare, sub una reipublicæ forma regulari per se non amplior aut malignior est, quam sub altera: nec qui in aristocratiis aut democratiis degunt, habent, quod se præ regniculis magnifice efferant; cum illi æque atq; hi legibus civilibus sint adstricti, & oneribus, quæ ad conservationem civitatis requiruntur, obnoxii: ab abusu autem imperii nulli reipublicæ plane sit cautum. Ast integræ civitates, quæ & ipsæ personarum moralium rationem habent, in naturali invicem libertate vivūt, quatenus abs nullius extranei imperio dependent, ac principium actionum suarum publicarum in seipsis habent.

bent. Quæ libertas itidem omnibus æque civitatibus competit, quamcunque reip. formam habeant, modo revera sint integræ civitates, ab aliis non dependentes. Adeoq; frustra sibi aristocratiæ aut democratiæ majorem heic libertatis gradum arrogant, utut ex usu politicæ Græcanicæ hoc vocabuli peculiariter istæ præ regnis non citra supercilium jactare soleant. Principes autem hactenus naturali frui libertate intelliguntur, quod in actionibus publicis non ex arbitrio alterius hominis, sed proprio ex judicio dependeant, formato tamen ad legem naturalem divinamq;, & si quæ sunt leges civitatis fundamentales. In privatis autem actionibus supra leges civiles ut tales sint, ut tamen ultro sese ad eas, quarum ratio in ipsos cadit, componere debeant.

§. 9. Ex eo autem, quod in naturali statu viventes nullius hominis imperio subjecti solum Deum agnoscant superiorem, consequitur, eosdem, (si seponantur ea, quæ ex peculiari Dei revelatione fluunt,) in directione actionum suarum nil aliud quod sequantur habere, præter proprium judicium ad legem naturalem rite exactum. Necessum est quippe, ut qui principium agendi in seipso habet, in quantum non est subjectus directioni alterius, actiones suas ex proprio judicio regat. Nam si vel maxime quis alium, quem prudentiorem se arbitratur, in consilium advocet, aut eidem alius ultro consilium suum offerat, utut fortasse eũ audire teneatur, quatenus istius suggestione, quid sana ratio dictitet, liquidius perspicere potest:

ulti-

ultima tamen decisio sui negotii ad quemque redit, cui utique consiliarii sui rationes discutiendæ,& num sibi conveniant decernendum est. Inde & consiliis ipsis in se & directe vis obligandi non inest, sed indirecte tantum, quatenus quis sanæ rationis dictata sibi proposita sequi tenetur. De cætero uti hoc quidem summorum imperantium fastigio non repugnat, ad aliorum consilia audienda obstrictum esse; ita illud cum summo imperio stare non potest, si consiliarii imperantem invitum suo jure cogere queant, ut ipsorum consilium utique sequatur. Adeoque nihil aliud consiliariis relictum, quam rationes ingerere, hortari, obtestari, ad ultimum denique munere suo abire potius, quam in perniciosa reip. consilia consentire. Sicuti proceres regni Chinæ fecisse memorantur *Martinio hist. Sinic. l. VI. p. m. 206.* Ex quo & illud adparet, consiliarium, si bona fide sententiam suam exposuit, de eventu non teneri; & consequenter in summos principes omnium publicorum negotiorum, in quantum directionis humanæ capacia sunt, imputationem ultimò demum redundare.

§. 10. Quia porro homines magnam partem actionum suarum impendunt circa conservationem sui, quam & ratio commendat, & affectus ipsis tantum non inseparabilis, per quam sibi proficua adquirere, noxia repellere student: inde sequitur, quod cuiq; in naturali libertate constituto sui cura post DEUM O.M. primo ad seipsum redeat, adeoque cuilibet maxime sit vigilandum circa dispici-

enda & adplicanda media, quæ ad ſui conſervationem facere judicantur. Ne autem fortaſſe quis arbitretur, infinitam licentiam quidvis agendi hoc modo ſtabiliri ex eo obtentu, quod, cum cuique ſummum velut arbitrium circa ſalutem ſuam conſervandam tribuatur, ad quem finem media inveſtigare & eligere itidem ipſius ſit judicii, ad hoc ut quidvis agendi ſit licentia, ſufficiat judicaſſe, hoc noſtræ ſaluti expedire; probe obſervandum eſt, conſervationem ſui non ita debere pro adæquata omnium actionum regula venditari, ut per eandem quis plane abſolutus intelligatur abs quavis obligatione, quam erga cæteros homines exercendam lex naturalis ipſi adjunxit. Quam ob cauſam etiam illis, qui in ſtatu naturali degunt, utique illicitum habetur, talia media ſub obtentu conſervationis propriæ adhibere, quibus aliorum jus violatur. Quæcunque enim facultas agendi homini tribuatur, ea ſemper intelligenda eſt cum tali temperamento, quod ſana ratio illis ſuggerit, qui meminerunt, alios quoque homines exiſtere, pari cum ipſis agendi facultate & jure præditos, ad quos ipſos cuivis ſemper reſpectus habendus. Unde ſi unicus duntaxat homo in orbe terrarum exiſteret, de eo revera dici poſſet: naturam dediſſe ipſi jus in omnia. Cum enim neque in brutis animantibus, neque in vegetabilibus aut aliis rebus inanimatis exiſtat aliquod jus, quod facultati hominis opponi queat; adparet iſto, quem ſupponimus, caſu nullam fore creaturam, quæ hominem jure impedire poſſet quævis agere, & quibusvis uti, quæ ad

ſui

ſui conſervationem aut commoditatem ullo modo facere judicaret. Aſt poſtquam plures homines orbis capit, non utique ulli homini jus erit talia ſui conſervandi media adhibere, quæ cum aliorum injuria ac pernicie ſunt conjuncta, nullamque rationem aliorum hominum habeant. Adeoque abſurde in ſtatu naturali fingitur aliquod jus in omnia, etiam adverſus ipſos homines exercendum. Quia enim in illo ſtatu cuique jus competit omnibus modis repellendi ab ſeſe, quæ ad ipſius perniciẽ ab aliis eidem intentantur; vanum eſt dixiſſe; cuilibet homini licere in alterum agere, quæ fini videantur. Nam inane & nullum cenſendum eſt jus agendi, cui alter ſuo jure reſiſtere etiã per violentiam poteſt. Patet quoque ex hiſce, abſurde dici; in ſtatu naturali non eſſe locum injuſtitiæ. Cum enim injuſtitia committatur per actum, quo aliorũ jus violatur, & vero cuivis homini jus ſit per ipſam naturam datum, & non ex pacto demum quærendum, conſervandi ſuam vitam, membra ac libertatẽ contra invaſionem aliorum, nulla legitima cauſa ſubnixam: manifeſtum ſane eſt injuſtitiã exerceri, intentato alteriꝰ vitæ, membris ac libertati, malo, cui ipſe probabilem cauſam non præbuerat. Sed & ex iisdem patet, quatenus admittendum ſit, quod aliqui jactant: in ſtatu naturali menſurã juris eſſe utilitatem, ſeu in eo ſtatu cuique jus eſſe agendi, quæ ſibi expedire judicat. Quanquam enim ea locutio commodam poſſit admittere interpretationem, ſeparando utilitatem momentaneam & ſpuriam ab ea, quæ ad diuturnitatem & in univerſum

valet: tamen ab ista locutione est abstinendum non solum, quia usu vulgi utilitas fere opponitur ei, quod decet; sed etiam quia vocabulum utilitatis propriæ excludere videtur respectum ad alios homines, qui tamen à singulis hominibus in directione actionum suarum etiam in statu naturali nunquam plane sequestrari potest aut debet.

§.11. Ex supra dictis etiam fluit; in statu naturali cuique sui defensionem propriis præcipue viribus peragi, aut eorum, quos pactis ad auxilium sibi ferendum adstringere possit. Cum enim qui in eo statu invicem vivunt, neque alterius in se imperium agnoscant, neque alterum suo sub imperio complectantur; patet, neque alios ad ipsorum defensionem peculialiter obstringi, neque ipsos ad sui defensionem pro imperio eos posse adigere. Unde nihil aliud superest, quam ut, cui seipsum servare cordi est, proprias vires expediat repellendis quæ sibi intentantur malis; aut qua istas sufficere desperat, alios ad opem sibi ferendam fœderibus conciliet. Enimvero quia in statu naturali existentes præsupponuntur communi duntaxat cognitione juncti, per quam regulariter cuilibet, ut sibi sit ipse proximus, permittitur; hinc inter istos nemo præsumitur de suo plus dare, quam quo ipse commode carere potest, aut alterius rationibus sese magis adplicare, quam propria salus admittit. Adeoque quia omnia pacta de auxilio alteri ferendo in naturali statu hanc tacitam habent limitationem, quatenus alterius salus & utilitas citra destructionem nostræ salutis & utilitatis à nobis

nobis fulciri promoverique poteſt; inde revera lubrico valde heic fundamento ejus ſalus nititur, qui unice in fide aliorum & pactis adquieſcit. Nam ſi, qui auxilium mihi promiſerat, poſt deprehendat, ſalutem ſuam periclitari, ſi à me ſuas rationes non ſeparaverit, ſuo ſeſe jure à pacto diſcedere arbitrabitur. Sin ex levitate animi, aut amplioris ſpe lucri fidem exuerit, nihil relictum, quam ut propriis viribus infidum ſocium ad pacta ſervanda compellam, adeoque pro uno hoſte duos accipiam. Unde revera illud in naturali ſtatu certiſſimum auxilium, quod quis ſibi præſtare ipſe poteſt; & tanti quisque eſt, quantum ſine aliorum auxilio ipſe valet.

§.12. Quia etiam in ſtatu naturali qui exiſtit, nullius hominis imperio voluntatem ſuam ſubmiſit; inde ſi quis eo in ſtatu injuriam ab altero acceperit, ab ſolo ipſius judicio, ad legem tamen naturalem attemperato, depēdet, exequi an diſſimulare & digerere eam velit, quanti eam taxare, aut quam ejusdem reparationem, & in futurum cautionem exigere placeat. Sic & ſi quid eo in ſtatu ab altero alicui debeatur, non neceſſum eſt, ut jus velut fundatum habere hic cenſeatur, ſententiam alicujus judicis anteceſſiſſe; ſed qui cauſæ ſuæ momenta ad propriæ rationis lancem rite excgerit, eandemque ſecum ſanæ rationi liquido adprobare potuerit, ſatis fundatus in ſua intentione eſſe judicabitur. Ac ubi ab altero, quod debetur, ultro non præſtatur, quisque ſibi exſecutionem eo, qui commodiſſimus ipſi videtur, modo poteſt facere.

Ne

Ne tamen heic quis judicio per vehementiam affectuum, aut proprium amorem corrupto in legem naturalem impingat; rationis utiq; est, ut ubi ad arma jam fuerit perventum, aut mox ad ea sit decurrendum, non repudientur, si qui alii extra studia partium positi intervenire velint, & circa honestam ac decentem litis compositionem operam suam offerant. Sed & ubi in ipsam causam ullum probabile dubium cadat, aut alter testetur, se paratum esse ad faciendum omne id, quod justitiæ congruat, modo super causa prius liquido constiterit; recusare quis non poterit, quin arbitrorum cognitioni causam subjiciat, eo quod isti incorrupte pronunciaverint sententias. Hac enim via causæ firmitas clarissimè perspicitur, simulque prohibetur, ne per impotentiam animi aut πλεονεξίαν in bella injusta & non necessaria ruatur.

§.13. Addendum quoque aliquid de ea affectione naturalis status, qua in eo viventium quilibet alteri natura æqualis censetur. De qua æqualitate ut recte intelligatur, sciendum est, illam non capiendam esse de æquali gradu dotium animi, quibus unum hominem ab altero plurimum differre cernimus; neque etiam præcise de æqualitate virium, prout illa capi videtur ab *Hobbesio de Cive c. 1. §. 3.* eo argumento, quod utique adultus homo alteri cuicunque mortem possit inferre, maximum malorum, quo sese invicem homines mactare valent. Etsi & hujus æqualitatis consideratio non sit inutilis eum ad finem, ut ne quis robore corporis stolide ferociat, aliisque ideo insultare præsumat.

Nam

Nam tantum non eſt diſcrimen virium inter diverſos homines adultos, & integritate membrorum ac valetudinis gaudentes,ut qui uni præ altero adeſt major gradus virium, ſupra omnem læſionis aleam eundem conſtituat. Præſertim cum quod viribus deeſt, ſolertia & dexteritas ſupplere queat; & quem aperto Marte aggredi quis non audet, inſidias eidem ſtruere poſſit; denique qui ſingulos non timet, à multis ſibi cavere debeat. Enimvero æqualitas,quam hoc loco potiſſimum intendimus, in eo conſiſtit, quod non ſolum ea obligatio, quæ homines ad obſervandam erga ſe invicem legem naturalem ſtringit, æqualiter ſeſe habeat, ita ut nemo ab eadem vel plane ſit exemtus, vel laxius quam alter teneatur; ſed & quod quilibet in naturali ſtatu poſitus par jus ac parem poteſtatem in ſe habeat ad ſe conſervandum, ſuaſque actiones ad proprium arbitrium, prælucente ſana ratione, dirigendas. Ex quo conſequitur, quantacunque homo quis bona præ altero homine forte poſſideat, æque tamen officia legis naturalis adverſus alios eidem eſſe exercenda, ac ipſe ab illis exſpectat; nec per ea cuiquam plus licentiæ dari aliis inſultandi: adeoq; quod quis ſibi non vult fieri, nec alteri eſſe faciendum. Sicuti nec vice verſa ſi parcior in aliquem natura videatur fuiſſe, non ideo per ſe condemnatus ſtatim eſt, ut circa fruitionem juris communis ſit deterioris conditionis, aut ut ſua ſalus minus ipſi cordi eſſe debeat,quam aliis.Sed quę unus ab altero expectat, eadem cæteris paribus ab eodem alter quoque expectare poteſt; & quod

juris

juris quis in alium ſtatuit, eo & ipſum uti convenit. Nec minus ex hoc adparet, neminem ſibi peculiare jus fingere debere adverſus alios valiturum, quod non aliis viciſſim pari in caſu exercendum competat; ac neminem indignari debere, ſi alius citra cujusquam injuriam ſuo agit arbitrio, ſuiq; conſervandi omnia media licita adhibeat; aut ſibi ejusmodi eminentiam arrogare, ut nullo antegreſſo idoneo facto alios ſibi obnoxios poſtulare velit. Sic v. g. valde improbum foret, ſi quis religioni ſibi non duceret aliis ſua eripere, taliterque erepta juſte ſibi adquiſita duceret; & tamen prætenderet, ſemel ſibi utcunque adquiſita nullo modo alienari poſſe. Hoc enim pacto tale jus in alios ſtatuit, quo alius adverſus ipſum uti recuſat. Sic & intolerandæ damnandi ſunt inſolentiæ, ſi qui dogma illud Græcanicum de ſervis natura ita explicarunt; quaſi cæteris jus eſſet per modum venationis iſtos ſubigere, aut eo ſolo nomine, quod barbarorum ignominioſo vocabulo notarentur, invitos in ſervitium abſtrahere. Contra, ſi verborum ferociam removeas, maſcule naturalem æqualitatem æſtimabat Arioviſtus, dum Cæſari reponit: *ſi quid ipſi à Cæſare opus eſſet, ſeſe ad eum venturum fuiſſe: ſi quid ille ſe velit, illum ad ſe venire oportere. Si ipſe populo Romano non præſcriberet, quemadmodum ſuo jure uteretur, non oportere ſe à populo Romano in ſuo jure impediri,* apud *Cæſarem de B. G. l. 1.*

§. 14. Probe tamen heic obſervandum, etſi jus, quod naturalem ſtatum comitatur, æqualiter videatur

deatur competere quibusvis, qui in eo statu degere dicuntur: id tamen longe dispari sese velut facie exserere in singulis hominibus, aut segregibus patribusfamilias, & integris civitatibus, prout quisque a viribus naturalibus est instructus. Quæ enim libertas naturalis in civitatibus integris splendidissimum ac nobilissimum jus habetur: ea ipsa si in singulis, & qui sibi solis relicti sunt hominibus concipiatur, usque adeo adpetenda non est, ut potius quantocyus cum subjectione civili sit permutanda, generis humani multiplicatione posita. Scilicet quia in plurimis mortalium proclivitas deprehenditur alios opprimendi, rebusque suis exspoliandi; inde parum alicui prodest sui esse arbitrii, nî talibus sit succinctus viribus, ut se contra aliorum violentam invasionem tueri queat. Inde & rationis est, ut qui virium suarum imbecillitatem sentit, libertatem & æqualitatem suam adversus validiores intempestive ne jactitet, nec eam efflictim nimis depereat; sed potiorem salutis conservationem habeat, & quatenus sibi soli relictus aliis prædæ futurus erat, à subjectione potentioris præsidium sibi, quam mollissimis potest conditionibus, conciliet.

§. 15. Superest ut videamus, quam habitudinem status naturalis, in respectu ad alios homines considerátus, obtineat; seu quod eodem redit, an qui in statu naturali vivunt, se invicem amicos, an vero hostes habere debeant. Ubi quid pronunciandum sit, mea sententia optime invenêt, qui penitius expenderit, tum quæ hominum sit eo in statu con-

tu conjunctio, tum quæ mutuæ sint ipsorum inclinationes. Conjunctio illa absolvitur partim naturæ similitudine, partim Creatoris O. M. per legem naturalem dictatô. Similitudinem naturæ in universo genere humano etiam illi agnoscunt, qui ex uno pari conjugum quidquid est mortalium ortum traxisse ignorant. Etsi enim mira varietas & in externa corporum habitudine, ac in animis deprehendatur; ea tamen tanta non est, quo minus dici queat, unum æque esse hominem quã alterum. Eam autem naturæ similitudinem in quovis animantium genere ad conjunctionem non parum conferre, perque eandem ista inter se conciliari tralatitium est. Ipsa autem lex naturalis utique dictitat, nefas esse cuivis homini, etiam qui in naturali statu nobiscum vivit, nocere, aut per ludibrium insultare: sed contra officia humanitatis erga quosvis exercere & pacta conventa, cum quibuslibet inita servare præcipit Quam legem si quis dolo malo violaverit, etiam sola ratio suggerit, id ipsum impune non laturum. Accedit, quod homini perpetua solitudine nihil tristius; conversatione autem nihil sit jucundius. Sic ut monstro similis sit futurus, si quis omnes in universum homines aversetur. Igitur id solum necessum est, ut quibusdam hominibus sit conciliatus homo, & amicum sese adversus eosdem gerat, nempe illos, quos sua conversatione complecti cupit. Deniq; cũ manifestum sit, plurima commoda, nec pauciora mala ab aliis hominibu s in hominem redundare

posse,

posse,prout benevolo aut infenso in ipsum animo fuerint; necessum est ei, qui salutem suam amat, tum ne alios per injurias in se irridet,tū ut saltem adversus illos amicū se ferat,quorū ope ad necessitates aut incommoditates suas carere non potest.

§. 16. Ex adverso constat, homini amorem proprium suamque utilitatem & gloriam fere inter prima haberi. Eoq; istius, ex quo nihil aut parum in nos proficisci videtur posse,exigua fere habetur ratio. Nam quæ nuda, eaque undiquaque sterili benevolentia continentur amicitiæ, inter mortales oppido quam raræ sunt. Enimvero per istum amorem sui non rite temperatum, non tantum benevolentia adversus alios homines valde retunditur; sed & sæpe talis in homine paritur inclinatio, ut aliis ultro noxam inferre cupiat. Cui enim ignotum est, quam sæpe propriæ cura utilitatis,ad rectam rationem non probe exacta,homines subigat,non modo aliorum hominum commoda susq; deq; habere, sed & eadem directe impugnare,& ex aliorum incommodis suum emolumentum quærere, lege naturali nequidquam diversum ingerente. Cum autem aliis sua utilitas æque cordi sit, non possunt non frequentissime hac ex causa homines inter se committi. Sic quid vulgatius est in genere humano,quam ut quis ad proprias opes cumulandas alterum fortunis evertere aggrediatur: ut ad potentiam & gloriam sibi parandam multa hominum millia perdere egregium facinus ducat: ut denique per ingenii malignitatem aliis insultare pro delectamento habeat,& ex aliorum dolore volupta-

luptatem sibi quærat? Quæ pravitas id quoque mali parit, quod per eandem etiam modestioribus ingeniis, & qui alias libenter suis rebus contenti aliena non adpeterent, & quieti suæ incumbentes aliis nihil negotii facesserent, tantum non necessitas adferatur pacem abrumpendi, & quibuscunque mediis contra istam sese muniendi. Semel autem commisso bello non isti solum, quos inter rixa primum conflata fuit, ad mutuum exitium connituntur: sed & vicini non parum inquietantur, ac sæpe præter votum bello involvuntur. Sicut unius turbulentia multos etiam modestos perpetuis litibus exercitos tenere possit. Præterea & in plerisque mortalium ea est ingenii pervicacia, ut non solum quam ipsi undecunque hauserunt opinionem pro vera habeant, & ab omnibus pro tali agnosci cupiant; sed etiam diversa sentientes eo solo nomine oderint, & gravissimis malis mactare laborent, quod ab ipsis dissentiant. Denique & hoc frequenter contingit; ut plurium utilitates velut collidi videantur, & ad eandem rem plures animum adjiciant, quam neque communiter possidere velint aut possint, nec unus eandem alteri lubens concedere dignetur. Quæ pestilentissimum Eridos pomum repræsentare suevit. Inde est, quod inter eos, qui in naturali statu invicē vivunt, præsertim si per opportunitatem situs nocendi fit invicem facultas, tantum non perpetuæ vigeant suspiciones, ac mutua diffidentia. In multis quoque deprehendatur cupiditas aliorum vires subruendi, & incrementa præpediendi, ex aliorum ruina vires

ſuas augendi, data denique occaſione alios præveniendi & opprimendi.

§. 17. Hæc omnia igitur qui curatius expenderit, ſane fatebitur, in unum quidem extremorum impingere, qui nimis crude ingerunt: nullum homine eſſe animal manſvetius; eoque vel ſolam reverentiam legis naturalis, quæ nefas eſſe dictitat hominem homini nocere, vel etiam pacta, fidemq; datam incolumitatem & ſecuritatem hominum ſatis munire. Cum utique conſtet, longe maximam partem malorum & moleſtiarum, quæ hominem in iſthac mortalitate premunt, ab aliis hominibus provenire. Ex adverſo autem non paulo nocentius impingunt, qui ſtatum naturalem bellum eſſe pronunciant, & quidem omnium in omnes, ſeu quorumlibet in quoslibet, qui in eo ſtatu invicem vivunt. Sane enim bellum involvit profeſſum animum alteri quocunque modo nocendi, ſimulque idoneum adparatum hoſtilitati exſerendæ. Atqui multis nunquam fuit aut eſt animus aliis nocendi; puta, qui longiſſimis locorum intervallis disjunguntur, aut qui per modeſtiam, vel quia rebus ſuis id conducere non arbitrantur, aliorum rebus non imminent. Sunt etiam, qui pacatum in nos animum verbis fideque data conteſtantur, & adparatum, quo nobis nocere poterant, diſſolvunt, ac bona fide ad quietem ſeſe componunt. Tales quo colore inter hoſtes noſtros numerabimus? Imo cum nullus homo aliorum hominum auxilio carere queat, quod nequidquam ſperaverit, ſi erga iſtos hoſtem ſe exhibuerit; ipſa propriæ conſer-

vatio-

vationis ratio prohibet, ne quis omnes homines pro hostibus tractare possit aut velit. Et quanquam insita mortalibus malitia, quæ sese quam maxime in noxam aliorum effundere gaudet, nunquam penitus heic exuatur & corrigatur; tamen quia illa non quavis occasione sese vult expromere, sæpe etiam volentem facultas destituit; non adparet, quare propter eam solam, nondum in aliquos hostilitatis actus erumpentem, quis statim pro hoste haberi possit. Adeoq; cum causæ, quæ homines invicem collidere idoneæ sunt, vel universales non sint, vel non perpetuo in actus hostiles erumpere soleant: sane cædem non sufficere judicandæ sunt, ut ita simpliciter status naturalis pro statu hostili declarari queat. Ex quibus & hoc patet, falso à non nemine tradi; injustitiæ in statu naturali nullum esse locum, ubi nulla pacta intervenerunt. Equidem circa hostes, in quos nobis justa bellandi causa est, obtinet illud Poëtæ: *Dolus, an virtus, quis in hoste requirat?* Et, *Arma tenenti Omnia dat, qui justa negat.* Sed cum ostensum sit, nequaquam hominem eo solo, quod in statu naturali vivit, alteri cuicunq; hostem esse; & ex adverso constet, hominibus illa, quæ ab aliis violari nefas sit, non ex solis pactis esse quæsita, sed non pauca ab ipsa natura esse data: quis negabit, injustitiæ locum esse, si in eo, quicum in naturali statu vivitur, id violetur, quod soli naturæ in acceptis refertur? Sic nec illi sunt ferendi, qui ita crude jactant; qui nobis nocere potest, eundé & velle nocere; adeoq; si occasio offeratur isti nocendi, eam nequidquam

esse

esse prætermittendam; quod certum sit, alterum, si ipsi detur occasio, non omissurum, quin nos perdat. Enimvero hactenus tantum, & sub hac correctione ista sententia admittenda est; qui nocere potest, ille & nocere velle potest, seu eundem etiam facile libido nocendi subire potest. Igitur hoc sanæ rationis est, ut istum accurate incipiamus observare, & maturè innoxia munimenta nobis circumponamus, ac nostras quoque vires augere, aut amicos nobis adjungere studeamus. Tum etiam si videamns eundem injustis mediis & per oppressionem aliorum potentiam suam auctum ire, ad ipsum in ordinem redigendum inita cum oppressis societate incumbamus. Ast ut incertus & in futurum prominens metus causam mihi det certũ præsensq; malum alteri intentandi, id vero nulla ratio admiserit; quippe cum hoc modo conjunctio illa naturalis inter homines plane tolleretur, ac vita humana ad gladiatoriam conditionem redigeretur, ubi aut occumbendum aut occidendum; qua ad conservationem hominis nihil ineptius. *Gellius lib. VI. c. 3. Neq; humanæ vitæ negotia & actiones & officia vel occupandi vel differendi, vel etiam ulciscendi, vel cavendi similia sunt pugnæ gladiatoriæ. Nã gladiatori composito ad pugnandum, pugnæ hac proposita sors est, aut occidere, si occupaverit, aut occumbere, si cessaverit. Hominum autem vita non tam iniquis neq; tam indomitis necessitatibus circumscripta est, ut idcirco prior injuriam facere debeas, quam nisi feceris, pati possis.*

§. 18. Quæ cum ita sint, manifestum est, mediam quan-

quandam viam heic esse tenendam. Nam uti status naturalis propter conjunctionem hominum, tum ex similitudine naturæ, tum ex mutua indigentia, tum ex dictato legis naturalis pacem ingerentis resultantem, pro bello proprie dicto haberi nequit: ita idem ob malitiam hominum, cupidinumque & affectuum rectæ rationi obluctantium vehementiam indolem pacis satis lubricæ & infidæ habebit. Sic ut ideo quemlibet nobis amicum præsumere debeamus, animumque gerere promtum ad officia pacis & humanitatis adversus quemlibet exercenda, qui ista admittere velit: & nihilominus salutis nostræ solicitam semper curam agere, eamque ita munire, quasi aliorum amicitiæ parum sit confidendum; nec unquam per fiduciam alienæ probitatis aut innocentiæ in supinam nos negligentiam relaxemus.

§. 19. Ex hactenus traditis facile adparet, accuratam status naturalis notitiam multa suggerere civitatum rectoribus posse, quæ & circa extraneos, & in ipsa civitate observatu quam maxime necessaria sunt. Ac primo quidem, quia non omniū civitatum vires ad æquilibrium sunt redactæ, aut unam à pluribus simul invadi contingere potest; & verò communis hominum cognatio debilius vinculum est, quam ut propter illud solum operosa aliorum auxilia sibi quis spondere possit: igitur ad conservationem civitatum facit, mature sibi amicos & socios quærere; postquam non facile ad auxilium ferendum accurrit, quîcum nihil unquam nobis fuit commercii, & cujus nullam

antea

antea rationem videmur habuisse,nisi præsenti periculo admoniti; præsertim cum ejusmodi auxilium multo fere adparatu opus habeat. Ut autem quis in altero fiduciæ quid locare queat, etsi non parum faciat religio fidei,sanctum mortalibus nomen; tamen quia regulariter homini conservatio sui ante respectum aliorum habetur: inde isti potissimum quærendi sunt socii,quos communis nobiscum utilitas jungit,& quorum interest nos salvos esse.Equidem ut quis in aliorum sese accingat auxilium,fas humanitatis,misericordia,decus,gloria speciose ingeruntur. Enimvero sola hæc vocabula sæpe non nisi sterilem eliciunt affectum, aut languidius procurant auxilium, quam quod dispellendis nostris necessitatibus sufficit. Ast ubi præsens ex societate alterius emolumentum allubescit, aut quando ad nos trajecturum est incendium,ubi proximi domus in cineres consedit; tunc demum bona fide & enixe pro aliis depugnatur. Quin & cum rectoribus civitatũ hæc prima incumbat obligatio,civitatis suæ conservationem quærere,sane per istam prohibentur statum suum pro altero periculo exponere,nisi quatenus concurrens utilitas admiserit. Sic ut quibusvis fœderibus hæc tacita inesse limitatio intelligatur; quatenus per ista salus nostræ civitatis non est periclitatura. Ac nihil frequentius historias evolventi occurrit, quam commutatis temporibus atque utilitatibus fœdera ultro expirasse. Unde & hoc patet,quam necessarium sit rectoribus civitatum, & qui istis consilia subministrant, non suæ solum sed & alia-

rum rerumpublicarum conditionem, & in quantum communi nobiscum utilitate jungantur, nosse, ut ad quorum amicitiam adplicare nos debeamus, liquido judicare liceat. In quo ipso non affectus consulendi, sed salus civitatis cynosuræ loco respicienda est.

§.20. Deinde cum status naturalis habeat indolem pacis sat lubricæ & parum fidæ, rectorum civitatis est solicite circumspicere, & observare consilia & actiones eorum, ex quibus ullo modo suæ civitati damni quid inferri possit; ne fortasse ipsis dormitantibus aliquid in eosdem cudatur, quod postea elusisse serum sit, & ut ipsi in tempore opponere queant, quæ ad securitatem propriam faciunt. Prorsus uti Poëta Argum repræsentat: *Centum luminibus cinctum Argus habebat. Inde suis vicibus capiebant bina quietem; Cætera servabant, atque in statione manebant. Constiterat quocunq; loco spectabat ad Iö: Ante oculos Iö quamvis aversus habebat.* Cui fini recentioribus temporibus instituti sunt perpetui seu residentes legati, queis præter negotia, quæ subinde inter duas civitates intervenire solent, & ad quæ expedienda peculiares legatos mittere onerosum foret, id quoque potissimum incumbit, observare quæ apud alios agitantur, quæ ullo respectu nostram civitatem possunt tangere. Atque hæc professa velut curiositas aliorum destinata expiscandi nihil jam injuriæ aut offensæ judicatur habere, postquam cultiores populi mutuo istam consensu receperunt, eamq; adeò veniam dant petuntque vicissim.

Et

Et quatenus ea inter media nostræ conservationis adhibetur, eo ipso quoque naturaliter licita habebitur. Neque vero alicui injuria fit, si quæ ipse in alterius fraudem machinatur, ab hoc solerter eludantur. Quod si autem ea occasione quid eliminetur, quod in damnum civitatis redundat, garrulitas aut proditio ministrorum vindicanda fuerit, per quos ista arcana emanarunt.

§. 21. Ex indole quoque status naturalis id consequitur, ut, quibus conservatio sui curæ est, quantum in se, opera danda sit, ne alius quispiam enormia nimis & superflua virium incrementa capiat, & quæ ipsi opprimendo sufficere possint; utque adeò vicinarum vires in æquilibrio teneantur. Id quod tamen hautquidquam eo extendimus, ut adprobare velimus ea bella, quæ nullam aliam habent causam justificam, quam ut gliscentes vicini vires coërceantur; præsertim si hic eas legitimis mediis quæsiverit, puta hæreditate, dote, ultronea submissione aliorum, industria civium, aut alia quadam fati benignitate; ac ipso vitæ suæ tenore testetur, cupidines suas circa propria duntaxat conservanda occupari, ad aliena rapienda non extendi. Verum istam aliorum vires nimis exuberantes librandi licentiam per talia duntaxat media exerceri volumus, quæ cum aliorum injuria non sint conjuncta. Puta, ne pecuniam nostram temere in alterum transferamus, eoque dum nos exhaurimus, alterum locupletemus. v. g. Sit aliqua civitas, quæ mercium hinc inde transportationem sibi soli vindicare voluerit, aut quæ

suas merces aliis obtrudendo eorum opes ad se derivare aggrediatur. Heic sane recte faciunt cæteræ civitates, si ipsæ commercia sua per se exercere instituant, aut eas importari merces prohibeant, quibus per stultitiam aut luxuriam civium pecunia ipsorum ad alios devolvitur. Sic si præpotentem civitatem vel externus hostis invadat, vel intestine agitent turbæ, non injuriam faciunt aliæ civitates, quarum interest ejus potentiam imminui, si ipsæ interea eandem cum hostibus colluctantem destituant, nec quo minus illa mala extrahantur prohibeant, quousque ista defatigata nimias vires decoxerit. Sic quia utique fas est auxilium illi ferre, qui ab altero injuste invaditur, aut cui jus suum denegatur: igitur si præpotens civitas alios injustis bellis lacessat, aut jus iisdem reddere detrectet, prudenter cæteri faciunt, si ubi implorantur, hac occasione usi cum illo, qui injuriam patitur, sese conjungant, societatisq; viribus eundem in ordinem redigere laborent.

§. 22. Sed & consideratio naturalis status non pauca suggerere potest, quæ salutariter in ipsa civitate observantur. Ac illud quidem manifeste exinde colligitur, civitati operam esse dandam, ut post DEUM O. M. ei in seipsa præcipua sit fiducia reposita; utque adeo propriis præcipue viribus nitatur. Cum enim propter insitum quibusvis amorem propria salus cuique maxime sit cordi, quam plerique aliorum incolumitati longe præferunt; patet valde infelicem esse, & vix aliud quam precarium ducere spiritum rempublicam, quæ sum-

mam ſpem in alieno auxilio collocare ſemper cogitur, aut quæ aliorum invaſiones pecunia data donisque redimit. Inde rectoribus civitatum quam maxime incumbit eniti, ut ipſarum vires propriæ ſint quam validiſſimæ. Id quod obtinetur, ſi ea quæ ad rem militarem faciunt quam optime ſeſe habeant; ſi viri, arma, equi, naves ſemper ſint in promtu, fineſque regionis, ac præcipua loca probe ſint munita. Neque eadem cura relaxanda aut negligenda, licet per longum temporis ſpatium pax civitati arriſerit; cum ſummo in periculo verſentur civitates, quas diuturna pace languentes, & in otium reſolutas repentinus hoſtis invadit; cui oppoſitæ tumultuariæ & inexercitatæ copiæ nil niſi ſtragem augent. Sed & divitiæ civitatis per licita media quantum fieri poteſt, augendæ aut conſervandæ, ac pacis cumprimis tempore, ut ærarium juxta & privatæ civium facultates gliſcant providendum, quo ingruente bello ſumtibus ſufficere queant. Neque enim bellum ſemper ſeipſum poteſt alere; & lepide Flaminius quondam Philopœmenem, cui à pecunia deſtituto miles in promtu erat, dixit, pectus quidem & brachia habere, ſed ventre defici.

§. 23. Præterea ſtatum naturalem ſingulorum hominum ejusque miſeriam conſideraſſe, plurimum facit ad hoc, ut cives ſtatum civilem ament, & ad eum conſervandum omni ſtudio incumbant; ſimulque libenter tolerent illa onera, quæ tuendis civitatibus ſunt neceſſaria. Hæc enim opera minima pars ſunt eorum malorum, quæ vitam

diſſolutam comitatura erant; quibus immerſus longe miſeriore futurus erat conditione, quam qui in civitate duriſſimum videtur vitæ genus agere. Ex adverſo qui de ſtatus iſtius naturalis miſeria nihil unquam cogitavit, is ægro animo fert onera, quæ per imperantes civibus imponuntur, tanquã ſupervacua, aut ad moleſtiam plebi faciendam, aut ambitioni tantum & luxuriæ imperantium alendæ inventa. Cum tamen qui ritè rem expenderit, non magis ſuper iſtis querelam moveri par eſſe agnoſcat, quam ſuper pretio veſtium aut calceorum, quibus corpus contra injurias aëris, offenſásque munitur. Imo qui ſtatum huncce naturalem probe cogitaverit, æquiore animo feret incommoda, quæ aliquando ab ipſis imperantibus præter rationem experitur. Quippe cum in ſtatu civili iſta inter rariora habeantur, & quæ interventu meliorum penſantur: in naturali autem ſtatu paria iſtis aut graviora mala tantum non quotidiana erant, ac ſine fine & modo expectanda. Atque iſta incommoda cordatus civis haudquidquam indoli ſtatus civilis per ſe adſcribet, eoque nomine in iſtum iniquiore erit animo; ſed communem potius rerum humanarum imperfectionem agnoſcet. Cum enim civitates præcipue inventæ ſint adverſus mala, quæ homini ab homine imminent, cui fini utique alii homines fuerunt adhibendi; ita accurate provideri non potuit, quin interdum aliquid malorum promanaret ex illis ipſis hominibus, quibus ad averruncanda mala humana nos ſubjecimus. Et hæc qui probe

per-

perpenderit, facile si quæ sunt incommoda status tolerat, nec ad res novandas est proclivis; præsertim cum post mutationem fere magis alii homines, quam alii mores succedant; & pleræq; in rep. mutationes per bella civilia fiant ; quæ inter gravissima civitatum mala merito habentur.

§. 24. Denique & hoc ex supra dictis colligitur, rectoribus civitatum procurandum esse, ut ex ipso velut ambitu civitatnm proscribantur ea, quæ status naturalis, quantum is civili opponitur, sunt propria; utque adeo cives neque inter se, neque in respectu ad imperantes ita sese habeant, prout illi, qui in naturali statu invicem vivunt. Tali enim modo vinculi civilis convulsionem oriri necessum est. Inde civibus non est permittendum jus in armis habere, aut injurias sibi illatas bello privato exsequi, jusque sibi ipsis velut dicere. Nam hac ratione vitæ civili inquietudo & lubrica securitas status naturalis conciliatur. Qua super re solicite quoque præcipit *Jacobus Rex Doni regii l. 2. p. m. 79.* Et concedendum non est , unius civis potentiam in tantum excrescere , ut ea contra opes totius civitatis aliquid valere queat. Huc enim qui excessit, non aliter considerari potest, quam talis, cui libertas naturalis competit, quique adeo civitati non necessario , sed tantum precario paret. Cumque tam amabiles res habeatur hominibus summo imperio potiri , facillime hunc, ut eidem manus injiciat, libido subire potest. Adeoq; nihil propius est , quam ut præpotens ejusmodi civis in hostem præsentis status evadat eo periculosio-

rem, quod jam intra ipſa velut mœnia ſit receptus. Eandem ob rationem cavendum eſt, ne in civitate factiones oriantur, aut ſi ortæ ſint, quantocyus diſſolvantur. Illæ enim ubi vires ſumſerint, nova velut civitas in media civitate extruitur. Cum autem factio nunquam ſe ſatis tutam arbitretur, quamdiu il'a pars civitatis, cui jure ſumma rerum competit, eſt incolumis: manifeſtum eſt, factionem omni occaſioni imminere, ut oppreſſa altera parte ſummam civitatis ad ſe trahat. Atque iſta in præſens pro ratione inſtituti noſtri ſufficiant.



BUL-

BULLA
CLEMENTIS IX.
PAPÆ
SUPER

SUPPRESSIONE QUORUNDAM
ORDINUM RELIGIOSORUM.

ACCESSIT
BREVIS COMMENTATIO
AD EANDEM.

SANCTISSIMI DN. D. CLEMENTIS DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ IX.

Suppreſſio Congregationum Canonicorum S. Georgii in Alga Venetiarum, ac Fratrum Jeſuatorum, & S. Hieronymi de Fæſulis.

CLEMENS PAPA IX. AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

ROMANUS Pontifex agri dominici curæ more ſeduli patrisfamilias jugiter invigilans, ad evellendas inde religioſorum Ordinum atque Congregationum plantas, quæ deficiente primævo religioſitatis vigore, atq; ſpiritu, nullam ſeu valdè modicam in Eccleſia Dei utilitatem præſtant, nonnunquam adducitur, ſicut publico ejusdem Eccleſiæ bono conducibile in Domino arbitratur. Hac conſideratione, aliisq; graviſſimis, & rationabilibus cauſis Nobis notis adducti, Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deq; Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine congregationes Canonicorum Sancti Georgii in Alga Venetiarum,

rum, ac fratrum Jesuatorum Sancti Hieronymi, & fratrum ejusdem Sancti Hieronymi de Fæsulis sub regula Sancti Augustini, unà cum omnibus earum respectivè dignitatibus, officiis, omnique conventualitate, collegialitate, titulo, essentia, ac denominatione, tenore præsentium perpetuò extinguimus, supprimimus & abolemus. Ac universa earundem Congregationum sic suppressarum respectivè bona mobilia, & immobilia, tàm sacra, quàm profana, Conventus, Collegia, Monasteria, domos, vineas, prædia, canones, responsiones, fructus, introitus, & jura quæcumque, ubicumque locorum existant, nostræ & Sedis Apostolicæ dispositioni in usus, & opera pia per eos, quibus id à Nobis & Sede præfata commissum fuerit, convertenda reservamus. Præterea Canonicis, & fratribus dictarum Congregationum suppressarum, qui nunc vivunt, & in eisdem Congregationibus respectivè professionem emiserunt, facultatem transeundi ad aliam quamcumque Religionem ab eadem Sede approbatam, in qua benevolos invenerint receptores, aut remanendi in sæculo in habitu Clerici secularis sub jurisdictione, & obedientia ordinariorum locorum, ubi eos morari contigerit, cum provisione ipsorum singulis pro alimentis, Clericis quidem in summa quadraginta scutorum monetæ Romanæ, Laicis verò seu Conversis in summa viginti scutorum spatium annis singulis donec vixerint, seu aliunde sufficienter eis provisum fuerit, super certis bonis, aut reditibus Congregationum suppressarum hujusmodi

respectivè per eosdem Ordinarios assignanda, tribuimus & impartimur. Postremò ne Ecclesiæ earundem Congregationum suppressarum debito destituantur servitio, sed sartæ tectæ custodiantur; prædictis Ordinariis locorum, in quibus Ecclesiæ ipsæ sunt sitæ, per præsentes committimus, & mandamus, ut Capellanos deputent cum competenti mercede, etiam super re certa de bonis prædictis assignanda, per quos Missis, & aliis oneribus satisfiat, ac ipsis Ecclesiis debitus cultus, & veneratio conservetur: utque dicti Ordinarii inventarium tam sacræ quam profanæ suppellectilis ad Congregationes suppressas hujusmodi respectivè spectantis accuratè conficiant, ac provideant, ne à quoquam occultari, occupari, aut inde amoveri ullatenus possit, nisi, & donec à Nobis seu Sede prædicta aliter provideatur. Decernentes easdem præsentes literas, etiam ex eo quod Superiores, & alii Canonici, & Fratres, seu Religiosi Congregationum suppressarum præfatarum, & cæteri quicumq; in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, neque causæ propter quas eædem præsentes emanarunt, adductæ, verificatæ, aut justificatæ ullatenus fuerint, nullo unquam tempore, de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, & substantiali, sive etiam ex eo, quod in iisdem præmissis solennitates, & quævis alia servanda, & adimplen-

plen-

plenda servata, & adimpleta non fuerint, vel ex quocunque alio capite à jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, etiam in Corpore Juris clauso, sive etiam enormis, enormissimæ & totalis læsionis; & quovis alio prætextu, occasione, vel causa, etiam quantumvis justa, rationabili, & privilegiata, etiam tali quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret, notari, & impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, apertionis oris, reductionis ad viam & terminos juris, aut aliud quodcunque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concesso, aut impetrato quempiam uti, seu se juvari posse; sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus & singulis, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari; Sicque & non aliter in præmissis omnibus & singulis per quoscunque Judices ordinarios & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & dictæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, in quavis causa & instantia, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si quid secus super his à quoquam quavis au-

auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis generalibus editis, & quatenus opus sit de jure quæsito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus perpetuis, illisque committendis ad partes vocatis quorum interest, & aliis nostris & Cancellariæ Apostolicæ regulis, nec non Congregationum suppressarum prædictarum, earumque respective Conventuum, Collegiorum, Monasteriorum, & Ecclesiarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis eisdem Congregationibus, illarumque Superioribus, Canonicis, fratribus, religiosis, & personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis in genere vel in specie, etiam motu simili, & consistorialiter, & alias quomodolibet concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium & singulorum tenores, formas, & occasiones præsentibus pro plene & sufficienter expres-

expressis, insertis, & servatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earundem præsentium litterarum transsumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, & extra, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 6. Decrembris M DC LXVIII. Pontificatus nostri anno secundo.

I. G. Slusius.

Anno à Nativitate D. N. JESU Christi 1668. Indictione sexta, die vero 14. mensis Decembris, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Clementis, divina Providentia Papæ IX. annò ejus secundo, præsentes literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in aliis locis alias solitis, & consuetis Urbis, per me Franciscum Perinum, Sanctiss. D. N. Papæ Curs.

Gregorius Staggius Mag. Curs.

BRE-

BREVIS COMMENTATIO
SUPER
ORDINUM RELIGIOSORUM SUPPRESSIONE.
AD BULLAM
CLEMENTIS IX. P. M.
EMISSAM
ANNO 1668. D. 6.
DECEMBR.

Religionem Christianam constat ab initio non consensu aut decreto summarum potestatum in civitates publice receptam, sed sensim ac tacitis velut gradibus irrepsisse, plebe cumprimis eandem passim arripiente, eo avidius, quod illa adversa ferè fortuna pressa, aut cum tenui sorte colluctari solita, mirè caperetur dogmatibus, quæ & præsentem Numinis gratiam inter tristissima quæque, & non finiendam gaudiorum vim post mortem pollicebantur. Ipsi Principes, & quod in Civitate eminens dignitate sapientiamq; professi, quibus vetera aboleri instituta displicebat, & omnia nova, abs plebe præsertim profecta fastidiebantur, serius eidem sese religioni adplicuere, & postquam diu frustra eandem impugnando deprehenderant, inolitas animis persuasiones hautquidquam suppliciis extingui, quin potius ex oppo-
sita

sita violentia altius radices figere; vel potius incassum cadere omnes mortalium conatus, qui Deo destinata convellere aggrediuntur. Per isthoc igitur tempus, quo religio Christiana summis potestatibus ignorabatur, aut oppugnabatur, ipsi Christiani inter se utcunq; Ecclesiam administrabant, Doctoresque omnium suffragio electi, aut consensu adprobati collatis ferè stipibus alebantur. Inter ipsos verò Doctores præcipui, quos Episcoporum vocabulo insigniri placuit, conventus agitabant, prout necessitas falsi dogmatis confutandi subigebat, aut decor Ecclesiæ novis statutis sanciendus videbatur. Sicuti fieri suevit circa omnia collegia, quæ ignaris aut invitis sumis potestatibus privato civium ausu enascuntur. Post ubi ipsi Principes Ecclesiæ nomina dare cœpissent, hautquidquã inolitas diu Christianorum consuetudines, & adultam per aliquot secula Episcoporum autoritatem convellere ausi sunt, populo ferè abs horum nutu pendente. Quin aliqui ultro ipsorum potestatem ac opes auctum ire, opinione pietatis, aut ut ipsos cum addicta iisdem plebe ad destinata sua eo haberent promptiores. Ex quo factum, ut Episcopi suo velut jure dispositionem circa personas, doctrinas atq; res sacras sibi vindicarent, exclusis ab eadem cura Principibus, aut non nisi in secundas ferè partes admissis. Eoq; magis, postquam Episcopus Romanus, pristina ejus urbis dignitate potissimum subnixus, in alios per totam ferè Europam Episcopos potestatem sibi arrogavit, unitisq; adeo omnium Clericorum opibus, singulare idque

vali-

validissimum genus reip. per tot alias resp. diffusum constituit. Sub cujus auspiciis immensa vis hominum sacris sese addicere cœpit, quæ non minus solers, quam felix fuit in pariendo sibi ex aliorum bonis opulentissimo patrimonio, ut valde modestos experta sit sacerdotes civitas, quæ tertia bonorum suorum parte cum ipsis decidere potuit. Isthæc igitur resp. sacra, quæ ita tacitis incrementis in ipso velut sinu civitatum Europæarum in immensum adolevit, uti peculiares sibi rationes, ab aliarum Civitatum indole separatas, commenta est: ita plerasque civitates, per quas dispersa sedes fixerat, tanta sui mole non parum cœpit premere, ac cœco quodam jugo obnoxias reddere. Abs quo ut sese liberarent per complura secula nulli Principum sat virium aut consilii fuit. Donec superiori seculo, Luthero, & quibusdam aliis in Pontificem Romanum cum maximo plurimorum adplausu insurgentibus, non paucæ civitates ejusdem obsequio renunciârunt, inque sacerdotes ac bona sacra, ad mediocritatem redacta, potestatem sibi assertum ivere, explosis simul dogmatibus, quæ ad commoda sacræ istius reipublicæ inventa fuerant, ac religione Christianâ ad primævam puritatem revocata. Ex illo tempore uti nihil non egit Pontifex Romanus apertè, aut per occultas artes, ut quæ suo imperio decesserant, recuperaret; ita cæteri non minus strenuè sunt connixi ad ea quæ semel invaserant tuenda. Sed &, ut fieri svevit, non minori ingeniorum contentione inter eruditos super isthoc negotio disceptatum fuit, quibusdam Jus

Pon-

Pontificis Romani in omnes personas ac res sacras mordicus asserentibus: aliis contra, quæ à summis potestatibus heic suscepta fuere, tanquam juste facta defendentibus, præsertim ubi ab ipso Pontifice nulla medicina contra abusus expectari posset. Quibus rationibus utraque pars pugnaverit, nostri jam temporis non est pressius recensere. Sed sufficerit præcipua istius disceptationis momenta attigisse; simulque indigitasse, quid huic aut isti parti solidè demonstrandum, siquidem assertioni suæ apud cordatos fidem sit factura.

Ut igitur omnes pii credant, ejusmodi imperium sacrum, quale à Romano Pontifice exercetur, aut affectatur, jure ipsi competere, liquido ostendendum fuerit, Salvatorem nostrum, quando discipulos suos ad disseminanda per orbem dogmata sua autorabat, ea potestate ipsos instruxisse, ut non solum ubicunque locorum, & apud quaslibet gentes doctrinam ab ipso sibi traditam propagarent, sic ut nemo mortalium eos docentes prohibere, aut adigere posset ad quædam in dogmatibus suis addenda, detrahenda aut interpolanda; sed etiam, ut quot & quos vellent, in docendi publice munus adsciscerent, hisce iterum potestate delegata ordinem suum in infinitum multiplicandi, sociosque quotcunque vel solicitandi, vel ultro sese offerentes admittendi proprio ex lubitu & citra ullius contradictionem, etiam ejus, cujus hoc modo imperium ritè quæsitum imminuitur. Atque hos, cum vento utique vivere nequeant, licentiam habere opes non necessitatibus solum sufficientes,

sed

ſed & luxui ſplendorique exuberantes, undecunque lucroſis oneroſisve titulis colligendi. Quemlibet autem, ſtatim atque ordini ſacro ſucceſſerit, ab omni poteſtate imperii civilis eximi; nec minus opes iſti ordini undecunque partas, utut ex bonis civitatis profectas, intra ejusdem territorium ſitas, & ipſius viribus defenſas; ſic ut imperio civili nefas ſit de iſtis bonis particulam aliquam decernere, iisdem modum ſtatuere, aut ad alios uſus ſuo jure adplicare. Iſtis porro juribus ſacri ordinis moderandis penes unum ex eodem ordine ſummũ eſſe arbitrium, abs quo ſolo, quicquid eſt perſonarum atque opum ſacrarum, in quibuscunque civitatibus dependeat, cujus poteſtas cuicunque prætenſioni aut uſurpationi imperii Civilis in easdem perſonas aut opes præpolleat; ſic ut, licet ſacrorum hominum multitudo aut licentia in perniciem civitatis vergat, vel ſine ſacris opibus civitas ſervari, aut ni aliter de ipſis disponatur, vigere nequeat; non tamen aut illos in ordinem redigere & circumſcribere, aut hisce manus injicere civili imperio liceat, niſi ultroneo conſenſu ejus, qui Principem ſeſe ordinis ſacri fert. Iſthoc privilegium, ſi abs Deo Pontifici Romano tributum fuiſſe, liquido demonſtratum ſit; non habent ſummæ poteſtates civiles, quod iſti opponant; cum præſertim tanti ſit mortalibus religio Chriſtiana, ut nemini quantovis onere eam redimere durum videri debeat. Enimvero cum multi credant, nondum ſat liquido fuiſſe probatum, ejusmodi privilegium ordini ſacro divinitus indultum; iisdem quo-

quoqne persuasum est, non injuria summas potestates civiles integrum & illibatum sibi jus, prout illud ex indole societatis civilis bene dispositæ naturaliter resultat, assertum ire, atque omni extrinsecæ ac irregulari prætensioni resistere, quæ unionem ac compagem civitatis convellere, statumque bicipitem introducere conatur. Neque vero ita absurda aut iniqua jactare summæ potestates civiles multis videntur, quando differunt: Sibi quidem hautquidquam in animo esse doctrinæ Salvatoris cursum inhibere, aut eandem interpolare, quippe quam sanctissimam, sapientissimam, vitæque civilis genio cumprimis accommodatam deprehendant, & quæ maxime laboret ex animis hominum evellere vitia, tranquillitati atque paci infesta.' Eo minus tamen ullo modo sibi probabile videri eandem doctrinam tam solidis ubiq; rationibus subnixam, tam sanctis, & placidis moribus sibi addictos imbuere nitentem, in civitatem recipi non posse, ni simul ejusdem unio abrumpatur, ac uberrima materia perpetuis distractionibus introducatur. Equidem cum principes adhuc religionem istam ignorarent aut aspernarentur, necessum fuisse, ut ejusdem propagatores aut asseclæ suis rebus utcunque per se consulerent. Sed ut jam quoque, postquam iidem sacramento Christi sunt adacti, peculiarem sibi rempublicam in ipsorum civitatibus constituere velint, id verò ferri non posse. Suã autoritatem jacere, ac securitatem semper in ancipiti hærere, si per omnes civitatis partes sparsi sint fovendi homines, qui efficacissimum

mum quoddam imperii genus in omnes cives exerceant, ipsi autem à nutu principis extranei dependeant, cujus rationes cum aliarum rerump. rationibus sæpe discrepare possint. Quod ubi contigerit, eo ipso civitates suas formidando hostium exercitu insideri, per quem facili negotio civium suorum obsequio & omnibus fortunis exui queant. Ac si maximè nihil inimici in remp. moliantur isti mortales: grave tamen onus per eosdem civitatibus incumbere, si citra modum sese multiplicent, ac nova subinde instituta meditentur, adsciscendo ampliore hominum numero obtentui futura; qui quo magis gliscant, eo gravius reliquos cives oneribus reip. premi. Non quoque posse non civitatis opes attenuari, si sacris istis hominibus sine fine modoque ex bonis civium liceat rem augere, ex qua ipsi nihil aut parum in usus Reip. iterum erogent. Isthæc ubi ad salutem Reip. temperare negligat aut detrectet sacri ordinis princeps, civitatibus Christianis cum perpetuo scilicet morbo luctandum, aut demum plane pereundum, si isto invito summis potestatibus medicinam adhibere non liceat. Eo minus autem persuaderi sibi, tam duram legẽ à Salvatore omnibus civitatibus, ipsius imperio succedentibus, dici, quod nondum perspiciant, quare non religio Christiana æque feliciter scopum suum assequi possit, si vel maximè imperio summo civili jus illibatum in omnes homines ac opes civitate contentas relinquatur: aut quare minus efficaciæ in animis hominum sit obtentura religio Christiana, si illa sub auspiciis Regum Christia-

ſtianorum, quam Pontificis Romani, in ſua cujusque ditione doceatur. Has igitur, & ſimiles rationes obtendunt rectores civitatum, qui ſuperiori ſeculo pleraque dogmata in uſum iſtius reipublicæ ſacræ inventa proſcripſerunt, ſimulque numerum ſacerdotum ad modicum numerum redegerunt, ejectis ſuperfluis, imperiumque civile eosdem juſſerunt agnoſcere; exuberantibus quoque opibus publico vindicatis, aut in alios uſus dominosque translatis. Quo tamen in negotio ego quidem præſtare nolim, omnes & ſingulos genuinum præ oculis ſcopum habuiſſe, aut medicinam undiquaque innoxiam adhibuiſſe. Nam quæ alicubi per tumultum acta ſunt, plebisque in ſacerdotes ac ſacra ſævitiam nemo cordatus probaverit. Nec deſunt, qui dubitent, an non à quibusdam, abs ſuperioris imperio non immunibus, liberaliter nimis uſurpatum fuerit jus ſacra reformandi; quod ſupra menſuram poteſtatis alteri ſubjectæ habetur. Nonnulli denique non ſatis conſiderâſſe videntur, longè ſecurius in ſupervacua, aut per largitiones effundi bello parta; quam quæ obtentu boni publici ad caſtigandam inconſultæ pietatis luxuriam decerpuntur, non minore utique religione adminiſtranda, quam intentio fuit eorum, abs quibus iſta bona ab initio fuere profecta.

Enimvero cum iſta lis nondum ſatis ad liquidum deducta videatur, dum ſacerdotum ordo ad quædam ſacrarum literarum dicta, ac abs ſuo ordine condita decreta, diuturnamque poſſeſſionem provocat: alii contra jactant, dicta ſcripturæ eo,

quo non pertinent, detorqueri, neque legibus se sacerdotum in ipsorum fraudem latis teneri, neque diuturnam injuriam ipsis necessitatem posse imponere, tam perniciosam juris sui imminutionem perpetuo & citra spem remedii tolerandi: igitur satius puto fuerit tentasse, num ex illis, quæ sacerdotes ultro largiuntur, aut exercent, colligi possit, quod ad decisioné hujus controversiæ facit. Quam in rem commodum nobis visum paulo curatius excussisse Bullam *à Clemente IX. P. M.* emissam circa suppressionem *congregationum Canonicor. S. Georgii in Alga Venetiarum, ac Fratrum Jesuatorum, & S. Hieronymi de Fæsulis*, in qua non pauci nescio quid peculiaris genii, & à simulatione sacerdotibus alias solita alieni agnoverunt; Eoque placuit eandem denuo typis exscribendam curare, adjecta hacce commentatione, quæ fortasse aliis, ab ingenio magis, quam nos sumus, instructis ansam præbere potest, isthoc argumentum diligentius excutiendi.

Illud igitur initio consideratione nobis dignũ videtur, quod *Romanus Pontifex* isthoc potestatis, quod circa suppressionem ordinum sacrorum exercet, non comparet cum potestate principis in cives, aut patris dominive in liberos ac familiam, quin nec cum solicitudine pastoris circa suum gregem; sed *more seduli patrisfamilias*, dicit, *se cura agri dominici invigilare*. Hoc ipso arbitramur eum insinuare absolutum plane potestatis genus, & quod nullo jure subjectis quæsito circumscribi aptum sit, ac ex nudo ipsius judicio exerceatur.

Sane

Sane enim si eodem modo Princeps cives, quo paterfamilias agri sui plantas, tractare aggrediatur, si illos pro lubitu trajicere aut exuberantem multitudinem, & quæ civium pars minus ipsi arridet, exterminare aggrediatur; isti credo non parum querentur, jus civitatis sibi partum violari. Quin nec boni pastoris habetur, gregis sui numerum, si pabuli sit copia, diminuere. Ast hortulano liberrimũ circa plantas arbitrium. Veteres evellere, alias inserere, ex uno loco in alium transferre, circumcidere, luxuriantem multitudinem coërcere, prout usus aut decor horti postulare videatur. Ex quo
„ concludere licebit, ordinibus sacris, qui planta-
„ rum instar per agrum Dominicum sparsim dis-
„ positi sunt, nullum jus esse quæsitum, Pontificis
„ Romani potestati prævalens, quo minus hicce
„ istos, si placuerit, extirpare queat. Ne tamen videatur tanta potestate in perniciem Ecclesiæ unquam uti velle, aut promiscuè & citra judicium inutiles æquè ac noxias plantas grassari, illis potissimum manus abs sese injici significat, *quæ deficiente primævo religiositatis vigore atque spiritu, nullam seu valde modicam in Ecclesia Dei utilitatem præstant.* Heic illud quidem laude dignum fuerit, herbas noxias, & quæ melioribus nutrimentum subtrahunt, exterminari. Ferri quoque poterit, illas eradicari plantas, quæ *nullam* plane *utilitatem* præstant, spaciumque agri nequidquam occupant. Ast eas quoque exscindi, quæ *valde modicam*, aliquam tamen utilitatem Ecclesiæ Dei præstant, id vero est non timide aut superstitiose po-

testatem suam exercuisse; præsertim cum mentio non fiat, qua ratione modicum illud, quod Ecclesiæ decedit, pensandum sit. Equidem annosam arborem, exarescentibus passim ramalibus succidi,& in ejus locum novam vigentemq; substitui, hortorum usui cedit. Ast heic ordines antiqui, non planè Ecclesiæ inutiles, supprimuntur, nec in horum locum novi surrogantur, aut eorundem bona florentibus ordinibus adplicantur, quo ipsi inde incrementa queant capere. Igitur non nefas judicatur Pontifici, aliquam Ecclesiæ utilitatem „ decerpere,sic ut simul non indicet, qua ratione „ quod decedit debeat sarciri; ac imminui ordi„nes religiosorum etiam non planè inutilesEcclesiæ posse,non allegata peculiari causa, si quidem *publico Ecclesiæ bono conducibile* videatur. Quod si igitur Pontifex in supprimendis hisce ordinibus unicè publicum Ecclesiæ bonum ob oculos habuit, uti quidem præ se fert; necessum fuerit illud consequi, ut ex omnibus religiosorum ordinibus isti suppressi minimæ frugis fuerint. Nam si utique agri utilitas requirat plantarum numerum imminui,rationis sane fuerit vilissimam quamq; primum evelli. Atqui non probabile videtur,saltem nondum demonstratum est, sæpe memoratos ordines usque adeo præ cæteris omnibus degenerasse,ut nullus utilitatis minus,quam ipsi,Ecclesiæ attulerit.Equidem verbis generalibus innuitPontifex,ordines istos *abs primævo religiositatis vigore atque spiritu* defecisse. Enimvero si per eum vigorem ac spiritum intelligatur inusitata ista pie-

tatis

tatis ac devotionis oſtentatio circa proculcationẽ voluptatum, ardorem precum, rigorem jejunii, ac caſtigationum ultronearum, omnemque adparatum ſanctimoniæ opinionem vulgi animis incutiendi; quam ſæpe peculiaris quædam illuminatio, & quaſi cum Numine familiaritas, ac vis miracula edendi comitata jactatur: adparet, non iſtos ſolos à priſcorum fervore aut ſanctitatis fama deſciviſſe. Sin autem ad religioſitatem ſufficit, obſervatis regulis cuique ordinum antiquitus præſcriptis, quæ fere circa modum veſtitus, tempora ac formulas precum, jejunia, caſtigationes corporis, & ſimilia occupantur, defungi; non videtur iſtos potiſſimum ordines præ reliquis omnibus diſſolutam vitam induiſſe. Quin ſi quis accuratius iſta hominum genera velit excutere, nihil deprehendet hiſce vere objici poſſe, quod non in compluribus aliis ordinibus pari aut majori gradu reperiatur. Craſſa divinarum rerum ignorantia, imitamenta cultus divini citra devotos animi motus peracta, ignavum otium, intra ventris curam revocata totius vitæ negotia, magnæ partis religioſorum character eſt. Abs quo uti ſuppreſſos illos ordines haut quidquam immunes crediderim; ita quod eousq; præ reliquis omnibus corruptelæ proceſſerint, ut velut purgamenta plane inutilia ex agro Domini cæteris incolumibus extirpari meruerint, nobis nondum perſvadetur. Quin ſi ſola iſthæc cauſa Pontificem movebat ad decretoriam hancce ſententiam ferendam, non ſane ſufficiebat per mollem adeo ac vulgarem accuſa-

 tionem

tionem istorum vitia aut socordiam perstringere; sed sigillatim erant exprimenda, quorum atrocitas aut fœditas perpetua vetustorum corporum abolitione plecti debebat. Sed & illud plane crudele est, & ab indole potestatis tam blandæ, qualem Pontifex paterno nomine præ se fert, abhorret, ad extrema statim decurrere, nec prius admonitiones, modicasq; castigationes tentare, tempus futuræ emendationi præscribere, disciplinam novis pœnis sancire. Saltem prius in judicium erant vocandi, objecta diluendi potestas concedenda, deprecationes non plane adspernandæ. Denique & illud omnem plane fidem excedit, omnes & singulos conventus istorum ordinum, omnesque ac singulos religiosos ita plane degenerasse, ut non inutilibus ac perditis resectis, saltem modicus numerus, qui bonæ frugis esset, repertus fuerit, qui servari merebatur, & quibus pro rata
„ vetus patrimonii portio erat relinquenda. Quæ
„ omnia certissimo sunt indicio, isthanc, quæ in
„ bulla insinuatur, haudquidquam fuisse veram
„ aut præcipuam causam, quare isti potissimum or-
„ dines, & hac quidem tempestate à Pontifice abolerentur. Cæterum hujus rei genuinam causam, & quare ea suppressio hoc tempore, & citra ullam antegressam cognitionem, formamque judicii suscepta fuerit, divinando assequi non adeo in arduo est. Scilicet fervebat cum maxime isto anno obsidio urbis Candiæ, quam insano labore Turci eruere, immensis sumptibus, paribus animis Veneti defendere moliebantur. Horum affecto ærario ut

aliqua-

aliquatenus subveniret Pontifex Romanus, bona suppressorum ordinum, quæ quidem in ipsorum ditione sita erant, iisdem attribuit. Videbantur autem isti potissimum ordines opportuni, qui bonis suis exuerentur, quod & pleraque bona in ditione Venetorum possiderent, & vere intra Italiam coërciti, nullos aut paucos trans Alpes socios haberent, qui fortasse citra motum non possent in ordinem redigi. Ubi nemo quidem cordatus inficias iverit, plausibilem valde prætextum esse, avertendo abs parte Christiani orbis barbarorum jugo, supervacuorum religiosorum bonis manus injicere; cùm etiam devotissima antiquitas sacra vasa ad captivorum apud infideles redemptionem pie impediendi judicaverit. Negari tamen & illud non poterit, reip. Venetæ opes hautquidquam fuisse cousque attenuatas, ut nulla plane alia ratio superfuerit sumptibus belli tolerandis: aut non potuisse tantundem pecuniæ aut plus etiam colligi, quam quantum ex suppressorum Ordinum bonis fuit redactum, siquidem, quicquid est Clericorum per Orbem Christianum, ex superfluis suis opibus particulam aliquam voluisset conferre, saltem quamdiu bellum illud duraret. Quare igitur de viris opibusque Ecclesiæ aliquid decerpere maluerit Pontifex Romanus, quam modico tributo reliquis imposito necessitatem extinguendi illos ordines declinare, non ita liquido adparet. Nam quin Pontifici, isthoc vel imperanti vel roganti Clerici fuerint obtemperaturi, utut alias ad accipiendum longe proniores, quam ad dandum sint,

egolquidem nullus dubito. Igitur quare non ejusmodi tributo potius reip. Venetæ fuerit subventum, ego quidem aliam ratione dispicere nequeo, quam quia Pontifex judicavit, Principes non concessuros, ut insignis pecuniæ vis extra suam ditionem in usum alterius reip. exportetur, utque Clerici sua ditione comprehensi in alios usus quam ad conservationem ejus civitatis, in qua degunt, ali-
„ quid conferant. Ex quibus omnibus id liquido
„ videtur colligi, ex sententia Pontificis Romani
„ plane posse aboleri ordines religiosorum, qui pe-
„ culiaribus delictis ac vita flagitiosa id non sunt
„ promeriti, eorundemque bona adplicari usibus
„ reip. illius, in cujus ditione sita sunt, etiam ubi
„ nondum extrema plane necessitas subegerit. Cæterum cum sæpe dicti ordines non in sola Venetorum ditione, sed & in aliis statibus bona possederint, iisdem verò hautquidquam tale periculum, quale tunc Venetis, incubuerit, sic ut hisce bonis ad sui conservationem non indiguerint; jam controversia oritur, quisnam in hisce statibus suppressorum Ordinum bona sibi vindicare queat? Sane Venetos nihil heic sibi juris arrogare posse, utut in ipsorum gratiam illa suppressio præcipue facta videatur, manifestum est, nisi quant m unius aut alterius liberalitas, aut ratio Reip. forte tulit, iisdem contra immanem hostem suppetias ferri. Quin autem eædem Cameræ Apostolicæ non mediocriter salivam moveant, dubitare non licet. Sicuti & ipse Pontifex in bulla suppressionis *sibi ac sedi Apostolicæ expresse reservat dispositionem omnium bono-*

bonorum ac jurium istorum ordinum, ubicunque locorum existant, in usus & opera pia per eos, quibus id abs se, aut sede præfata commissum fuerit. Nec deest, unde prætensioni suæ colorem addat: Bona ea sacerdotum fuisse, in quos summum penes Pontificem imperium. In ipsius arbitrio situm fuisse, ista bona possessoribus antiquis relinquere vel adimere, aliisque denuo attribuere. Quæ igitur in præsens bello in Turcos non impendantur, ea ut patrimonio principis Ecclesiæ accrescant par utique esse. Sicuti si rex officia quædam in rep. aboleat, salaria istis quondam constituta fisco cedere. Adversus hæc ab aliis reponitur; Sine convulsione ac destructione omnium civitatum Christianarum concedi non posse, ut si quacunque de causa aliquid ex bonis sacris velut caducum fuerit factum, patrimonio Pontificis adcrescat; postquam iste non contentus spiritualem pastorem agere, validas quoque ditiones summo imperio civili complexus est, quarum solarum intuitu inter status Italiæ non postremus ipsi locus debeatur. Maximam quippe bonorum vim in omnibus civitatibus Christianis penes ordines religiosos esse. Multis autem, etiam qui de cætero Pontificis authoritatem sacrosanctam habent, esse persvasum, ordinibus saltem plerisque rem Christianam comode carere posse: cum vulgares sacerdotes ad sacra obeunda sufficiant; ac informationi juventutis, circa quam nonnulli satagunt, non minus diligenter invigilari ab iis possit, qui nullo voto tenentur. Si igitur Pontifici ad supprimendum aliquem

ordinem sufficiat dixisse, *illum à pristino religiositatis fervore* ac spiritu degenerasse, in proclivi eidem fore, omnibus per Europam statibus, qui sedem Romanam adhuc venerantur, insignem partem decerpere, ac ditiones, cum potentissimo regno certantes, vili sibi membrana comparare. Si solum Benedictinorum ordinem abolere aggrediatur, aliquot principatus non mediocres ipsum in Germania sibi comparare posse: citra quem tamen non adparere, quare Christiana religio non æque feliciter florere queat; ac in eodem vix largiore religiositatis vigorem ac spiritum deprehendi, quam apud bonos fratres Jesuatos & S.Hieronymi de Fæsulis. Cum igitur ejusmodi statuum lacerationesCamera Apostolica salva fronte prætendere nequeat; reliquum esse, ut cuique statui adcrescant bona sacerdotum, aut ordinum religiosorum, qui à Pontifice inutiles aut supervacui fuerunt declarati. Præsertim cum Principes ac privati, qui ab initio bona ista usibus sacris destinarunt; non hoc egerint, ut ditio Pontificis Romani augeretur; sed ut in sua cujusq; civitate sacra eo majore sacerdotum frequentia; ac splendidiore adparatu obirentur, ac sacerdotibus eo lautius foret prospectum. De hoc ubi aliquid imminui posse aut debere summo Antistiti visum fuerit, non posse præsumi, isthanc primorum fundatorum mentem fuisse, ut sua donatione ex complexu civitatis bona à se consecrata avellerentur. Mosen, cum populus Israëliticus nimis liberaliter conferret materiam instruendo aut exornando tabernaculo,

culo, hautquidquam promtitudine populi in suum compendium fuisse usum, vindicatis sibi superfluis; sed ut quisque sua retineret, nec quid amplius conferret, edixisse. Sane hisce, & si quæ sunt aliæ, rationibus subnixi ministri Hispanici, bona suppressorum ordinum per Ducatum Mediolanensem fisco regio vindicatum ivere, ringentibus nequidquam Romanæ Cameræ ministris. Hæ igitur rationes quousque solide non fuerint ,, confutatæ, tuto licebit concludere; ubi quidam ,, religiosorum ordines à Pontifice vitiosi, inuti- ,, les aut supervacui judicantur, posse ipsorum bo- ,, na rectè vindicari a statibus illis, in quorum ter- ,, ritorio eadem sita sunt, etiam ubi eosdem nulla ,, peculiaris necessitas premat, quæ citra illa bona ,, dispelli nequeat.

Operæ pretiū quoque est expendisse, postquam Pontifici Romano sederat, illos ordines abolendos, quo rigore heic usus fuerit, sic ut majorem vix adhibuerint illi, qui superiori seculo sedis Romanæ obsequium exuebant, eoq; principio sacerdotes eorumque opes in ordinem redactum ibant. Qui se ordini cuipiam sacro adplicant, totius vitæ rationes sese jam subduxisse arbitrantur, ac perennem invenisse stationem cum dignitate conjunctam, & ubi Numen demerendi facultas, simulque necessitatibus suis in perpetuum sit prospectum. Inde unica cura ac meditatio circa regulas ordinis observandas; paucis in literarum studiis aliqua opera ponitur, magis ut otium oblectent, quam alteri sese vitæ generi per ista præparent.

Tale genus hominum de improviso, indicta causa, plerosque ætate profecta, aut ad alias artes addiscendas inhabili assveto vitæ generi, & quod plerisq; in naturam fere abierat exturbari, asperum sane est. Qui autem opinione sanctimoniæ religiosissimo sese voto obstrinxerant, & cum seculo jam dudum transegerant, hoc ex tranquillo portu in medios denuo fluctus projici, duplici nomine miserandum videtur, quod & multis scrupulo anxius hæreat animus, abrupto voti sacramento, & pleriq; in repentina egestate sese destitutos deprehendat, contra quam nihil sibi alias præsidii paratum. Atqui istud maxime videbatur decere illum, qui imperii sui mansvetudinem nomine paterno ostentare gestit, iis quidem, qvi ordines istos ultro deserere vellent, libertatem facere ad aliud sese vitæ genus adplicandi: reliquos, qui utique institutis suis inhærere cuperent, vi non expellere, nec impedire, quo minus regulis & bonis suis immoriantur. Præsertim cum idem non pauci fecerint, quos iste hæreseos nomine, & usurpatæ alienæ potestatis infamat, qui inutilibus hominibus ad mortem usq; assveta pabula reliquerunt, vetito ne in defunctorum locum alii surrogarentur. Ne tamen plane citra omnem summi Pontificis curam videantur projecti, ex singulari gratia. *Clericis quidem dictorum ordinum summam quadraginta, Laicis viginti scutatorum in alimentum assignat ex reditibus suppressarum congregationum depromendam.* Quod quidem qualicunq; solatio miseris esse posset, modo satis cautũ ipsis foret, non

fru-

fruſtra ſeſe iſtud expectare juberi. Cum ita fere fieri ſoleat, ut ſolutis ejusmodi corporibus, eorūdemq; bonis alienatis, antiqui domini nequidquam veteris opulentiæ reliquias famelici captent. Quod eo acerbiore iſtos dolore afficit, ſi videant, ſua bona non in graviſſimas reip. neceſſitates impenſa, ſed per ambitioſas largitiones diſſipari. Sane trans Alpes usque Roma reſonant querelæ exautoratorum fratrum, dum ex bonis ſuis opimos reditus Nepotibus Pontificiis parari cernunt, ſe interim non ſuperfunctorie eſurientibus.

Denique ſi alicui attentius allubuerit conſiderare clauſulas, quibus bullæ hujus vigor ſtabilitur, deprehendet, nulla jura eſſe tam valida, quæ perſonarum eccleſiaſticarum ſtatum atque bona contra autoritatem Pontificis munire queant, quo minus illa, ubi iſti placuerit, tolli poſſint. Quantumvis religioſiſſimo voto quis certo ſeſe ordini ſacraverit, id tamen ſtatim atque Pontifici allubuerit, ſolvitur, & ut maxime quis eidem inhærere velit, ordine ſublato nusquam amplius id locum inveniet. Quocunq; titulo poſſideant, etiam juramentis, ac horridiſſimis exſecrationibus ſancita, illa tamen, ubi ſanctiſſimo Patri viſum fuit, antiquis dominis eripientur, *non conſentientibus*, non *vocatis*, non *auditis*; non *adductis* quoque ſuppreſſionis *cauſis*, nec *verificatis* aut *juſtificatis*: licet in inſtrumento ſuppreſſionis etiam *magnus & ſubſtantialis defectus* occurrat, aut *ſolennitates jure* requiſitæ defuerint; ac licet obſtent *conſtitutiones & ordinationes Apoſtolicæ, etiam in generalibus*

libus conciliis editæ, aliæ ipsius Pontificis & Cancellariæ Apostolicæ regulæ, suppressorum ordinum statuta, etiam juramento roborata privilegia, iisque concessæ *literæ Apostolicæ*, quantulibet efficacissimis „ modis conceptæ. Ex quibus omnibus colligi- „ tur, Pontifici Romano pro summa lege haberi „ bonum Ecclesiæ, quod frequenter in conserva- „ tione aut confirmatione civitatum Christianarū „ versatur, adversus quam neque religiosorum vo- „ ta, neque juramenta, neque sanctiones concilio- „ rum, neque communia jura, legesque processus „ æquitati naturali maxime consentaneæ, neque „ religiosorum ordinum regulæ & consuetudines, „ neque aliorum Pontificum, aut ipsius quoq; an- „ tegressa decreta quidquam valeant.

Postquam igitur Pontifex Romanus ad sublevandam Reip. Venetæ magnam quidem non extremam tamen necessitatem tanto cum rigore quosdam ordines plane extinxit, adeoque hoc ipso ostendit, conservationem alicujus civitatis Christianæ ante peculiaria Clericorum commoda esse debere: jure sane videntur cæteri status Christiani ab eodem postulare posse, ut molliore ratione numerum, opesque Clericorum ad eam mediocritatem reducat, quæ firmitati & commoditati civitatum quadret. Si enim talis necessitas, qualis tum Reip. Venetæ incumbebat, valere potuit ad abolendos bonisque plane exuendos integros ordines; quare non aliarum civitatum insigne emolumentum valere possit ad luxuriantem nimis Clerum in ordinem redigendum? utut istud non adeo

ex re Curiæ Romanæ esse videatur. Sane enim isthæc facile eam potest opinionem imbibisse, in eo utilitatem suam verti, si maxima per orbem Christianum sit diffusa Clericorum multitudo, qui non tam hoc agant, ut rerum divinarum scientia, & solida pietate homines polleant, quam ut omnium rerump. rationes ad emolumentum Romanæ Curiæ temperent, suoq; ordini quavis ratione quam lautissimas parent conditiones. Atqui ut in isthoc genuina Ecclesiæ utilitas consistat, status Christiani credere non tenentur prius, quam à Curia Romana liquido demonstratum fuerit; Salvatorem nostrum, dum doctrinam suam per universum orbem propagari jubet, hunc sibi præcipue scopum præfixum habuisse, ut illa tanquam medium inserviret, ad conciliandas sedi Romanæ imensas opes atque potentiam, omnesq; civitates Christianæ per peculiariter addictos ei sedi Clericos velut validis præsidiis tenerentur. Contra plausibiliter valde à statibus Christianis obtendi potest; sibi persuasum esse, in eo sinceram Ecclesiæ utilitatem verti, ut dogmatibus à Salvatore nostro promulgatis animi populorum rite imbuantur, ipsorumque mores per eadem ad solidam pietatem & sanctimoniam formentur. Ad hunc finem maxime accommodum videri, si peculiaris in civitate ordo constituatur, qui unice sacris vacet; cujusque adeo opus sit, & publici cultus ministeria obire, & populum dogmatibus, moribusque Christianis imbuere. Hujus ordinis homines si abs nullo extraneo principe dependeant, ac præter Numinis gloriam nullum

lum alium scopum habeant, quam ejus, in qua degunt, reipublicæ salutem, id plurimum ad unionem & firmitatem civitatum facere. Eorundem porro justam multitudinem hanc videri, si sufficiant ad istum finem obtinendum, & si nemo inter eos sit, qui non revera aliquid proficuæ operæ huc contulerit. Et cum ipse Pontifex Romanus hanc solam rationem alleget reductorum ordinum, quod *nullam aut modicam utilitatem* Ecclesiæ afferant; utique omnes illos pro supervacuis haberi posse, qui excedunt numerum ad Ecclesiæ ministeria, jam designata, sufficientem. Sicuti à principibus exauctorari solent etiam egregii milites, quibus civitas ad sui defensionem jam non indiget. Præterea non adparere, quare non omnes partes cultus divini commode obiri queant citra instituta ascetica; adeoq; supervacuum videri, ut aliqui peculiaribus sese votis adstringant, ac regulas sibi forment, plura quam communes sacerdotum leges complexas. Aut si utiq; aliquid ambitioni quorundam mortalium, sub obtentu modestiæ ac pietatis sese expromere gestiendi, indulgendum sit, horum sane numerum eousq; coërceri par esse, ne inde munifici cives nimis onerentur. Cum enim isti non solum ab oneribus civilibus immunes sese ferant, sed & ex bonis civitatis alantur, par utique esse, ne cui immunis istius vitæ sumendæ facultas indulgeatur, quam qui summis potestatibus rationes sui consilii adprobaverit. Neque enim ullum in sacris literis vestigium adparere, quo Salvator noster voluerit, per sua dogmata ci-

vitates novo onere premi, aut earundem bonam habitudinem convelli: aut talem cultum sibi arridere, ut quis communis vitæ laboribus seipsum subtrahens aliis sui alendi necessitatem obtrudat, ac quæ materia ultroneæ libertatis esse debebat, eam in durissimi tributi indolem convertat. Postquam super numero sacerdotum conventum sit, in proclivi deinceps esse judicare, quousque exuberantem sacri ordinis opulentiam castigari par sit, & quidem non in extremæ necessitatis casu, quo depellendo nihil amplius sacrum est, sed quando de componenda rite rep. & corrigendis ejusdem morbis agitur. Scilicet ordini sacro prospici par esse, nom solum ut necessaria ipsi suppetant, sed & ad dignitatem eidem conciliandam facere, si paulo copiosius ac splendidius, intra luxuriam tamen, habeantur. Prout enim parce aut splendide à civitate tractari vulgus cernit ministros publicos, ita de ipsorum munere judicat; ac nauci habetur ars, quæ cultorem suum esurire patitur. Eo majorem autem curam sacerdotum a summis potestatibus agendam, quo magis genuina Christi religio animos civium ad facile tolerandum imperium idoneos reddit. Hinc illis non solum deberi velut mercedem laboris, sed & cum altari inserviant, ex eodem ipsos alendos, quod non macilenta, sed lectissima sibi pecora vindicat. His conditionibus si contenti esse sacerdotes, opumq; cumulandarum finem aut modum facere nolint, ac supervacua sui multitudine civitates onerare pro lubitu instituant; vitio verti non posse principibus, juris divini huma-

humanique intelligentibus, si à sacerdotum natione postulaverint, ut ad leges tranquillitatis civilis sese lubenter attemperent, & si qua statui civitatum adversa aut onerosa irrepserunt, ultro emendent. Pontifici quippe ac sacerdotibus Ecclesiæ salutem semper in ore esse, & omnium actionum scopum jactari. Neminem autem negare posse, eo stabiliorem esse in aliqua civitate religionem, quo arctius illa cum rationibus status publici conjuncta fuerit, ac quo minus oneris illa eidem ,, conciliet. Inde officium ejus, qui sese totius Ec- ,, clesiæ Præsidem fert, utiq; in eo versari, ut ita sa- ,, cerdotum nationem eorumq; opes moderetur, ,, quo ipsis optime cum salute & tranquillitate ci- ,, vitatum conveniat.

Isthæc igitur cum hactenus sat plane videantur deducta, ultima demum quæstio superest; Si Pontifex Romanus, ultro aut rogatu Principum degeneres ac fœdos sacerdotes in ordinem redigere, aut in universum ipsorum numerum atq; opes usibus rerump. attemperare nolit; an non tunc rectores civitatum ultro queant circa reformandum Clerum suscipere, quod ex usu esse videbitur? Heic quidem Pontifex Rom. longe recusabit, jactitans diversis ordinibus diversa abs Deo munia injuncta: principibus negotia secularia, sibi sacra curæ fore: in negotiis Ecclesiæ Reges subjectorum instar gerere, nec sibi quid aliud potestatis legitime posse arrogare, quam ut viribus suis jussa summi sacerdotis exsequantur. Sat illustribus exemplis constare, quam iratum illi Numen senserint,

qui

qui in ſacerdotum munus ipſi profani involare ſuſtinuerint. Contra rectoribus civitatum in proclivi eſt reponere: ſe lubenter, ſi quæ ſacerdotibus propria ſint, relinquere. Enimvero heic agitari non de negotio aliquo ſacro, aut interpolandis dogmatibus relig. Chriſtianæ; ſed num quiſpiam ipſis invitis obtrudere alendos poſſit homines reip. graves aut ſupervacuos; aut magnam bonorum partem, quæ in ſinu reip. ſita, & ex eadem profecta ſunt, in ipſorum ac cæterorum civium fraudem immunitate donare. Pontificis bullam documento eſſe, ſtatum ac bona Clericorum cedere ſaluti reip. Nec minus planum, ex commodo relig. Chriſt. eſſe, ut illa ſeſe honeſtis reip. rationibus attemperet, & civitatibus, intra quas recipitur, non ſit moleſta hoſpita. Contra hoc ſi quid peccatum fuerit, ejus eſſe ultro remedium afferre, qui omniũ ſeſe Eccleſ. ſummum moderatorem ferat. Hic ubi officium facere neglexerit, num ideo ſalutem ſuarũ civitatũ ſibi negligendã? Clarioribus documentis opus eſſe, ut credant; Salvatorem per dogmata ſua ipſis detrahere voluiſſe aliquam particulã poteſtatis, ad bene gubernandam remp. neceſſariæ: ſibiq; negatum adverſus gravem civitatis morbum aut intemperiem remedia adhibere, quamdiu noluerit is, cui iſta prava civitatis habitudo emolumento cedit. Contra ſibi perſvaſum eſſe, magnifice ſe mereri de Eccleſia, ſi efficiant, ut omnes principes ſui ſtatus amantes non poſſint non religionem Chriſtianam fovere, tanquam optimis, ac tranquillitati publicæ maxime idoneis moribus animos civium imbuentem, nullis ſuperfluis

ſumti-

ſuntibus onerosam, nec de summo imperio quidquam delibantem. Præsertim cum huic rei remedia suppetant plane mollia, & quæ sine molesto sui sensu adplicari possint. Puta, si libertas fiat relinquendi ordines iis, qui inviti, aut inconsulto impetu eos subierunt: qui velint, imori suis institutis queant, ut tamen novi non adsciscantur socii, nisi quibus principes hoc indulserint: si iidem ordines inspectioni Episcoporum subsint; Episcoporum autoritas aut obligatio extra suam cujusque civitatem ne petatur: si superfluæ opes, & luxui aut superbiæ materiam præbituræ, aliis reip. usibus adhibeantur; modusque novis adquirendis statuatur; si denique pecuniarum aucupia & dogmata, quæ divinis literis ignorata à sacerdotibus in quæstum reperta sunt, proscribantur. Isthæc si tolerare sacerdotes nolint, ipsos satis indicare, non pietatem sibi cordi esse, sed dominationem, & ut ipsis per pingue otium saginæ suæ vacare liceat. Ex his igitur & similibus in utramque partem jactatis, utra veritati propius accedant, penes intelligentes judicium esto.

ADDENDA
DISSERTATIONI DE REPUBLICA IRREGULARI.

ad pag. 381.

QVem quidem citra aliud responsum dimittere animus erat, ni amici monuissent, postquam cæteros notarum scriptores.

res exercitii causa excutere instituissem, huic quoque aliquid reponerem, ne forte solus rem acu tetigisse videatur. Igitur licet pleraque ex antedictis dissolvi queant; pressius tamen ejus vestigia legere placet, quà rationibus rem gerere aggreditur. Nam tanti nobis ejus viri supercilium non est, ut de eo quoque laborandum nobis sit, quid isti citra additam probationem contra Severinum affirmare aut negare in mentem venerit; cum liceat nobis tantundem autoritatis Severini dictis, quam Teutenburgii adhibere. Ad *Capitis VI.* igitur §. I. iste carpit, quod *corporum naturalium sanitas & habilitas ex apta partiū inter se harmonia & connexione resultare* dicatur. Regerit; *corpori, cujus membra bene inter se nexa sunt, deesse sanitatem posse.* Verum si *Physicos & Medicos*, ad quos provocat, audire velit, discere poterit, inter partes corporis v. g. humani, etiam numerari humores & spiritus; inter quos nisi proba sit harmonia, sanitate hautquidquam gaudebit homo, utut brachia ac femora, caputq; bene cum trunco sint connexa. Sicuti & hoc novæ cujusdam mechanicæ est, quod harmonia seu proportio partium in armis aliisque instrumentis ad eorundem habilitatem nihil faciat. Falso quoq; negatur, *corporū moralium firmitatē oriri ex decenti partium inter se connexione*, modo observetur, à Severino præsupponi, materiam ejusmodi corporum in se quidem robur habere; quod ut egregiè sese valeat exprimere, simulque diuturnum sit, apta partium connexio utique plurimum confert. Inepte porro colligit Teutenburgius;

gius; quia partes diversarum societatum, v. g. fœderatorum, familiæ, & civitatis dispari velut arctitudine sibi innectuntur: igitur quæ laxe cohærent, non statim ægras esse pronunciandas. Nam uti prius admittimus; ita si in quovis corpore morali non ea sit partium connexio, quam indoles & scopus ejusdem requirit, quin ægrum id sit, nemo sanus dubitaverit. Sic si ponas, materiam societatis cujusdam velut nativum robur habere, quin eadem firma dicenda sit, si concinnitas formæ accesserit, mihi quidem firmiter persvadetur; quicquid circa *concinni* vocabulum Teutenburgius cavilletur, velut inauditum foret concinnum, & irregulare aut monstrosum sibi opponi. Porro uti Severinus etiam ante Teutenburgii notulas intellexisse videtur, quid irregulare, & monstrosum differat; ita illud facile obtinebimus, in civilibus, præter enormem totius civitatis, aut unius membri magnitudinem, monstrum dari posse ex forma valde irregulari & incommoda proveniens. Dari autem quædam *corpora irregularia, firma; & monstra robustissima* facile concedo. Sed & vicissim dabit mihi Teutenburgius, si societas illa irregularis aut monstrosa in formam regularem & concinnam foret disposita, ejusdem firmitati non parum incrementi esse accessurum. Nihil porro stolidius, quam *ingentem Simplicium* vocare, qui *simplicem dicat rempublicam, quæ non trahit aliquid de essentia plurium civitatum.* Cum enim heic per *plures* illas *civitates* non aliæ possint intelligi, quam quæ diversa forma sunt præditæ, (nam sine sensu dice-

diceretur, v. g. unam monarchiam trahere aliquid de essentia aliarum monarchiarum :) juxta Teutenburgium, si Diis placet, simplex v. g. monarchia erit, etiam ubi summa potestas est penes plures uno; neq; ejus simplicitati aliquid decedet, licet de essentia aristocratiæ aut democratiæ aliquid traxerit, i. e. licet summa potestas ex parte penes concilium Optimatum aut populi sit. Ergo jungantur jam gryphes equis. De cætero per *subtilitates Scholasticas* Severinus intelligere videtur, quicquid abs plano & populari dicendi genere abit. Quarum adhibitarum nomine veniam is petit non sane ob Teutenburgium, ejusq; commatis homines, quibus nequaquam *delicatas aures* arbitratur esse, sed ob istos, quibus statim ad ea, quæ vel paululum scholam redolent, frons contrahitur.

Ad §. 2. reprehendit Teutenburgius, quod à Severino inquiratur, quæ forma regiminis singulis Germanici Imperii partibus competat. Si enim singuli Ordines singulas constituunt Respublicas, frustra quæri, quæ forma toti corpori sit assignanda. Sin de hujus forma recte quæritur, gratis super forma partium laborari. Inde hanc *quæstionem præjudicialem* prius definiendam; *utrum Germania, an Ordines singuli sint vera civitas?* Enimvero cum Severini mens sit, Germaniã esse corpus irregulare, singulis autem Ordinibus ad perfectæ quidem civitatis indolem aliquid deesse, ut tamen talia adsint, quæ subditorum conditionem excedant, & non longe à sum̃a potestate abeant; adparet puto de forma & totius, & partium non absurde

quæri.

quæri. De qua pronunciare multum an parum difficultatis habeat, quilibet ex suo ingenio ac notitia judicat. Prælatorum, ut & Principum, qui suas ditiones indivisim possident, mentio facta est *cap.2.§.1.2. cap.V.§.25.* nec opusculi ratio ferebat omnes minutias consectari. Quare autem Severinus Principatibus monarchiarum *instar* attribuerit, in promtu causa est; quia aliquid ipsis deest, quo minus pro separatis & plane independentibus haberi civitatibus queant, propter vinculum, quo toti corpori adhuc innectuntur. Quod non obstat, quo minus recte dici queat, aliquos principatus absolutæ, alios limitatæ monarchiæ instar gerere. Id tamen miramur, tanti supercilii hominem ignorare, *veram monarchiam cum potestate limitata non pugnare;* aut dari in Germania Principe, cujus potestas nullo pacto cum Ordinibus provincialibus circumscribatur. Cujus rei exemplum statim suggererem, nî ambitiosum videretur, tanto censore plus sapere velle. Denique uti morosam plane superstitionem arguit quærere, *quid rei sint urbes liberæ* in Germania: ita suffecit scopo Monzambani in genere notasse, quæ in istarum regimine sit differentia; ut alii circa singulas minutatim eviscerandas sudent, non invidet.

Ad §. 3. Teutenburgius pro dictatoria sua in dogmatibus politicis autoritate irregularem reipublicæ formam plane proscribit. Super qua alibi a nobis tradita supervacuum est repetere; præsertim cum mox ipse dicat; *alias quodammodo concedi posset, Imperium Romano-Germanicum non*

dispar

dispar modo ac dissimile civitatibus aliis, sed & irregulare esse. Quid ergo vitiligitat? De cætero voculas morose cavillantem Teutenburgium presse consectari operæ pretium non est.

Ad §. 4. voculam *superbi* morsicat censor, quasi illud semper notaret *aliquid nimium*, & non sæpe etiam splendidum & magnificum. Quam subnectit declamationem de eminentia Cæsaris, ea supervacua est, cum Monzambano non sit propositum aliquid de ea detrahere. Nisi forte quovis modo in apricum proferendus fuit flosculus ille oppido quam insipidus: *nulla humanæ mentis acies illud culmen nubibus æquale potest assequi, & inter infimum ac summum distantia videtur infinita.* Sicuti & puerile est, quod ex potestate conferendi nobilitates, doctoratus, palatinatus creandis poëtis & notariis, & similibus concludi posse autumat, *Imperatori potestatem esse de summa rerum ex arbitrio statuendi.* Alias non arbitror ægre laturum Severinum, si quam objectionem ab aliis propositam ipse convellit, Teutenburgius diversa responsione destructum eat.

Ad §. 5. vellicat Teutenburgius, quod Severinus ad aristocratiam requisiverit *Senatum statum & perpetuum*, per quem hic nihil aliud quam Concilium Optimatum summa potestate præditum intelligit. Habebimus ergo deinceps regna sine rege, & democratias sine concilio populi. Quod ejusmodi Senatum conventus Ordinum constituat, nondum à Teutenburgio probatum vidi. Sicuti nec quid ipsi *Senatus stricte* dictus sit, divinando

assequi licet. Dein & hoc admittere detrectat, *Senatus istius esse de omnibus negotiis deliberare & statuere*; nisi addatur, *vel per se vel per alios, & si non semper actu secundo, tamen actu primo*. Atqui non video, quid hæc clausula Teutenburgio prosit, nisi hoc asserere velit; Principes Germaniæ esse Gubernatores duntaxat & Præsides suarum ditionum, in quas summa potestas sit penes universos ordines. Quod an isti admissuri sint, dubito. Equidem dantur Aristocratiæ, in quibus Senatus ille, penes quem summa rerum, angustiori alicui concilio selectorum optimatum certa negotia deliberanda, aut expedienda sub certa mandati formula delegat. Sed quid hoc contra Severinum, aut pro Teutenburgio? nisi forte hoc somniare velit, Ordines Imperii ab alio quodam ampliore concilio deputatos esse ad negotia publica expedienda. Sed nec opus erat distinctione, *inter actu primum & secundum*. Nam satis norat Severinus, non opus esse, ut Optimates ne ad cibum quidem capiendum, aut somni causa domum discedant. Sed & hoc nosse debebat Teutenburgius, aristocratiæ non congruere, ut penes unum aliquem sit, quando Senatum convocare velit, ejusq; coitionem ad decem, duodecim, imo viginti octo annos rejicere. Dixerat porro Monzambanus, in aristocratia *magistratus debere rationem reddere Senatus*. Regerit Teutenburgius; *Ordines singulos ac privatos quoq; rationem reddere teneri universis, eorumq; capiti in Imperio*. Num igitur concludere inde vult Teutenburgius, Ordines Imperii

esse magistratus, quales in aristocratiis dantur? De cætero planum est, rationem diverso modo, fine & effectu reddi pro jure ac conditione tam ejus, qui rationem reddit, quam cui illa redditur. Illud falso à Teutenburgio ponitur, *ubi jus judiciorum à pluribus pendet, partem esse aristocratiæ.* Nam potest idem contingere in systemate, & in republ. irregulari. Notat quoq; Noster, quod Severinus negat, *Comitia ullo modo stati ac perpetui Senatus instar haberi.* Sed cum suæ negationis rationem nullam afferat, expectandum erit, quoad iste genus humanum doceat, *in quo consistat essentia aristocratiæ? quomodo differant Optimates & Senatus? quid revera sint, aut dici soleant Ordines imperii? quid Comitia?* Simulq; quam feliciter novas suas definitiones præsenti quæstioni adplicet. Mirum vero, quod Teutenburgio scribere in mentem venerit; omnia, quæ totum Imperium tangunt, (*imo etiam quæ partem*) toti Imperio curare in Comitiis fas esse. Ergo etiam in Comitiis curatur, quæ leges provinciales ab Ordinibus singulis ferendæ, qui magistratus ibi constituendi, quæ tributa exigenda, & quomodo impendenda, in quos jus vitæ & necis exercendũ, & quæ alia Ordinum jura sunt. Ast quę cura ac potestas à Concilio Optimatum exerceatur in singulas partes sui imperii, neminẽ latere potest, qui veram aliquãaristocratiã inspexerit. Quærit etiã Teutenburgius, *unde Ordinibꝰ potestas sit, causas domi cæteras,* de quibus sc. Comitiis curæ esse non solet, *expediendi?* Licebit etiam quærere; unde sit, quod Principes Germaniæ Dei gratia sese ta-

les profiteantur. Præfracte porro contra Severinum contendit Teutenburgius; aristocratiam esse, ubi Comitia,aut conventus,quales in Germania celebrantur. Ergo ignorat, in regnis ac systematibus Comitia & conventus celebrari. Sicuti & *pudenda ignorantia*, quam aliis objicit Teutenburgius, immane quantum ex illis pellucet,quæ super systematibus civitatum ineptissime garrit. De cætero agnoscit Monzambanus, Imperio Germ. competere vocabulum *reipublicæ*,sed irregularis:eandem *contineri imperio*, sed quod vehementer laxatum indolem imperii regii exuit, sic ut non paucis in negotiis inter caput &membra invicem non multum dispari modo agatur,atque inter eos,qui solo fœdere systematico junguntur,aut naturali & gentium jure reguntur. Obscuritatis accusat Teutenburgius, quod Severinus scripserat; singulos Senatores *non minus addicte* universo Senatui parere. Et clarius dicamus; singulos Senatores universo Senatui parere,ut veros & proprie dictos subditos. Nam contingit quidem & in aristocratiis, & in aliis rebuspubl.ut vis imperii in subditos diversa sese velut facie exserat, pro eorum dignitate, aut peculiariter quæsitis privilegiis. Quod tamen non obstat,quo minus *in singulos Senatores æque ac in alios cives jus vitæ & necis*; & tali quidem processus forma, quam Principes Germaniæ in se exerceri non patientur. Quod nemo abnuet,qui ullius veræ aristocratiæ historiam evolverit. Igitur Senatores in vera aristocratia *puniri* proprie posse, & ex hoc sequi, ipsos ut singulos revera subditos uni-

universi Senatus esse constat. Sed hoc ipsum *à libertate Ordinum Germaniæ longissimè abesse* rectè Severinus asserit. Etsi enim illi ad obsequium sui generis teneantur, & à coërcitione non plane sint immunes: facit tamen ipsorum eminentia, conditionem subditorum proprie dictorum longe supergressa, totiusque adeo reip. irregularitas, ut neque illud obsequium ejusdem sit generis cum eo, quod veri regni natura à civibus requirit; neque coërcitio cum illa pœna, cui veri subditi subjiciuntur. Quibus rebus irregularibus exprimendis cum nõdum peculiaria vocabula sint inventa, mutuo sumere tantisper licebit ea, quæ circa veri regni subditos adhibentur; modo quis meminerit, eorũ vim, quando ad Ordines Germ. adplicantur, longe disparem esse. Et quid aliud insinuat Teutenburgius, quando jus vitæ & necis exerceri posse in Germania ait, *pro ratione hujus reipublicæ?* Præterea ad id, quod dixerat Severinus; *in aristocratiis privatũ sibi patrimonium habent optimates;* reponit Teutenburgius: *restringi ad aristocratiam, quod ad omne reip. genus vult valere.* Frustra; cũ nulla heic sit restrictio, neque de cæteris rebusp. regularibus idem negetur; sed ideo solius aristocratiæ mentio fiat, quia de ea hoc loco disceptabatur. Gratis quoque genuinũ frangit, quando non ferendum pronunciat, in aristocratia civium & Senatorum bona pertinere ad collegium Senatorum universum. *id enim esse oligarchicũ.* Nam ea sunt Severini verba: *Senatorum patrimonium universi Senatus summo imperio subjicitur, ejusdemque legibus est ob-*

noxium. Neque adparet, quare & his verbis inquitet: *in Germania si removeas quæ ad singulos Ordines pertinent, nihil remanet.* Nam planum istud erat, quo tempore libellus ille primum in lucem prodiret. Vid. quoque *Capitul. Leopold. art. 30.* An interea temporis recens patrimonium Imperii enatum sit, mihi non constat. Neque vero *jus collectandi* locum habet, nisi ubi prius Cæsar cum Ordinibus per modum pacti convenerit, quantum & ad quos usus sit conferendum. Porro propter nexum feudalem dici utique potest, singulorum Ordinum ditiones ad totum Imperium pertinere. Sed modum pertinendi negamus esse tam validum, qualis est, quo universo Senatui privata patrimonia singulorum Senatorum, aut summis imperantibus in quavis civitate regulari bona civium privata subsunt. Isti autem velut oraculo Teutenburgii; *pugnat cum majestate, quicquid est fiduciarium, h. e. quomodocunque definitum, ut tempore, ut casu feloniæ, banni, & aliis;* opponimus *Grotium de J. B. & P. l. 1. c. 3. §. 11. 23* & ea quæ supra circa hanc rem à nobis disputata sunt. Quæ cum ita sint, stolide jam Teutenburgius postulat probari; *plane non esse Ordinibus potestatem, quæ aliquam aristocratiam veram efficiat.* Atqui ipsi probandum incumbit, potestatem, quæ universis Ordinibus in singulos competit, esse talem, qua singuli ad conditionem subditorum proprie dictorum, & quales in civitatibus regularibus existunt, redigantur. In Albertum Moguntinum nihil injuriosi à Severino dictum, cujus hic videtur sen-

puti-

putidum esse à magno principe exigere, ut dicta sua ad subtilitatem eorum, qui doctrinam civilem in Scholis docent, adeo superstitiose aptet. Inde statim subjungitur: ejus *sensum, utut incommodis vocabulis expressum, in se esse perspicuum.* Sicuti contra jejunæ illæ vocabulorum cavillationes, quibus tantopere se jactat Teutenburgius, non equestris ordinis virum, sed morosum pedantem decent.

Ad §. 6. Teutenburgius non pauca profert, quæ nihil magnifici de ipsius scientia politica testantur. Falsum enim est, *regnum κατ' νόμον, seu limitatum vel ad rempubl. mixtam, vel ad aliam simplicem, puta aristocratiam aut democratiam referendum.* Falsum est, *quicquid limitat potestatem sive juramentis, sive pactis injuratis, cum majestate & regno pugnare.* Sic & nescio, per inscitiam, an per cavillandi libidinem factum, quod *absolutam potestatem* nihil aliud dicat, quam *summum imperium*, cum facile esset ex eo, quem adducit, Severini loco illa quoque verba legere; potestas de negotiis summam rerum spectantibus *proprio ex judicio* statuendi. Falsum quoque est, regnum limitatum cum principatu coincidere. Falsum est, non aliam esse in regnis limitationem, quam qua Rex ipse voluntatem suam circa exercitium summæ potestatis determinavit. Falsum denique est, per limitationem summum imperium reddi truncum aut mutilum; aut absolutum statim esse regnum, ubi per leges ejusdem fundamentales summæ potestati nihil detrahitur, & alio transfertur,

aut dividitur. Quæ omnia latius heic deducere non est opus. Id quoque contra Teutenburgium notare velim; cum is putet quemlibet regem habere potestatem absolutam; & vero ipse asserat, *Imperatoris potestatem hodie non esse absolutam*; hoc ipso eundem Imperatori regium & summum imperium in Ordines detrahere. Quæ de jure antiquorum Cæsarum, aut veteribus Romanis legibus ad præsentem Germaniæ statum applicandis nugatur Teutenburgius, indigna responsione sunt. Porro Imperatorem provinciæ Hollandiæ non comparat Severinus; sed negat duntaxat, ex eo, quod quis neminem præter Deum & ensem habeat superiorem, consequi, eundem in Ordines habere regium imperium; exemplo Hollandiæ, quæ & ipsa superiorem non habet, nec tamen in reliquas fœderatas provincias imperium obtinet. Planè autem ineptum est, præfectum Hollandiæ cum Imperatore, quod Teutenburgius fieri debere putat, conferre velle. Deniq; *inania titulorum* eo, ni fallor, sensu Severinus vocat, quod cum in vero regno cives Regem vocent dominum clementissimum, & idem in Germania Ordines Imperatori faciant, nec tamen ideo ejus in se imperium regium agnoscant; hoc utique respectu ex amplitudine vocabulorum de ipsa re judicari liquido non possit. Sicuti & in locis à Teutenburgio allegatis ipsi Ordines obsequium suum *ad leges imperii* restringunt.

Ad §. 7. frustra inquirit Teutenburgius, *quod per potestatem regiam & summam, non ta-*

absolutam intelligatur; cum planum sit, Severino præsupponi distinctionem potestatis regiæ in absolutam & limitatam. Atque ejusmodi limitatum Cæsaris regnum in ordines utique oppugnat *Hippolithus;* de quo, unde judicium suum desumserit Severinus, mihi non constat, nisi quod liquido jurare ausim, à Teutenburgii ingenio in toto ipsius scripto nihil mutuo sumtum. Imperfecta est autem illatio Teutenburgii: *necesse est, posita civitate & imperio ut oportet, & remota monarchia vera dari democratiam, (quæ aperte hinc aliena,) vel aristocratiam, vel rempublicam mixtam.* Addendum quippe, aut remp. irregularem. Sic & ex sola cavillandi libidine Teutenburgius vellicat, quæ Severinus Hippolithi argumento opposuerat, quo hic Ordines Cæsare superiores, & imperium in ipsum habere contendit, ideo, quod unus & alter fastigio sint dejecti. Regerit enim Severinus, etiam inter eos, qui pacto duntaxat tenentur, quorumque adeo neuter in alterum imperium obtinet, eum, qui conventa violarit, functione posse dimoveri. Dein dubitat, num ordine omnia & legitime circa depositos illos Cæsares acta sint. Circa hæc vocabula putide cavillatur Teutenburgius; quasi privatis duntaxat negotiis gerendis unus *præponi* possit; aut qui proponitur revera serviret; aut nihil interfit, utrum quis functione sua excidat ob conventa non impleta, an pro imperio à superiore dejiciatur; aut privatus statim fiat & subditus alterius, qui delatum ab altero munus sub clausula commissoria accipit. Verba illa: *Imperator in-*

vitis Ordinibus nihil potest injungere, de negotiis, quæ in Comitiis proponuntur, capienda sunt; id quod verba immediate antecedentia ostendunt. Ergo frustra de privilegiis & justis mandatis garrit Teutenburgius. Sed & in hac quæstione, num ordines Cæsare sint superiores, nequaquam *notabile momentum* est, quod mediante capitulatione cum Cæsare convenitur, *ut fiat Cæsar*. Dum porro Severinus dicit, *si contra conventa quid Ordinibus velit injungere Imperator, hos impune posse ipsi non parere*, non prohibet quo minus molliora initio remedia experiri queant Ordines, si tale quid tentare aggrediatur Cæsar. Falsum quoque est, quod Teutenburgius videtur innuere, *ex divisione imperii* provenire, quod quis alteri, pacta conventa violanti, impune possit non parere. Quis porro metus ab Imperatore & Imperio immineat tribunalibus Principum quando super causis pecuniariis, aliisq; inter ipsum Principem, ejusq; subditos cognoscunt, ubi præsertim vel à tribunali, vel à summa adpellari ad tribunalia Imperii non potest, præter illam publicæ existimationis reverentiam, mihi nondum liquet. Falsum item est, quod Severinus *non tales ponat Ordines, quibus sola placeant honesta.* Arbitratur tamen inter honesta esse, libertatem, jura, ac privilegia sua legitime tueri & exercere. Neque vero *Gigantomachiæ similis erit Germaniæ status, si Ordinibus à Cæsare nihil possit imperari, quod displiceat.* Nam quæ vi capitulationis, aliarumq; legum fundamentalium Cæsar jubet, illa Ordinibus placere censentur, quia

in

in ea in anteceſſum conſenſerunt.Si quod præterea jubere velit Cæſar, & illud Ordinibus eſt placiturum, ſi neceſſitas & inſignis utilitas reip. idem commendet. Sed ut pro ratione ſit nuda ipſius voluntas, id à genio ejus reip. abhorret.

Ad §. 8. ſuper *limitato regno* argutari incipit Teutenburgius. Ad quæ nihil reponere opus eſt, tum quia Severinus negat Germaniam regnum eſſe limitatum, tum quia graviter errat Teutenburgius circa indolem limitationis, quando putat,per eam vel non circumſcribi arbitrariam poteſtatem,vel ſummam poteſtatem dividi. Deinde prolixam philoſophiam idem orditur ſuper mixtura rerump. quæ Severino tam in hypotheſi, quam theſi rejicitur.Prioris ratio hæc videtur, quia inter ſcriptores non convenit, utrùm diverſæ formæ in Germania æqualiter miſceantur, an una earum, & quousq; prædominetur: & quia illa, ex quibus miſceri aliquid dicitur,utique in mixto exiſtere debent.Atqui in Germania monarchiæ quid adparet, ariſtocratiæ nequaquam, per ea, quæ §. 5. tradita ſunt. In theſi autem mixtura Severino diſplicet, quia hactenus ita ſuperfunctòrie & ſecure ſuper ea fuit traditum, quaſi paululum neſcio quid per eam natura civitatum alteretur, ac non ex civitate proprie dicta per eandem proveniret resp. irregularis,aut plane quandoque monſtroſa, dum per ipſam ſummum imperium ſeu majeſtas dividitur. Quam diviſionem ſi leve quid arbitratur Teutenburgius, ne ille ſolidæ politices ignarum plane ſe fatetur.. Quæ apud ipſum ſequuntur, nihil

hil bonæ frugis habent; quæ tamen curatius discutere non pigebit, quod per ea simplicioribus facile fucus fieri queat. *Sunt distincti ordines in civitate*, inquit: sed ita, inquam ego, ut, siquidem civitati sua regularitas constare debeat, istorum ordinum constitutio, & distributio, & functio & jura originarie à summo imperio proveniant, cujus in civitate regulari est cives in certas classes decoris & boni ordinis causa digerere, & quamq; classem *in agendo dirigere* non præscribendo solum, sed & necessitatem adferendo. Nisi enim hoc modo explicentur ea verba; *majestas est jus summum directivum in agendo*, imperfecta ea pronunciamus. Sunt porro *actionum* in civitate *classes itidem variæ ac distinctæ*, sed ita, ut ubi regularis est civitas, ex uno fonte omnes promanent. *Hinc certa reip. munia, partes, jura*; sed à summo imperio in regulari civitate definita & assignata. Pergit Teutenburgius; *Nec vero ad rem facit, hic an ille ordo hac vel illa munia summo jure teneat separatim vel conjunctim, vel ut ἐξαιρέτως, in modum præcipui.* Quid audio? Nihil jam ad rem facit, quis ordo, quæ munia *summo jure* teneat? Quid imperitius unquā in doctrina civili dictum est? Ergo nihil amplius ad rem facit, civitatem constare ex pluribus corporibus independentibus; an unum sit principium actionum publicarum, an multiplex? Credo deinceps in familia quoque nihil ad rem faciet, num uxor, liberi, famuli omnia summo jure & citra dependentiam à patrefamilias ...t; *ne...*gant? Pergit; *neq; certam & immutabilem ha...*

habent

bent legem, sed à voluntate hominum, ut hæc à
nditione civium & ratione temporum pendent.
t ego dixerim; quot in civitate sint ordines, &
æ eorundem peculiares functiones ac jura, cer-
m & immutabilem ac in universum valituram non
bere legem; sed tamen ita, ut hoc pendeat à vo-
ntate summi imperii, quæ voluntas ex conditio-
hominum ac temporum temperatur. *Et ea est*
gula harum actionum; sed ita, ut si summum
iperium non penes se velut reservet fontem pu-
icarum actionum, sed in ordines reip. certas fun-
ones summo jure contulerit, adeoq; eodem sese
dicaverit, irregulare inde corpus sit emersurum.
am habēt quidem homines in ejusmodi institu-
& actionibus libertatem; ut tamen semper ad
iem, quem sibi proposuerunt, respicere debeant,
; ista instituta caute attemperare. Alias enim,
ine semel designato, nihil interesse putent quid
lint, non mediocria *monstra alent*. Sic quæ for-
a domui sit assignanda, in voluntate architecti
t. Sed si idem nihil interesse putet, ad columbarii
it haræ formam partes ædificii disponat, quod
ibitationi hominum destinabatur, næ ille ma-
ium *monstrum alet*, utut ista structura *cum ejus*
luntate conveniat. Unde operum humanorum
tura nequaquam ex mera voluntate hominum,
d etiam ex idonea dispositione ad suum finem &
ium est metienda. Sed non ut placidis coëant im-
itia, non ut Serpentes avibus geminentur, tigri-
is agni; adeoq; ut voluntas sibi ipsa non contra-
etur. Sic est sane penes ducem, exercitum in quot

 velit

velit minores partes dividere,& cuiq; statione assignare. Sed si idē cuiq; cohorti actiones suas *summo jure* exercendas relinquat, egregium scilicet exercitum habebit,& abs quo magnifica expectare facinora debeat. *Lampadii* aut alterius autoritas frustra heic occinitur, ubi ratio aliud suggerit. Ridicule majestas illi tribuitur, *qui unam tantum partem summi imperii independenti potestate gubernat.* Majestas quoque non sola independentia, sed & facultate civitatem ut talem regendi est definienda. Unde licet circa idem objectum versari queat majestas,& magistratus; magnum tamen inter ea discrimen erit, quod illa independenter, hic potestate ab illa delegata id agat. Possunt porrò actus ad civitatem regendam necessarii suo modo dividi in *homogeneos & heterogeneos*, v.g. ut homogenei sint colligere pecunias & erogare; heterogenei, creare magistratus & judicia exercere; nempe ut à summo imperante non temere, uni magistratui aut ministro committantur heterogenea. Unde & hæc distinctio in respectu magistratuum valere poterit; non autem respectu summorum imperantium; quibus nihil heterogeneum est, quod ad regendam civitatem pertinet. Ergo cui omnino miscere remp. cordi est, magistratuum functiones perite misceat; majestatem miscendo ne dividat, ac dividendo destruat. Neque sane scholasticum dogma est de majestate non dividenda, sed quo nullum in rep. majoris est momenti. Illa potius Teutenburgii subtilitas plane abecedaria est, quod putet; *in mixtura non videri divisionem, sed*

ex-

tensionem majestatis, ac potius unionem in plures civitatis ordinibus. Ponamus enim Teutenrgiū plura habere prædia; ac ut potestas sua hes extendatur, singulis villicis suis singula prædia nmo jure administranda concedere; sane paulo t eques iste cogetur pedes ire. Est quoque *mixa aut divisio imperii litium quandoque remem*, sed quale defecto crure fulcrum ligneum. nique quin summum imperium dividi possit, olute non negat Severinus; sed facta divisione itatem regularem manere, hoc negat. Vanum oque est Teutenburgii argumentum, quo Gerniam ex monarchia & aristocratia mixtam adiere laborat. Nam propositio ipsius major: (*Ubi a jura summi imperii, eorumq; partes sunt in dum penes unum, alia penes eundem & plures os simul, ibi est resp. ex monarchia & aristocratia stituta,*) hac limitatione indiget; modo plures optimatibus aut senatoribus in regulari aristotia pares sint. Id quod de ordinibus Germaniæ gamus, quorum conventus aut comitia disparis oncilio & senatu optimatium naturæ esse nemo uet, qui regularis aristocratiæ geniū intelligit. od Severinus asserit, *in Germania Ordines suam rtatem suaq; jura cum Cæsaris potestate comare posse*, id intelligi ab ipso arbitror de illis jus, quæ singuli Ordines in suas habent ditiones. sane ego non comparare modo, sed & anteferre deam illis juribus, quæ Cæsari in easdem Ordim ditiones competunt. Nequaquam autem mo ipsi est de illa eminentia, qua peculiariter

ter Cæsar præfulget. Sed & probe obſervandum, in quæſtione; *An Imperator ſit Rex limitatus*, Imperium cum Imperatore non eſſe conjungendum. Nam quo vinculo Ordines toti Imperio teneantur, ad definiendam poteſtatem Imperatoris per ſe nihil attinet. Denique utut detur, unum vel alterum principem ſua libertate latius uſum, quam leges Imperii ferebant: ſufficit tamen, quod illa libertas, ejusque legitimum exercitium ejusmodi ſit, ut cum conditione regni limitati conſiſtere nequeat. An autem & quousq; unus & alter limites juris exceſſerit, ac dæmocratica politica uſus ſit, ex diſcuſſione ſingulorum exemplorum adparebit. Quam ubi Teutenburgio inſtituere placuerit, non deerunt, qui reſpondebunt.

Ad §. 9. evertendum Teutenburgius omnibus viribus connititur. Ubi id primo reponimus, nos hactenus nihil ab ipſo adferri vidiſſe, quod prohibeat, quo minus Germania irregularis resp. dici queat. Nam Severino naturam civitatis & majeſtatis ignoratam fuiſſe, gratis vix crediderim. Dicere autem, ſcientiam civilem, etiam prout à viris ſummis hactenus fuit tradita, non omnia ita perfecte & accurate tradere, ut nihil poſſit addi, neſcio an piaculum ſit. Materiam de ſyſtematibus civitatum ad politicam non pertinere, æque imperite dicitur, quam eandem apud *Ariſtotelem Polit. III. 6.* (9) aut ejus commentatorem *Mich. Piccartum* plene tradi. Severini dogmata ad diſſolutionem Imperii Germanici tendere, per impudentem calumniam dici fatebitur, quisquis *caput 8.* perle-

ge-

t. Quid autem rei *novissimum Imperium uni-*
sale sit, quod apertius non exposuerit Teuten-
gius, male de humano genere est meritus. Fal-
porro est, ibi statim regnum proprie dictum
, ubi unus jura quædam regia possidet. Falsum
que, regnum limitatum esse, ubi jura regia ma-
i momenti pari vi ab uno & à pluribus ex-
ntur; aut regnum limitatum & aristocratiam
im & idem esse. Cum etiam ex mente Severini
sens Germaniæ status ex degeneratione regni
venerit, cujus tacita fere momenta non solent
cta publica referri, frustra quæritur; quando &
modo regnum limitatum expiraverit? Sufficit
n dudum expirasse. Incassum quoque vocabu-
simulacri impugnat Teutenburgius, per quod
quaquam Imperatori detrahitur illa potestas,
e ex legibus Imperii in Ordines eidem compe-
sed negatur duntaxat, ad perfectionem potesta-
regiæ proprie dictæ adsurgere, etsi exterior fa-
tale quid præ se ferre videatur. Quando dein-
s super systematibus civitatum disputat Teu-
burgius, nihil aliud quam inscitiam suam apri-
ur, & dat sine mente sonos. Non autem sequi-
; *nihil est Imperio cum systemate civitatū, quia*
rigine fuit una civitas, nec principium habet
ntaneum. (debebat dicere, nec ex fœdere prin-
ium habet:) Nam Severinus Germaniam ne-
quam perfectum & proprie dictū systema pro-
nciat, neque formæ, qua nunc gaudet, originem
œd. re deducit; sed eandem ex degeneratio-
à regno versus systema provenisse asserit.

Quod

Quod & ipsum Teutenburgio adstruitur *p. 48. 49.* si modo ipse dictorum suorum vim capit. Neq; ad rem faciunt, quæ super majestate sophisticatur. *Oportet*, inquit, *in Germania alicubi totam esse majestatem*, nimirum si regularis civitas Germania esse debet. *Nam cum majestas dividi nequeat, posita ejus parte tota erit ponenda.* Atqui majestas Severino hactenus dividi posse negatur, quod divisione facta civitas regularis esse desinat. Igitur posita civitate regulari recte concluditur: qui homo vel quod conciliũ partem habet majestatis, etiam totam habet. Id quod in rebusp. irregularibus secus est. Cum itaque in Germania neq; in uno homine sit tota majestas, i. e. cum non unus homo de omnibus publicis negotiis, omnibusq; ejus reip. partibus summo jure disponat; neq; unum concilium ut tale: regularis civitas Germania non erit. Et ne quis circa posterius membrum dubitet, observandum est, Imperatorem & omnes Ordines, disponere quidem de omnibus publicis Germaniæ negotiis: Non tamen de omnibus negotiis disponunt ut universi & in concilio; sed de plurimis ut singuli separatim disponunt jure suo, quod non procul à summo imperio abit. Quia tamen eidem juri aliquid ad plenam majestatem deest, in de dici nequit, Germaniam ex pluribus distinctis ac proprie dictis civitatibus constare, seu singulos Ordines singulas civitates constituere. Atque inde est, quare Germania regulare & proprie sic dictum systema dici nequeat. Fallit ergo conclusio Teutenburgii: *Imperator & imperium una civitas justa*

justa erunt. Simulque adparet, utique medium dari posse inter unam civitatem & unum corpus ex pluribus perfectis civitatibus constans; nempe remp. irregularem, quæ & ipsa imperfectione laborat, quatenus membra ejus laxius quam pro indole vinculi civilis cohærent. Nam ut in degenerationibus res aliqua necessario sit denominanda à termino, à qua degeneratio incipit, quousque penitus ad terminum, versus quem degeneratio tendit, pervenerit, non est necessarium. Sicuti nec illud, ut degeneratio ab uno extremo ad alterum perveniat; cum possit citra alterum extremum subsistere. Quod similitudinibus declarari posset, ni easdem ultra tertium comparationis extendere Teutenburgius ingeniosum duceret. Non est autem exiguum quid aut modicum, in quo Germania à vero regno abit, ut considerari non mereatur. Cæterum ut nemo cordatus negaverit, irregularem formam morbis in Germania præbere fomitem: ita neq; Severinus neq; alius abnuerit, quin longe major malorum tempestas Germaniæ sit incubitura, si illud, quo adhuc continetur, vinculum plane sit abruptum, ac singuli Ordines ad plenam Souvereitatem, plerisq; exitio futuram, pervenerint. Quod autem Severinus dixerat; si mutua renitentia inter Imperatorem & Ordines tollatur, ac si utrique præsenti jure contenti ulteriora non affectent, revera Germaniam fore corpus sociorum inæqualium, cujus caput sit Cæsar; id intelligendum *in effectu*, uti loquntur; quia non solum talis potestas, qualis Cæsari in Ordines competit, à ca-

à capite fœderis systemati inæqualis non abhorret; sed & quia modus agendi & tractandi inter Cæsarem & Ordines, non Regem & subditos, nec socios æquales, sed inæquales refert; nec vinculum, quo Ordines Cæsari subsunt, in effectu à vinculo sociorum inæqualium multum abit. Quia tamen ea reip. forma non ex fœdere provenit, non necessum est Germaniæ vocabulum systematis proprie dicti indere, sed pace Teutenburgii licebit medio quopiam nomine ipsam insignire. Cæterum cui *caput V. Monzambani* fuerit perlectum, ei non difficile erit judicare, ex civitate regulari, an ex systemate plus trahat Germania. Ut autem Idem de natura civitatum & systematum in genere traderet, modus opusculi non ferebat. Ac sine dubio sperabat, neminem existimationis suæ tam prodigum fore, ut ad censuram heic exercendam provolaret, nisi doctrinæ civilis solidè esset peritus. Cujus non utique invidendum specimen edit Teutenburgius, quando sic colligit: *In quocunq; corpore omnia sunt essentialia civitatis requisita, illud est vera & consummata civitas.* Nam addi debet, ea requisita quoque *rite unita* esse. Hanc unionem summæ potestatis in uno homine aut concilio, quanta quidem ad perfectã & regularem civitatem desideratur, in Germania non adparere tradit Severinus. Sed & oppido quam ex paupertina taberna depromitur, quod de duplici *fœderis* acceptione Teutenburgius garrit. Ut enim demus fœdera vocari illa pacta, quibus civitas connectitur, num tamen *ad fœdera, quæ civium societatem*

tem continent, notabiliter quoq; *pertinent fœdera inæqualia,jus imperii imminuentia?* an potius peculiari illa classe censenda. Denique cum Teutenburgius ultimo fateatur, *remp. Germanicam proxime accedere ad ejusmodi systema quoddam, contentione aliarum rerumpublicarum*, seu si cum regularibus civitatibus compareturi, *& per similitudinem, salva tamen ejus essentia & forma intrinseca*: scire velim, quæ causa sit, quare Germania systemati similis, & civitatibus regularibus dispar adpareat, si illud ipsum φαινόμενον non à formà ejus intrinseca promanat? Quod non magis demonstràre poterit Teutenburgius, quam id ei quisquam credet, systemata vocari debere, *quæ ex pluribus civitatibus in unam, ordine imperandi & parendi communiter gaudentem, coiverunt.* Nisi forte ex musica novam nobis doctrinam de systematibus civitatum adornaturus est, quæ cantorum nationi egregiorum materiam hymnorum suppeditabit, dum se cervice supinant. Ad ultimum tandem frivole quærit; *quinam sint morbi corporum fœderatorum, vel exacte vel propemodum talium?* Quasi illa non possint quosdam morbos cum civitatibus habere communes, quosdam sibi peculiares. Et vero valde obesæ est naris, cui lecto *capite* VII. *Monzambani* de morbis istis non aliquid subolere possit.

Quæ cum ita sint, judicent nunc, quibus harum rerum intellectus, & quibus mens à præconceptis opinionibus vacua, Teutenburgius an Monzambanus

benus ad ſcita ſolidæ politicæ præſentem Germaniæ ſtatum curatius trutinaverit, aut utrius tradita *in actu rerum ac conſiliis moderandæ reipublicæ* ſequi Germaniæ ſaluti magis expediat.

ADDENDA.

ad p. 381. in fine §. 24.

POſt cæteros denique novus in *Severinum* ſurrexit hoſtis; qui velut ex inſidiis libellum, *Monſtroſæ Reipublicæ* vocabulo inſcriptum, prorepere juſſit; ac me quoque potiſſimum inter ejusdem *aſſeclas* perſtringere voluit. *Venit & upilio; tarde venere bubulci.* Hic cum plane albæ ſibi gallinæ filius videatur, ac quicquid ex ſcholis profectum eſt, alto ſupercilio deſpiciat, inuſitatam quandam & ex aularum ſecretis petitam ſapientiam minatus; vitio mihi non vertetur, ſi quam inauſpicato iſte triarius arma moverit, oſtendero. Neq; vero in eo notabimus dictionem inepte conciſam, & quæ triſtem arrogantiam præ ſe ferat, quaſi qui dedignetur cum aliis hominibus loqui, & abruptas tantum voces quasdam jaciat, velut indignũ foret, tantam ſapientiæ vim mortalibus exponi ex facili deglutiendam. Rem ipſam excuſſiſſe potius fuerit. Ac in *præloquio* quidem futuræ tractationis fundamenta ſubſternit. *Poſſibilis*, inquit, *in materiam formæ inductio, menſura perfectionis rerum civilium.* Iſthoc oraculum ſi de ſingulari materia, puta de hoc vel illo populo intelligatur, hunc habet ſenſum: ſi in hunc populum talis reip. forma indu-

inducatur, quæ ipsius conditioni quam maxime congruit, is populus statu fruitur sibi in præsens commodissimo. Eodem modo munitio certum locum quam maxime decet, quæ situi ejus dextre est attemperata. Sed num inde consequitur, unam formam non esse altera præstantiorem, aut inter regularem formam nihil interesse? Ast si effatum istud in genere capiatur de quavis materia hoc sensu; in civilibus institutis nihil datur absolute perfectum; à scopo disceptationis aberratur. Nam illa rerum civilium imperfectio non obstat, quo minus inter regulare & irregulare sit discrimen. Addit; *nec abstractæ scholarum regulæ morale suppositum semper capiunt.* Ut puto deinceps perfecti nota politici erit inquinate & soloece loqui. Sed demus, non semper civitates pro præsenti sua conditione regularem formam capere, qualis à scriptoribus scientiæ civilis traditur, nec ad eam posse perduci perfectionem, qualem aliqui in idea proposuerunt. Demus etiam quod *contumax moles suppositi moralis doctorum haut coercetur subselliis*, i. e. quod singulæ civitates non possint concinnari ad regulas doctorum politicorum: non tamen ideo *formæ præstantia ex materiæ aptitudine æstimabitur* hactenus, ut regulare ab irregulari, sanum à morbido discerni nequeat. *Omnis reip. forma ex illius materia*, fringultit noster dictator. Atqui cæteri mortales credunt, ad formam reip. aliquid etiam facere voluntatem & sapientiam eorum, qui primitus istam constituerunt, aut post eidem leges fundamentales tulerunt. Neque

que vero semper & ubique tam contumax est materia civitatum, ut non aliam, quam quæ nunc est, formam capere; aut in aliam refingi queat. Et licet sapientis sit non niti contra id, quod præsens rerum conditio fert; non tamen ideo cujusvis rei præsens habilitas perfectionis mensura. Sicuti nec architectus irregulare opus agnoscere detrectabit, ubi istud pro necessitate loci *egreditur lineas, quibus istud adstringi* situs vetabat. Quin nec *formositatem* ejusmodi operi detrahimus, apud eos cumprimis, quorum oculis istud familiare est. Et structuræ inconcinnitatem ipsa moles ac materiæ firmitas pensare potest. Sed his missis videamus, quid sapientiæ in ipso opusculo expromat *Carolus Scharschmid J.V. Doctorandus* in Acad. Jenensi. Par enim est, ut tam rari scripti autor delio suo, ex quo tam confusos dat sonitus, evolvatur.

Ac tria quidem priora capita nihil ad Severinum. Nam i lam sententiam: *Germaniæ aquila non nisi in nido sola; plures enim sunt, qui fasces imperii gerunt*, Athanasio Kirchero inter mysteria Ægyptiorum enodandam commendamus. Sed in *capite IV. de Democratia* jam signa infert, ac Severinum male ratiocinatum arguit; simulque circa definitionem civis Aristotelicam propugnandam extrema quæque tentat. Ubi patet, Severini mentem non esse, Germanicum imperium serio democraticum statuere; sed tantum insinuat, displicere sibi, status Imperii civium vocabulo à quibusdam ita pertinaciter designari. Atque arbitratur, datis his propositionibus; democratia est, ubi omnes ci-

ves

ves suffragia de rep. ferunt: & solus ille, qui suffragium fert in aliqua republica, civis est vocandus, sequi hanc tertiam: Ergo ubi omnes cives suffragia ferunt, ibi est democratia. Quæ conclusio cum falsa sit, putat alteram enunciationem fallere, quæ necessariam cujusvis civis affectionem ponit in facultate ferendi suffragiū. Equidem Aristoteles civem suum democraticum in excellentiori gradu definire voluit; verum ita ut eundem contradistinguat inquilinis, & servis, & fœminis, & pueris, & senibus de ponte dejectis. Imo ut expresse agnoscat, jus ferendi suffragia, & participandi de magistratibus non esse proprium ejus civis, qui in alia reip. specie vivit. Etsi nec suffragia ferre ita proprium sit civis, ut non etiam in socios cadat, uni systemati illigatos; cui cum integræ quoque urbes & resp. nomina sua dare soleant, dubito an quis istas civium vocabulo notare possit, nisi diversam ab illis hominibus linguam velit fingere. Sed nimirum nihil tam absurdum est, quod non admittatur ab illis, qui semel sensum communem ejurarunt. In gratiam definitionis Aristotelicæ Rex unicus in suo regno civis constituitur. Neque in mentem venit, jus suffragia ferendi supponere plures pari jure instructos; & magistratum esse ministrum summi imperantis. Sed & novum absurdum cumulat Scarenschmid, dum velut expostulabundus dicit: *quid absurdi, si regem ita dixerim? Idem enim ac si dixeris subjectum, quod de regenda rep. participat.* Quid audio? Rex *participat* de regenda rep.? Quinam ergo sunt cæteri in

regno, qui de regenda rep. pari jure participant? Aut quota est ea pars, quæ regi competit? Postquã tam argute civis titulum Regibus adstruxit Noster, jam quoq; regnicolarum conditionem splendide designat, & proprio vocabulo *servos publicos* ipsos proclamat. Eat nunc aliquis regnicola, & opes atque nobilitatem suam jactet, si sutor aliquis aut cerdo democraticus civis dignatione cum Regibus fulget, iste autem nil nisi servus publicus est. Ne tamen nobiles regnicolæ metuant, ex doctrina Scarenschmidica sibi deinceps plateas esse verrendas, caute protestatur, se id vocabuli capere *in sensu morali, non juris Romani*, quo servi publici post lictores viatoresque stabant. Atqui servus publicus etiam morali sensu nihil aliud quam mancipium est, cui nihil proprii sit, & qui vendi alienarique pro lubitu queat. Neque enim crediderim, Scarenschmidium argutias captare ex dictione quarundam linguarum, queis servi vocabulum etiam vulgari offisio exprimendo adhibetur. Mox tamen se correcturus subjungit; *sunt subditi, quibus dicta definitio accurate non competit*. Enimvero non proletarius faber audiet Scarenschmidius, si omnibus regnicolis persvadere queat, inter servos publicos & subditos nihil interesse. Nam subditos sese summi æque atque imi libenter agnoscent, suamq; operam imperio Regis bono publico adplicabunt: sed qui servos publicos eosdem dixerit, eum in malam rem abire jubebunt. Neque etiam videtur Scarenschmidius cogitare, per solum jus suffragii non collocari aliquem supra conditionem subditi; cum

alias

alias democratiæ forent respp. sine subditis. Laudatur tamen tam duræ philosophiæ autor *Caspar Contarenus de rep. Veneta l. I.* non sine encomio *qui forsan non ex cerebro civilem hausit prudentiam.* Ast si vel maxime Contarenus, amore suæ nobilitatis fascinatus, de regnicolis secius quid scripsisset id non statim in oraculi vicem nobis fuerit amplectendum. Deinde Isti sermo est de *opificibus* & *mercenariis*, quos in urbe Veneta servorum publicorum loco haberi nostra quidem parū interest. Add. *Aristot. 3. Polit. 3.* unde sua desumsit Contarenus. Sed si Scarenschmidius putet omnes regnicolas eadem cum mercenariis & opificibus Venetis classe censendos, aut populos qui regnantur non nisi ex opificib. & mercen. constare, quam tocyus Anticyram navigandum ipsi fuerit. Alteri, quem pro se adducit, Viro Celeb. nobisq; amico, autoritatem opponimus *Bœcleri Instit. polit. l. 1. c. 6. p. 69. 70.* viri dum viveret magni judicii & raræ eruditionis, qui salva amicitia ab isto heic in alia omnia abire nefas sibi non duxit. Præsertim cum regula illa, quod *veri socii sit suffragium ferre & sententiam de rebus ad societatem pertinentibus*, proprie ad eos spectet, qui contractum societatis inter se inierunt. De cætero enim omnes hactenus tradiderunt, societatem esse inter patrem & liberos dominum & servos; ac nemo tamen credidit contradictionem implicari si liberis aut servis in rebus familiæ jus suffragii denegaretur. Quod si quis regerat, liberis ac servis sociorum vocabulum proprie non competere; is faciet nobis so-

 cieta-

cietatem uno ſocio conſtantem, & ſocium ſine ſocio. Claudit demum huncce locum Noſter hoc ratiocinio: *Qui non habet, quod de veri civis eſt conceptu ſc. jus ſtatuendi de rep. iſte nec verus civis dicitur. Sed illi patresfamilias à reip. partibus excluſi* in monarchiis & ariſtocratiis, *hoc jus non habent. Quo pacto igitur Monzambano illos fecerit cives ad definitionem Ariſtotelicam,* quam Monzambano tantum in cives democraticos quadrare contendit? Eat nunc aliquis, & Scarenſchmidii politicam ex cerebro hauſtam arguat. Caput V. in quo *de rep. conſœderata* agitur, eſt ſupervacuum, cum nemo ſit, qui Imperium Germanicum regulare ſyſtema, & cui fœdus aliquod ſociale originem aut formam dederit, aſſerat. Quod tamen idem ex indole ſyſtematum non parum trahat, & aliqua retineat, quæ regno propria ſunt, nemo abnuet, niſi plane in doctrina civili, aut in ipſa Germania hoſpes ſit. Cauſa in promtu eſt; quia præſens ejus Imperii forma provenit ex degeneratione & velut vergentia verſus formam ſyſtematis, ita tamen ut ea vergentia citra terminum ſuum ſubſiſtat. Et ſic neque plenum regnum ſit, neq; regulare ſyſtema. Nam à regulari ſyſtemate id imperium diſcrepat, quod ejus membra *nec plane abſoluta, nec ſuperioris neſcia, nec in votis æqualia.* Sed in hoc idem à regno etiam limitato abit, quod membris ejusdem conditio ſubditorum non congruat, & quod, qui caput audit, in reliqua membra imperium regium & regio modo non habeat; & quod in Comitiis voluntas Cæſaris nihil valeat, ni Or-

dinum

dinum voluntas accesserit. Qui etsi propter eminentiam *pro pari & socio* æquali, saltem à singulis, haberi nequeat; ni tamen Ordines ad subditorum classem redigantur, contra Severinum nihil efficitur. Sic inane est, quod noster addit; in rep. fœderata socios *fœderi pro lubitu renunciare*; quod in Germania secus sit. Nam de regulari systemate, & quod primitus ex fœdere coaluit, sermo non est. Quin nil videtur obstare, quo minus contrahatur fœdus systematicum æternum, cui singuli pro lubitu non possint renunciare, & si quis ausus id fuerit, à cæteris bello coërceatur. Præterea nemo est, qui Cæsari adimere velit jurisdictionem, quam vi electionis suæ habeat. Sed scopo Severini sufficit, quod illa talis non sit, qualem veri reges in suos subditos exercent, ubi nulla *causarum exceptio*, quam heic noster agnoscit. Qui ita *Judicii Aulici* meminisse debebat, ut Cameræ Spirensis non plane oblivisceretur. Nexum feudalem uti *quodammodo laxatum* recte agnoscit Noster: ita injuriam facit, si *plane istum sublatum* à Severino asseri arguit. Nam sufficit, quod per istum Ordines ad conditionem subditorum proprie dictorum non redigantur. Licebit quoque Scarenschmidio per otium ruminari *Grotium de J.B. & P. l. 1. c. 3. §. 11. 16. & 23.* In titulorum formulis frustra arcani quid Noster captat. Quod autem addit *status non nomine solum, sed & re diversam à fœderata volunt rempublicam, ne si vere in fœdus eat, à regibus minus monarchice tractetur*; id commentum est, in cerebro hominis non ita astuti natum.

In §.3. Scarenſchmidius, quæ de vi inveſtituræ Statuum dicuntur, male porrigit ad Landſaſſios, in quibus utique nexus feudalis haudquidquam, uti in illis, eſt *laxatus*. Unde ut inveſtitura parem utrinque vim habeat, non eſt neceſſum. Neque tamen ideo eadem *plane fruſtranea & inanis* à Severino aſſeritur. Nam ea mediante Status obſtringuntur toti corpori, ejusq; capiti, quantum legibus uſuiq; imperii congruit, ſibiq; viciſſim recepta jura atq; commoda ſtipulantur.

In §. 4. Vitioſe infertur; ſi per inveſtituram Statibus ditiones ſuæ non vere conferuntur, ſic ut per iſtam fiat, ut quod antea non habebant, poſt habere incipiant; ergo nil ex oppoſito iisdem aufertur, ſi ob fractam pacem publicam territoriis priventur. Iſtud tamen recte: *Cæſar minime ſibi perſuadeat, ex ſuo quaſi peculio Statibus conferri territoria pro lubitu repetenda.* Sed quod additur; *hæc non tam ab illo* (Cæſare) *quam ab Imperio cum ampliſſima facultate veniunt*; id ambigue dicitur. Si enim hic eſt ſenſus; feuda in ſingulos ſtatus conferuntur ab univerſis Statibus, ex illis bonis, quæ ad univerſitatem eorundem ut talem pertinent; aperte falſum aſſeritur, cum ditiones, quæ ad univerſos ut tales ſpectant, nullibi extent. Sin autem ſenſus ſit: Imperii ſeu univerſorum Statuum voluntatem eſſe, ut ſinguli ſtatus petita inveſtitura ditiones ſuas recognoſcant tanquam partem Imperii: id dicitur, quod nemo in dubium revocavit. Nec inſuper habendum, quod Noſter paulo poſt dicit: eas ditiones *ſuo modo* ab Impe-

rio per investituram venire. Porro quantum ego video, Severinus coërcitionem Statuum, qui pacem publicam violant, non ex conventione aut compromisso derivat; sed ita colligit: si in fœdere æquali potest ex conventione existere aliqua jurisdictio, quæ turbatores societatis compescat; quanto magis in rep. irregulari, quæ ex regno systema versus degeneravit, ut tamen Status ideo non redigantur ad subditorum conditionem. In sequentibus verbis nescio quid mysterii latitet: Licet ponatur, pœnam in Status pacem turbantes *oriri ex comitiali conventione Cæsaris & Statuum: fundamentum tamen & causa movens est extrinsece pacis publicæ, intrinsecus autem illius juramenti læsio, quæ suadebat auferri, quod quis sub jurato investituræ vinculo acceperat, hoc tamen violaverat.* Saltem non adparet, quid contra Severinum inde possit colligi. Denique per investituram Statuum revera conferri ditiones, quas quis ante non habebat, non inde evincitur, quod extinctis familiis principalibus ditiones ad Imperium devolvantur. Nam & simplici pacto hoc caveri potest; tanto magis, idem ut in rep. irregulari sit receptum, fieri potest. Hactenus ergo nihil *ex interiori adspectu Germaniæ* protulit noster, quod plusquam scholasticas ipsum visiones habere demonstret.

In §. 5. falso accusatur Severinus, quasi *juramenta fœderis & fidelitatis confundat.* Id enim vult iste; summum imperium etiam posse competere illi, qui juramento alteri est obstrictus; imo & qui juramentum fidelitatis præstat, si nempe per il-

lud salva relinquantur talia jura, quæ cum conditione subditi stare nequeunt. Hoc verò non est idem, ac si dicerem; *juramentum homagii sive subditorum intelligitur salvis eorum juribus.* Nam profecto jura illa, quæ subditis proprie dictis per homagium salva reservantur, nequaquam comparari possunt cum illa eminentia, quæ Statibus Imperii Germanici competit. Carpit quoque Severini verba ex *c.VI.* §.*9.* *si tollatur mutua renitentia inter Imperatorem & Ordines, Germaniam revera seu in effectu fore corpus aliquod inæquali fœdere nexorum;* quia tunc sistetur degeneratio, nec amplius porro aut retro procedet. Quid contra adfert Scarenschmidius? *Tollantur nunc hæc studia; Germania erit tranquilla.* Qasi verò ubi resp. quædam interna tranquillitate gaudeat, illa irregularis esse non possit, aut systema sociorum inæqualium referre.

In §.*6.* inepte petit sibi *fœdus ostendi,* cum ad eam difficultatem dudum sit responsum in *dissert. nostra de rep irregul.*§.*14.* Jejuna quoque est explicatio formulæ, fœderibus inæqualibus propriæ, *comiter alicujus majestatem colere;* quasi ea nihil aliud notaret, quam ut *unus alteri non obnoxius ob inæquales vires, alium potentiorem suspiciat & veneretur vel cum vel sine fœdere, nullo insuper ad illum habito respectu.* Ast si autores Romanos evolvisset Noster, facile potuisset perspicere, eos, qui comiter majestatem populi Romani colere tenebantur socii, ad plura præstanda obligatos fuisse, quam Status Germaniæ Cæsari, nisi quantum hi ultro consenserint.

In

In §.7. frustra contra *dissert.de Rep.irreg.* §.14. aliquâ regerere nititur. Nam ipse fatetur, *Imperii vinculum quondam fuisse vere monarchicum, sed ubi facta laxatio, Ordines retentos Imperio vinculô Vasallorum, non subditorum: postmodum & hunc paulatim se laxavisse nexum, in quibusdam tamen saltem effectibus v.g. servitiis feudalibus.* Atqui hoc sufficit pro adstruenda irregularitate. Inprimis si id quoque cogitare velit Noster, quod quando *Ordines Imperii majestatis subjectum auxisse* dicit, diverso modo illis majestas communicata sit, & sese per eosdem exserat, quam in aristocratia fieri svevit, ubi singuli quidem Optimates suffragium ferunt de republica, sed ut ideo à subditorum conditione non eximantur; quod circa Ordines Imperii secus est. Vinculum autem Vasallorum plane desiisse, & in fœdus proprie dictum fuisse mutatum, nemo asseret; cum in eo casu Germania regulare systema futurum esset. *Vasallus* autem, cujus vinculum est laxatum, quamdiu tamen aliquid ejus superest, *necessario* quidem *dispar fœderato*, ut tamen nihil repugnet, ipsum in effectu parum ab isto discrepare. Quin si quis allegatum *cap.2.l.2. operis Seckendorffiani* penitus expenderit, patebit, id re ipsa nobiscum conspirare. Nam inter quatuor illa, quæ Principibus Imperii ad Suveræniratem, ut hoc vocabulo utar, deesse tradit, primum pertinet ad inæqualitatem; alterum cum fœderis systematici & perpetui natura optime convenit; tertium omnibus sociis commune est; quartum ex regno superest, sed satis temperatum, un-

de irregularitas reip. promanat. Igitur impugnantur sola vocabula, quia ista in vulgatis libellis politicis non inveniuntur, ubi etiam de systematibus civitatum altum est silentium.

In §.8. denique fatetur Noster, *fœderis simulacrum adparere in externa Imperii facie*. Sed quam prope ad indolē fœderis, aut regni intrinsecus nexus accedat, ex collatione doctrinæ civilis cum legibus Imperii fundamentalibus, ac recepto agendi & tractandi more ostendit Severinus. In fine prioribus Severini oppugnatoribus argumentum subsidio Noster mittit, cujus fragilitas clarius adparebit, si observetur; fucum fieri ambigue adhibito vocabulo *majestatis* aliquando pro summo imperio in sibi subjectos, aliquando pro eximio quodam splendore. *In fœdere*, inquit, *qua tali, non est accurate majestas, sed est in singulis fœderatis, non tamen ut talibus*. Id est, eo ipso, quod quis alteri fœdere tantum jungitur, neque in eum accipit imperium, neque ejusdem imperium summum subit: sed quod antea habuerat in suos summum imperium, retinet. *Sed in Germania*, pergit, *qua tali sc. universim sumta, est majestas, quæ non datur in singulis ut talibus, verum universis*. Hujus effati triplex esse sensus potest. Si enim hoc ita intelligatur; Cæsar & universi Ordines habent summum & regium imperium in singulos Ordines; tunc Ordines ad subditorum proprie dictorum conditionem rediguntur. Quod si hic sit sensus; Cæsar & Ordines conjunctim sumti habent splendorem & autoritatem, quæ singulis non competit; tunc nemo

mo est,qui contradicat. Ast si hoc Noster velit;singuli Ordines non habent summum & independens imperium, sed conjunctim sumti remp. independentem constituunt: tunc ex mente Severini est observandum,Cæsari,etiam,ut est Rex Bohemiæ & Archidux Austriæ, summum imperium seu majestatem derogari non posse,juxta tradita à Severino *c.2.§.4.* Cæteris autem Ordinibus ut singulis non quidem perfecte summum imperium competere, ut tamen ad idem non adeo multum ipsis desit,juxta *c.5.§.28.* Et hæc causa est,quare ex ejusmodi partium conjunctione non regnum, non aristocratia, non perfectum systema sociorum, sed respublica irregularis resultare queat.

Enimvero in *cap.VI.* pressius nos aggreditur,& rempublicam irregularem plane negat dari. Ubi in antecessum monendum est rempubl. irregularem, & vitiosam aut morbidam nobis unum & idē non esse. vid. *dissert.nostra* §.2. Quin & ipsam irregularem remp.in suo genere pulcram & firmam haberi posse,etsi illis,qui non nisi simplices aut regulares respp. norunt, saltim primo intuitu vix aliter quam monstrosa videri queat. Deinde observandum,regularitatem civitatis à nobis constitui in unitate velut voluntatis publicæ,ex qua publicæ actiones profluunt, ut ubi regularis monarchia est, omnes actiones publicæ ultimato à voluntate Regis proveniant;in aristocratia autem & democratia regulari eædem ab uno concilio proficiscantur, in quo majoris partis consensus etiam pauciores dissentientes obligare possit,Regulare

autem systema est, ubi extra id, de quo in fœdere conventum fuit, per cæteros nemo obligatur, nisi quantum ipse consenserit; & ubi libertas singulorum per nullam speciem principatus, aut eminentiam unius præ ceteris delibatur. Unde quid irregulare sit, facile colligitur. Quibus præmissis patet, falli Nostrum dum remp. irregularem cum morbida confundit. Deinde quod addit, illas resp. à me regulares asseri, quæ *pure* monarchicæ, aristocraticæ, aut democraticæ sint: id hactenus tantum admittitur, si τὸ pure opponatur mixturæ, quam vulgo comminiscuntur; non autem si opponatur limitationi, per quam nuspiam assero irregularitatem introduci. Denique miror, quid homini in mentem venerit, dum ait; *sine dubio meam me sententiam ex illo duxisse principio: omnes inter gentes aut unus, aut plures, aut omnes imperant*. Cum regularitatis fundamentum à me sat clare sit propositum *d. l.* §. *5*.

His positis facile patet, quam monstrosum Noster in §. 3. proponat ratiocinium. *Aut igitur illa regula est imperfecta, aut continet etiã respp. licet non plane simplices, quas vocant irregulares.* Nam ego fundamentum regularitatis non in enumeratione trium formarum simplicium, sed in unitate voluntatis publicæ constitui. Ergo si quid volebat agere Noster, ostendendum erat; nullam dari rempublicam, in qua voluntas publica seu principium actionum publicarum non sit perfecte unitum; aut nihil interesse, utrum illud sit unitum, an minus. Unde & nihil ad rem facit, quod

Sca-

Scarenſchmidius blaterat: *Sunt & fuerunt optimæ resp. nec confœderatæ, nec pure monarchicæ, ariſtocraticæ aut democraticæ: quæ tamen non morboſæ, aut irregulares fuerunt, licet ab iſta regula deflecterent.* Sed & in eo ratio Noſtrum fugit, quod arbitratur; *ſi ponamus omnes ſimplices civitates eſſe regulares,* inde conſecuturũ, *regularem* quoq; *fore rempublicam, quæ ex duabus ſimplicibus temperatur.* Quod æque ineptum eſt, ac ſi dicerem; omnis homo regularis eſt aut mas aut fœmina: igitur & androgynus eſt homo regularis. Non enim ſi ſimplicia ſunt regularia, etiam quæ ex illis quovis modo componuntur, aut aliquid trahunt, erunt regularia. Quid denique vitiligitat Noſter, ſi tandem ultro fatetur, Germaniam eſſe *irregularem monarchiam*? Si enim monarchia irregularis datur, etiam resp. irregularis dabitur. Si Scarenſchmidius eſt importunus homo; idem quoq; erit importunũ animal. Nam illud ſomnium eſt: *remp. irregularem plane & in totum à regula deflectere, & contra præcepta politica & rerump. tendere.*

Ad §. 4. tædet toties repetere, irregularitatem & morbum mihi non eſſe unum & idem. Etſi ut eadem resp. irregularis ſimul & morbida ſit, nihil repugnet. Nec inficior multorum populorum genio & conditioni irregularem magis, quam exacte regularem formam congruere. Sicuti & Solon apud *Plutarchum* rogatus, ecquid optimas leges populo Athenienſi ſcripſiſſet, *optimas,* inquit, *quas accepturi illi erant.* Unde ſi quis dixerit à Solone rempublicam Atheniẽſium factam aut relictam ir-

regularem, neque hæreſeos, neque læſæ majeſtatis, ideo reus erit. Quin nec eo ipſo aliquid detrahitur, de opinione ſapientiæ, qua vir iſte apud veteres floruit. Nam ſæpe turbis reip. internis medicina aliter fieri nequit, quam recepta aut confirmata irregularitate. Ut autem Noſter remp. Athenienſium in exemplum boni regiminis venditet, per me licet, ſi emtorem invenire queat. Idem reſponſum habeat ad exemplum de rep. Spartana, de qua §. 5. garrit. Nam potuit Sparta eſſe Græciæ oculus, & nihilominus potuit irregularis eſſe. Dantur oculi etiam diſtorti, & lippientes. Et hoc ipſum agnoſcit *Contarenus* ſupra Noſtro laudatus, mixturam talem ibi fuiſſe dicens, *ut bene dignoſci nequeat, ſub quanam gubernationis ſpecie fuerit ea reſp. collocanda.* Id quod infallibile irregularitatis ſignum eſt. Quæ deinceps declamare inſtituit de rep. attemperanda magis ad genium & conditionem populi, quam regulas ſimplicium formarum regularium, aërem feriunt; cum nemo ſit, qui contrarium doceat. Et ipſe Severinus fundamentum rationis ſtatus in Germania ponit; præſentem Imperii formam eſſe conſervandam, neque conandum, ut in regularem monarchiam reformetur. Sic & architectus ſuo officio bene fungitur, ſi munitiones ad genium loci attemperet, operam luſurus, ſi invita velut natura regularem munitionem moliatur. Neque ideo tamen regulare ſeſe opus extruxiſſe gloriabitur.

In §. 6. non ſine faſtu crepat: *regulares reſpp. magnas communiter pati convulſiones, dum plurimum*

rimum ab una in aliam tendunt simplicem formã. Sed num hoc à regularitate? Num & desunt exempla rerump. regularium, quæ continuas illas revolutiones non senserunt, sed per multa secula florentes perstiterunt? Concidunt aut capiuntur etiam regulares munitiones. Sed num facilius quam irregulares; Ac sane corripi potest morbo resp. gegularis, sed cui alio modo quam inducta irregularitate medicina fieri queat. Nec minora mala sunt, quibus irregulares urgeri possunt. Nec tamen ideo minus regulares dicendæ sunt resp. simplices, quia summa potestas nullis legibus limitata facile ob pravitatem ingenii humani in abusum, patet. Sed quod Noster exemplum potissimũ reip. Rom. vult ostendere, resp. simplices & regulares perpetuis motibus esse obnoxias, id erubescendæ ruditatis argumentum est.

In §. 7. non sine arrogantia Scarenschmidius quærit; *Quis Soloni Lycurgove obiic at, ex regulari formasse irregularem & morbosam rempublicam?* Scilicet nescit sciolus, corruptissimum fuisse; Athenis ante Solonem reip. statum; cui medicinam afferebat Solon, qualem præsentia tempora ferebant. Spartæ autem status etiam ante Lycurgum irregularis erat ob binos reges. Ergo hic Spartam non irregularem fecit, sed reliquit. Cujus omnia instituta ne Aristoteli quidem probantur; velut quod Senatui, quem limitando regum imperio instituerat, nimiam potestatem concesserit. Ephori autem post Lycurgum introducti à rege Theopompo; qui male judicabat, istos ad diuturnita-

nitatem imperii regii facturos, cum revera iidem postea gravissimis motibus causam dederint. Igitur debebat Doctorandus Jenensis minus fastidiose adspernari pulverem illum, in quo diu adhuc ipsi hærendum erat, si vel vulgarem eruditionis cultum capessere volebat. *Politici intentio est*, pergit, *ut per formam servetur resp. non regula. Periclitetur hæc, dum illa salva sit, & ita sat regularis fuerit.* Quasi non satis notum fuerit, antequam Scarenschmidius fringultire inciperet, quod forma reip. ad conditionem populi sit adaptanda, & quod salus reip. longe ante regularitatem sit. Nec eo minus tamen firma persistit divisio inter resp. regulares & irregulares. *Divisio*, inquam, quam imperite velut regulam quandam seu axioma traducit. Noster, ac si per modum præcepti à nobis inculcaretur; omnes civitates regulares esse debere, aut ad regularitatem reformari. Quod asserere nemini in mentem venit. Addit: *ista enim regula à posteriori nata, natis jam rebuspublicis.* Quid tum? quasi non & ædificia, & munitiones dudum extructæ fuerint, antequam architectura in formam artis redigeretur; aut quasi domos non inhabitarint homines, antequam Vitruvius scriberet. Num tamen ideo minus pronunciare licet, quæ structura regularis sit, quæ irregularis? Aut ideo minus potuit constitui discrimen inter ea, quorum omnes partes sibi accurate respondent, & ubi hoc non deprehenditur? Porro uti non quodvis temperamentum summi imperii divisionem producit, ac principium actionum publicarum multipli-

tiplicat: ita quæ intra divisionem temperantur ac limitantur respublicæ, à regularium classe non excluduntur. Sed ut per ejusmodi temperamentum, quod divisum reddit imperium, ac voluntatem publicam unam non relinquit, irregularitas in rep. produci dicatur, ratio gravissima urget. Quia ubi semel ab unione est discessum, non solum indefinitis modis potest fieri divisio, sic ut irregularitatum certæ constitui species nequeant, nec generales iis regendis regulæ præscribi, quod cuilibet illarum peculiaris sibi via & ratio sit sequenda: sed etiam publica voluntas ob divisionem sat inhabilis sit ad producenda uniformia & firma decreta; dum singuli ex illis, qui de publica voluntate participant, nemini sese absolute submiserunt, sed non alia lege circa negotia publica consentire volunt, quam prout sibi in præsens expedire videtur, præsertim ubi singulorum status diversis commodis innititur. Cum ergo tam manifestum in ipsa re discrimen hanc distinctionem fundet, miranda est petulantia juvenculi, quod de pulvere, de visione scholastica, de linea pedantaria gannire non erubescat, cui fortasse ante triennium nates adhuc à virgis rubebant. Et qui supra in gratiam definitionis Aristotelicæ omnes regnicolas servorum publicorum nomine infamare non dubitaverat, jam cornua etiam Aristoteli obvertit, eundemque *nec formasse, nec gubernasse, vere remp.* crepat. Nimirum quia Scarenschmidius diu ad clavum magni alicujus imperii sedet.

In §. 8. consectarium sapientiæ hactenus ex-

positæ

positæ subjungitur: *nullam reip. formam in se esse proprie vitiosam, nisi plane sit contra finem civitatis.* Quæ assertio distincte est consideranda. Si detur aliqua forma reipublicæ, qua stante finis civitatis in universum, (qui est securitas inter cives; & contra exteros defensio,) plane obtineri nequeat; ea utique plane vitiosa erit habenda. Sic & ubi forma aliqua in se bona genio & conditioni populi non quadret, eam isto respectu vitiosam dici nihil prohibet. Quin & si alicubi sint ejusmodi limitationes summi imperii, per quas negotia publica difficulter & tarde expediantur, ac sæpe exitum invenire non possint; quis negaverit, ipsam formam vitio aliquo laborare. Unde fallitur Noster si credit, *ex solo subjecto majestatis morbos in reip. oriri*. Nam præter vitia hominum etiam vitia status dari constat. An autem illimitatum magis quam limitatum imperium in abusum pateat, alia quæstio est, quæ ad nostram distinctionem nihil pertinet. Id tantum addiderim, etsi quantivis esse debeat, præcipiti imperio, ac temeritati in consultando & agendo obstaculum poni: hoc tamen faciliori ratione, quam introducta irregularitate obtineri posse.

Cæterum in eo Scarenschmidius cum reliquis, qui mea scripta allatrant, amice conspirat, quod de suis somniis mihi affinxit, de quibus nunquam mihi dictum aut cogitatum est. *Excipiat Pufendorfius*, inquit, *eo sibi vocari resp. irregulares aut morbidas, quod uni ejus regulæ membro non accedant.* Ubi hæc sententia in meis scriptis extat

Sicuti

Sicuti & nuspiam ego *irregularitatem æstimaVi ex inconcinna resp.administratione & actione* Per isthæc porro, quibus irregularitatem in quibusdam reip. formis à me assertam destruxisse sibi videtur Scarenschmid, Severinum quoque jugulari arbitratur; qui *tantum non monstro similem* dixerat remp. quæ neque systema proprie dictum, neque monarchia aut aristocratia absoluta aut limitata est, & super cujus forma rite definienda tantæ hactenus lites agitatæ sunt. Quod vocabulum citra omnem injuriam positum nihil aliud notat, quam insignem aliquam & inusitatam irregularitatem, præsertim cum morborum velut agmina, & partium in diversa commoda tendentium studia eandem comitentur.

In §.10. demum novum dogma politicum promulgat Noster non pulverem, sed ambram & zibethum olens. Distinguit res in *separatas*, & *sociatas in systema. Separatas* iterum dividit in *puras & temperatas*. Has vocat, ubi *monarchia per aristocratiam, Vel hac per democratiam, aut per hanc illa mitigatur, ita ut plura hic sint majestatis supposita, duabus ad minimum classibus in participatione, sibi quodammodo contradistincta, & in juribus reip. simul Vel separatim exercentes una alteri robur aut impedimentum.* Ad hos flosculos aulicos repono; temperamentum proprie pertinere ad limitationes illas quibus summum imperium in exercitio actuum publicorum dirigitur, certisque legibus adstringitur, sic ut v. g. temperata monarchia idem sit, quod limitata, absolutæ

lutæ opposita. Quod si autem temperamentum ad divisionem summi imperii, publicæq; voluntatis extendatur, tunc istud magna intemperie laborare pronuncio. Si tamen & isthanc divisionem vocabulo temperamenti comprehendere Scarenschmidio placeat, rogabimus scientiæ civilis Dictatorem, velit distinguere inter temperamētum, quod imperium relinquit indivisum; & illud, quo imperium in plura subjecta distribuitur; simulque benigne pati, ut nos posteriore modo temperatas resp. irregulares vocitemus. Sed nec illud ægre ferat, si negemus, in Germania temperamentum monarchiæ ex aristocratia esse; cum nec status Germaniæ Senatorum aristocraticorum, nec comitia senatus aristocratici instar habeant; quod dudum ex Monzambano didicisse poterat.

Circa ultimum caput, quod *de Rep. Temperata* inscripsit, non est, quod multum laboremus. Fatemur nos in admirationem rapi istius declamationibus; quia nimirum enormes vanitates quandoque miraculo sunt. Nam uti multum ex somnio habent, quæ super origine istius temperamenti in Germania muginatur; ita longe efficacioribus argumentis idem comendandum erat, ut aliæ quoq; resp. id ultro imitari vellent. De cætero graviter videtur peccare Germania, quod Scarenschmidio summam consiliorum directionem, aut saltem eorum executionem non committat. Nisi forte ferocia hominis est suspecta, utpote qui dolio Cynico abditus magnorum Regum fata arbitratur. Ubi ipsum delirio suo immersum relinquimus, Bene-

volum

volum interim Lectorem rogantes, ne otio nos abusos judicet, quod hoc operæ sumserimus circa vani hominis nugas convellendas, quæ alias nihil responsi merebantur. Nam saltem humanitatis officium videbatur, juvenculo præcocem nimis sapientiæ persvasionem excutere, postquam medicis ipsum uti valde inclementibus adparet, qui tam diu præturgido ejus lieni remedia adhibere neglexerunt.

APPENDIX.

QUoniam animadverto nonnullis circa doctrinam nostram *de Origine moralitatis in actionibus humanis*, de quibus solis disquirere nobis propositum fuit, scrupulum hærere, nonneminem quoque inficetis clamoribus eandem impugnatum ire; visum est hoc loco mentem nostram denuo, quanta fieri potest perspicuitate, exponere, si forte quibusdam hominib9 pudor incuti possit. Primo omnium igitur distinguimus inter id, quod in actione humana est physicum, & quod in eadem est morale. Physicum istud, seu actionem hominis, quaten9 præcise consideratur ut motus alicujus facultatis naturalis, abstrahendo à rectitudine & pravitate, dicimus esse moraliter indifferentem, id est, neq; bonam neque malam. Id quod omnes Theologi agnoscunt, quando circa peccatum distingvunt inter motum physicum, & ἀταξίαν, & hanc soli homini tribuūt, ad illum autem Deum, tanquam conservatorem

naturæ

naturæ influere docent; quod citra blasphemiam asseri non posset, ni motus iste physicus moraliter foret indifferens. Et res ita manifesta est, ut nemini sano dubium heic oriri queat. Cum enim dentur actiones, in quibus motus physicus plane unus est & idem, quæ tamen moraliter sunt diversissimæ, & una in bonarum aut licitarum, altera in malarum classe locum sortiatur, necessum sane est, ut motus ille physicus sese ad bonitatem & malitiam indifferenter habeat. Sic occidit hominem latro, carnifex, miles; occidit alius defendendæ adversus vim suæ vitæ caussa. Latronis actio scelus est; cæterorum factum bonum, aut saltem licitum. Igitur actus physicus in cæde est utique aliquid indifferens. Et sic in cæteris.

Deinde distinguimus inter vocabula & phrases, quæ nutum motum physicum notant, & quæ integram actionem moralem, seu motum physicum cum moralitate junctum exprimunt. Ad priorem classem pertinet v. g. colere, honorare, opus facere seu laborare, homini vitam eripere, concumbere, rem loco movere, loqui, cupere, edere, bibere, & similia. Eorum autem, quæ ad alteram classem pertinent, plenum indicem texere operosum juxta foret, atque supervacuum, cum nemo sit tam stupidus, quin intelligat, actiones morales, bonas aut licitas esse v. g. Deum colere, honorare parentes, Reges, opus facere suæ vocationis & recto tempore, sontes punire, fortiter se gerere in bello justo, uxori suæ cohabitare, rem suam alienare, loqui veritatem, cupere virtutem, edere & bibere

mo-

moderate,&c. contra morales actiones malas esse, colere diabolum,aut idola, satagere circa aliena, opus facere die sabbati, homicidium, latrocinium committere,scortari, adulterium, incestum patrare,furari, mentiri, calumniari, cupere uxorem alterius, edere, bibere immoderate &c. Quæ cum ita plana & perspicua sint, mirum est, tantam vel stupiditatem vel calumniandi rabiem in ullum mortalium posse cadere,ut clamare non erubescat; *adulterium, homicidium, furtum à me pro actionibus indifferentibus haberi.*

Quod si autem ulterius investigemus,in quonam consistat actionis humanæ moralitas,seu quidnam sit illud, per quod motus physicus indolem actionis moralis induat; deprehendimus id nihil aliud esse, quam quod ista à principio libero ut tali procedat, cui tamen insit necessitas quædam intrinseca seu obligatio, actionem certo modo & ad certam normam dirigendi. Ea directio ubi ab agente debito modo facta fuerit, sic ut actio examussim ad normam congruat, ea bona & honesta vocatur; ubi à norma aberratum fuerit, mala & turpis audit. Si enim peccatum seu mala actio est ἀνομία; etiam bona actio erit aliquid legi seu normæ congruens.

Cum porrò in homine præter obligationes,quæ ex imperio aliorum hominum proveniunt,citra factum quoq;humanum obligatio ad certas actiones suscipiendas aut omittendas deprehendatur; circa investigandam hujus originem ultimo demum ad DEUM O. M. tanquam conditorem generis hu-

humani recurrendum nobis videtur. Huic enim cum pro immensa sua bonitate & sapientia placuisset hunc orbem terrarum nō à solis brutis incoli, sed etiam abs tali creatura, quæ ipsum agnosceret coleretq; ac certo inter se more viveret;inde istam creaturam idoneis ad hunc finem dotibus instruxit, regendisq; actionibus obligationem legemq; præscripsit. Neq; enim ullo modo nobis videtur congruere,ut hæc obligatio ex alio fonte, quam ipse homo, derivetur. Sed qui conditor est humani generis, autor quoq; obligationis in homine, legisque naturalis habetur; & qui hominem erectos ad sidera vultus gerere jussit,idem quoque data ipsi lege efficit, ut non omnes actiones huic forent indifferentes. Ubi tamen non est cogitandum, distincta per decreta Deum constituisse primo creare hominem,ac velut ex intervallo,& præmissa nova deliberatione, idem rationalis ac socialis, an vero animal irrationale ac insociabile sit futurus, socialem esse demum jussisse, ut tamen eundem insociabilem quoq; potuerit creare & exlegem.Nam hoc modo per summam absurditatem Deus sibi ipsi repugnare fingeretur. Cæterum uti omnes fatentur,Deum ex liberrimo beneplacito universum hoc condidisse; ita & eidem acceptum refert homo, quod à Deo conditus sit. Et quia nullum principium extraDeum statui potest, quod ipsi formas rerum suggesserit; inde uti quælibet creatura àDeo habet quod sit,ita & ab eodem habet,quod talis condita sit.Adeoq; in homine obligatio ad observandam legem,& ipsa lex,& quod

illius

actiones certas inde affectiones possunt sortiri, non ex diverso principio debent derivari, quam ex beneplacito Dei, cum sapientia & bonitate summa conjuncto. Sic ut quicquid est necessitatis in homine ad moderandas certo modo suas actiones, & quicquid in ipsis actionibus est habitudinis, juxta quam ad legem componi queat, ultra creationem non sit retrahendum, abs qua divina voluntas nequaquam excludi potest. Neque tamen eo minus & obligationi hominis & legi inconcussa stat firmitas. Non enim Dei voluntas ita vaga & desultoria cogitanda est, sicut hominum in diversa & sæpe sibi repugnantia volubilis animus; sed ad quem finem semel eadem sese determinavit, ad eum assequendum pro ipsius sapientia & bonitate constituta media non minore, quam ipse finis, firmitate gaudent. Isthanc ergo sententiam, scriptis nostris sat perspicue propositam, oppugnare apertâ viâ instituit *Valentinus Velthemius*, Professor Jenensis. Cui quidem si ad hanc disceptationem vel ingenii quid & eruditionis, vel saltem candorem attulisset viro honesto dignum, ultro gratias agerem, quod occasionem præberet tam nobili quæstioni illustrandæ. Sed cum eundem audiam diris clamoribus & calumniis in tam celebri loco meæ famæ insultare, non mirabitur, si talis à me habeatur, qualem sese exhibet; qui scilicet in stola stentorea voce, & impudentia omne suum præsidium collocat, securus existimationis, quam nullam habet. Iste igitur voluntatem Dei ab origine obligationis in homine, legisque natu-

ralis humanæ, nec non moralitatis in actionibus humanis exturbare omnibus viribus connititur;& contra tanquam lapidem angularem omnis juris naturalis ponit hanc sententiam; *dantur actus PER SE honesti ac turpes.*

Ut igitur hæc lis super vocula *per se* ordine disceptetur,primo omnium videndum est,cuinam rei ista opponatur.Si enim hæc propositio accipitur ex mente Aristotelis, qui τὸ δίκαιον φυσικὸν opponit legibus civilibus &positivis,quæ non ubique valent, quæque ex impositione humana, conventione aut opinione oriuntur,mihi non contradicitur. Sed si τὸ *per se* nostræ sententiæ opponitur,eo termino excludetur voluntas Dei cum sapientia & bonitate conjuncta,ejusque beneplacitum,definitio, atque impositio tunc facta, cum Eidem libere genus humanum condere placeret. Ergo ex mente Velthemii Deus quidem dedit homini ut sit; sed ut talis sit, nempe legi obnoxius,non dedit. Num igitur homo citra Dei voluntatem semetipsum in animal sociabile finxit? Aut num aliud extra Deum fuit principium,quod formas rerum ipsi invito obtruderet, eique nil nisi materiæ adaptationem relinqueret? Aut actus illi citra ullam operam legislatoris seipsos determinant? Aut ut quis sit subditus legique obnoxius, non amplius legislatore opus est?

Deinde revera inepte propositio hæc concipitur sine mentione subjecti, cui actus illi honesti aut turpes esse dicantur. Nam sane nulli dantur actus, qui pecori per se, aut alio modo sint honesti vel tur-

turpes. Sed addito subjecto habili omnis controversia tollitur. Nam ambabus manibus largimur hanc propositionem; dantur actus, qui per Deo nō conveniunt, seu qui salva ipsius perfectione, & citra contradictionem in eum cadere non possunt. Amplectimur etiam hanc; dantur actus per se honesti & turpes homini, i.e. qui posita hac conditione & natura hominis non possint non eidem congruere vel non congruere. Et revera qui istam propositionem ita nude enunciant, non animadvertunt, sese tacite istorum actuum honestatem & turpitudinem ad naturam hominis referre, ac eandem judicio humano, utique sensu legis naturalis imbuto, metiri. Imo id ipsum aperte profitentur, dum huic propositioni probandæ ad rectæ rationis judicium provocant; quod sane non aliunde, quam ex collatione certi actus cum conditione humana promanat. Quoniam autem conditio hominis primæva beneplacito Creatoris ipsi assignata est, qui cum comparati actus humani honesti aut turpes dicuntur, frustra principium moralitatis in actibus humanis fingitur, quod voluntatem Dei antevertat. Imo cum ipse Velthemius *dissert. sua* §. *28. & 29.* jus naturale dividat in *creatum & increatum*, quomodo ab isto voluntas Creatoris excludi possit, nisi Stoica necessitate ipsum ad creandum coactum dicas?

Ratio autem, quare tanto ardore isti homines ab origine moralitatis voluntatem Dei exclusum eant, non alia est, quam quia isthanc ad humanæ voluntatis modulum exigunt, quæ rectæ rationi

crebro solet obluctari. Inde metus est, ne forte absurda aliqua mutatio in lege naturali existat, Deo voluntatem suam mutante: eoque aliqui consequentias, juris naturalis firmitatem destruentes, stolide admiserunt; quidam ab aliis sibi tales per calumniam obtrudi sunt questi. Enimvero mihi non est dubium, quin sapientia, bonitas & perfectio divina divinis placitis sat firmitatis addat. Ac si à libertate voluntatis divinæ mali quid mortalibus immineret, non jussisset nos Salvator orare; *fiat voluntas tua.* Nisi forte Velthemio pro illa clausula substituere placet; fiant quæ per se & sua natura sunt necessaria. Sicuti quondam in Anglia CromWellii tempore nonnullos tantum odium gubernationis regiæ ceperat, ut nollent amplius dicere, *adveniat regnum tuum*; sed potius videbatur: *adveniat respublica tua.* Et sane quantam hoc vesaniam arguit, quod Velthemius dissertatione quadam *de justo dolore* non exhorruit dicere; *scite disseri* à *Grotio* in *prolegomenis*, fore ut jus naturale stringat gentes, etiamsi daremus, Deum non esse, aut non curari ab eo negotia humana. Ergo & hoc scitum dogma Velthemio videbitur; huic universo integritatem & ordinem constare posse, si vel maxime Deus hoc universum non creasset, aut si idem plane extra mundum relegetur. Eo absurditatis demum devolvuntur, qui circa calumniis aliis intentandas tantopere laborant!

Videamus nunc, quid Velthemius in *priori dissertatione super hac quæstione* nobis opponat. In cujus prooemio monet, maxime appositam sibi

viam videri ad investigandum jus naturale, *contemplari naturas actuum*, qui objectum ejus juris constituunt, in iisq; fundatam obligationem. Ast ni actus illos compares cum conditione humanæ naturæ, nihil ages. Nec obligatio in actibus, sed in jussu legislatoris fundatur. In §.2. explicat terminos quæstionis. Ac circa vocabulum *actus* infausto omine eadem se fraude illigat, ob quam alius jam non mediocriter vapularat, dum exempli loco subjicit, *colere Deum*, *honorare parentes*, *omittere furtum, homicidium*. Si enim hanc thesin oppugnat Velthemius, quod motus physicus sit indifferens; per summam ruditatem aut malitiam adducuntur exempla actionum quam maxime moralium. Sin vero id displicet, quod ab origine moralitatis in actionibus humanis voluntatem Dei non excluserimus, tunc ex Velthemio scire velim, an non lumen intellectus requiratur in eo, qui cultum & honorem alteri exhibiturus est. Sane enim inter bruta neq; cultus divinus, neq; honor parentum reperitur. Num ergo citra voluntatem Dei homo lumen intellectus nactus est, cultui divino subserviturum? Aut num usus istius luminis citra beneplacitum divinum per se provenit? Sed & propriam causam destruit Noster, dum §.3. *honestum* dicit id, *quod rectæ rationi ut tali convenit*. Nam quando ad rectam rationem provocatur, præsupponitur, eam cognitione legis naturalis imbutam. Neq; ejus rectitudo aliunde potest æstimari, quam quod ex contemplatione conditionis humanæ legis naturalis dictata, adeoque jussum

& beneplacitum Creatoris, bene ratiocinando colliget. Unde etiam si indifferentia motus Physici oppugnatur, contradictorie status quæstionis formatur. Sin beneplacitum divinum ab origine moralitatis removetur, nimirum invito Numine rationem suam possidet Velthemius. Vocabulum *debiti & moraliter necessarii*, ubi de homine sermo est, principium utique velut debitionis & necessitatis involvit; quod sane non est vocula *per se*, sed decretum & voluntas legislatoris, per legem declarata.

Porro circa statum controversiæ, qui proponitur in §. 4. & 5. notandum, quæstionem restringendam esse ab hominum actiones, de quibus solis mihi sermo est. Unde male Velthemius ita indefinite loquitur; *num ab agentis libero arbitrio qua tali procedentes actiones dentur, quæ ratione sui citra impositionem conveniant rectæ rationi?* Nam si actiones Dei & hominum eadem classe vult censere, & in majestatem divinam injurius est, & improbe dicta nostra cavillatur. Deinde & hoc probe notandum, vocabulum *impositionis* non ita stricte, ut à plerisq; nobis accipi pro ejusmodi determinatione, quæ citra fundamentum in re ex solo lubitu imponentis provenit. Sed ea quoq; ex impositione nobis esse dicuntur, quæ ex posita voluntate ac dispositione autoris non possunt non consequi, siquidem ille sibi ipsi constare debet v. g. Ponamus architectum constituisse domum extruere inhabitationi hominum servituram. Heic necessum utiq; est, ut ejus ædificii partes aliter dispo-

nan-

nantur quam haræ aut ovilis. Quis negaverit tamē istam constructionem esse ex impositione architecti; Qui si haram aut ovile ex mera sua impositione prætorium esse velit, delirare censebitur. Unde alia nobis impositio est, quæ nil nisi merum placitum imponentis præsupponit; alia est, quæ provenit ex necessitate hypothetica, sive per consecutionem necessariam eorum, quæ prius ab eodem determinata sunt. Quarum hæc in actibus humanis ad legem naturalem spectantibus, illa in legibus & institutis positivis cernitur. Sic ut Velthemium ratio vehementer fugiat, dum putat, si nulli actus sunt per se honesti aut turpes citra impositionem divinam, æque facile Deum quævis peccata posse licita declarare, utq; Princeps gladii usum aut bombardæ displosionem in urbe vetare aut permittere potest. Unde satius erat quæstionem ita formari: Num natura hominis ita si à Deo formata, ut posita ea conditione non potuerit non necessitas moralis ipsi injungi certos actus suscipiendi aut omittendi? Sic enim nulla futura erat controversia cum hoc ipsum non passim inculcemus.

Cæterum jam copijs suas contra nos in aciem producit Velthemius, & in §. recoquit objectionem in meo opere propositam *l.2.c.3.§.4.p.162.* ad quam dum ego d. l. respondeo, putat me contradictione involvi hisce verbis; *Postquam Deus destinasset hominem creare animal rationale ac sociale, non poterat non lex naturalis ipsi congruere, non ex necessitate absoluta, sed hypothetica. Si enim* IS (in hac vocula Nostro omnis spes victo-

riæ reposita est,) *ad contraria officia fuisset adstrictus, non sociale animal, sed alia feri & horridi species animantis fuisset producta.* Inde Velthemius §. 12. exclamat *me respondisse, hominē dupliciter spectari posse, 1. ut Deus eum destinarit creare animal rationale ac sociale. 2. ut Deus eum potuisset ferum & horridū animal producere.* Ast mi Velthemi, injuriam tibi non facio, si dubitem, num non modo *rationis vox & sensus* sed & probitatis quid ac frōtis tibi adsit, quousq; liquido ostenderis, ubinam locorū in meis scriptis ista duplex hominis consideratio occurrat. Ib. ponitur & hæc assertio: *Postquam Deus decreverat creare hominem, in liberrrimo Dei beneplacito fuisse, qualem naturam homini voluerit assignare num animalis rationalis ac socialis, an naturā animalis horridi & feri.* Item: *Deus potuit creare hominē, & potuit velle creare, ut tamen in beneplacito ipsius adhuc fuerit, qualem naturā homini vellet assignare, num animalis rationalis ac socialis, an feri & horridi.* Quæ asserta quod Velthemius *vanissima* ac *falsissima* pronunciet, magnopere probo; cum ea non mea sint, sed ab ipso conficta. Ac mirum est, quam universa syophantarum natio in hoc amice conspirat, quod ex aliorū verbis mire contortis falsam thesin concinnent, quam dein magnis clamoribus impetant, revera propriis cum larvis luctati. Et quantum vel stuporis vel malitiæ in talem cadit, qui tam planam sententiā vel capere non potuit, vel ita fœde detorquere non erubuit. Sane postquam Deo placuit post cœtera animantia eminentius hisce creare, uno

uno eodemque decreto,& ut esset,& ut talis esset, constituit. Nequaquam autem decrevit prius creare hominem, & ex intervallo, postquam de conditione ipsi assignanda in ambiguo hæsisset, demum decrevit eundem facere rationalem ac socialem. Est enim hoc ex imperfectione intellectus humani, ut priori loco genericam alicujus rei naturam, & inde specificam concipiamus. Quale quid de Deo circa creationem hominis fingere divinæ essentiæ perfectioni repugnat; & in se absurdum est duo heic decreta comminisci, cum τὸ rationale ac sociale esse,in definitione hominis contineatur. Quod si *Paraus* aut alius absurdi quid heic admisit, eoque nomine convitiis fuit proscissus, id me quidem profecto non tangit aut angit; quin jure optimo maximo ista elogia Velthemius sibi vindicare potest. Cæterum si quis nolit adquiescere, quod sciat; ideo legem naturalem, regulam honesti & turpis, necessario in hominem cadere,quia Deus ipsum creaverit rationalem & sociabilem: sed ex supervacua curiositate quærat; quid si Deus creasset hominem adstrictum ad ejusmodi legem naturalem,quæ ei,quam nunc habemus,contraria præcepta contineret? ei respondemus,hanc quæstionem absurdam & contradictoriam esse. Si enim ponere velis,eum ad contraria officia fuisse adstrictum,non is homo, qui ex destinatione Creatoris animal sociale est,sed aliud horridum ac ferum animal esset. In qua responsione vocula IS neque notat, neq; notare potest verum hominem,qui utiq; rationalis ac socialis est, sed fictum aliquid,quod

absurdæ quæstionis ergo tantisper supponitur,hoc sensu: si vel maxime ponas animal membris & forma homini,qualis nunc est,simile;is non verus homo erit, sed aliud ferum & horridum animal. Exemplo rem illustrabimus, si forte quis ingenio sit ita stupido,ut hæc capere nequeat. Ponamus figulum constituisse amphoram effingere. Si quæras, utrum is amphoræ possit formam urcei tribuere; negamus id fieri posse; quia si ista urcei formam haberet,amphora non esset. Quis heic dixerit,amphoram duplici modo considerari; vel ut habet figuram amphoræ, vel ut potuerit habere figuram urcei; Afferamus aliud exemplum, quod fortasse magis sit ad captum Velthemii. Ut Velthemius Jenæ Prof.Moral.esset,necessarium non erat.Postquam tamen ex isto ligno Professore sculpere Collatoribus placuit,danda ipsi utique fuit instructio, impacto muneri conveniens. Ponamus jam superfluam quæstionem moveri; num Velthemio inter partes officii professorii potuerit injungi, ut cum histrionibus per Germaniam circumvagaretur, & in comœdiis morionis personam ageret? Respondeo minime. Quia si ad hoc exercitii adstringeretur,IS non amplius Professor esset,qui impudenti clamore Jenæ doct. virorum famam laceraret; sed non minus histrio esset,quam frater ipsius,qui lauream Magistrale Lipsiæ obtentam per publica theatra non sine vocis stentoreæ gloria circumfert, ac versatili jam pileo non minus quam olim Eripipio sibi placet. Quis jam dixerit,Velthemium heic dupliciter cōsiderari, 1)prout factus est Professor Jen. 2)prout

2.) prout idem simul cum professione potuit histrionia facere? Aut postquam Collatores professorium munus in ipsum conferre decreverant, adhuc in liberrimo horum beneplacito fuisse, utrum auditorium Jenense, an theatra vociferationibus ab ipso oppleri vellent?

Quemadmodum autem error a histrionibus in primo actu commissus totam fabulam refrigerat; ita destructo primo Velthemii commento, tota ejus dissertatio ultro corruit. Atque secundum argumentum itidem ex nostro opere l.c. desumsit: *si non dantur actus per se honesti aut turpes, sequitur Deum, si voluisset, potuisse ita constituere, ut inter officia hominis esset Deum colere.* Ego reposueram, hoc ratiocinium contradictionem implicare. Heic nihil habet quod regerat Velthemius, nisi ut cantilenam jam explosam instauret, ac suas sycophantias mihi obtrudere impudenter laboret. Nusquã enim mea hæc est assertio, sed Velthemianum somnium; *Deum ita potuisse creare hominem, ut idem non esset animal rationale ac sociale.* E. quo magis de absurditate hujus dogmatis declamat, eo magis propriam stultitiam flagellat. Neque opus est repetere, *colere Deum* non esse motũ mere physicum & indifferentem, sed actionem quam maxime moralem; quippe quæ supponat subjectum rationale creatum, & involvat respectum ad dependentiam creaturæ à Creatore. Nam data creatura rationali, necessarium ipsi est Deum colere. Sicut posito, Deum post cætera animalia voluisse creare hominem, necessum erat ipsi legem naturalem con-

gruere. Quod genus necessitatis ut mihi quidem tantisper hypotheticum vocare liceat, si qui sunt terminorum scholast. dictatores ἀνυπεύθυνοι, supplex veniam rogo. Si enim Deus hominem non creasset, non erat necessarium Eundem ab homine coli. Ergo necessitas cultusDivini ab homine præstandi actum creationis præsupponit.

Circa tertium argumentum strategema jocosi histrionis Velthemius expressit, qui repente in aliam se personam transire arbitratur, si pileum versatilem & palliolum inverterit. Sic primum argumentum levi sua mutatione iterum in orchestram prodit. *Si non dantur actus per se honesti aut turpes, sequitur, quod inter hominis debita possit esse seipsum perdere, seipsum odisse, gustus elementa per omnia quærere* &c. Sed velut de sibilo præsagitet, ita repente post siparum sese hoc ratiocinium recondit.

Quarto loco metuit Velthemius, ne posita nostra sententia nullum amplius sit discrimen inter legem naturalem & positivam. Istum metum demere poterant, quæ à nobis traduntur *l. 1. c. 6.* §. *18.* & *l. 2. c. 3.* §. *23.* Sed quia hic actus valde jejunus erat futurus, ideo interscenii loco duas sententias promulgat valde inficetas. Prior occurrit §. 20. *Ut libera voluntas hominis, penes quem majestas est, legem voluntariam ferre & mutare potest: Quidni divina majestas, cum voluntas Dei sit summe libera, adq; imo multo magis, ac in legibus positivis fieri solet, legem naturæ mutare, imo contrarium ejus præcipere posset?* Adparet Velthemium de volun-

tate

tate Dei non optime ſibi polliceri. Inde tam anxie vincula eidem injicere, aut moderamine rerum dimovere ipſam laborat, ne forte in licentiam degeneret, & abſurdas leges hominibus promulget. Quales opiniones iſtud animal de Deo habere credamus? Quod ne tertiam quidem petitionem orationis Dominicæ novit. Per poſteriorem autem ſententiã nihil ſibi rationis & frontis eſſe Velthemius teſtatur. Nam in §. 22. ſcribit; *me non erubuiſſe ſtatuere, ac ſi Deus ad contraria officia hominem potuiſſet adſtringere. Ita enim aperte loco ſupra cit. p.162. tradit: Si ad contraria officia* (puta ad furandum, mœchandum, calumniandum) *homo fuiſſet adſtrictus, non ſociale animal, ſed alia feri & horridi ſpecies animantis fuiſſet producta.* Quid ais Velthemi? Ego qui ſtatuo, *ſi* creatura ſub figura humana fuiſſet producta, ad contraria legi naturali officia adſtricta, non ea ſociale animal & homo, ſed bellua futura erat; ideo ſtatuo, quod homo potuerit fieri bellua, id eſt, quod animal, de cujus eſſentia eſt rationalitas, potuerit eſſe irrationale? Optionem tibi relinquo, Velthemi, ſtuporem tuum, an rabiem calumniandi accuſari malis.

Quinto argumento ita *inſurgit* Velthemius, ut & quinquies cadat. *Si Deus ſua natura juſtus eſt, ſequitur, quod actus dentur per ſe honeſti, ſuaq; natura debiti, itemq; actus per ſe turpes ac ex ſua natura illiciti.* Atqui ego non puto hæc conſequi: Si ſummus legislator natura juſtus eſt, igitur actus creaturæ rationalis, ut motus phyſicus ſpectati, ſunt honeſti aut turpes ante omnem reſpectum ad

legem à Creatore profectam. Nobis quippe propositum fuit inquirere in originem justitiæ humanæ, à qua divinā multi modis differre alibi ostensum. *Jus naturæ in Deo* illis sapientiæ Atlantibus definiendum relinquo, qui caput inter nubila condunt. Quæ Velthemius ex mysteriis prædicamentorum *de relatione, ejusq; fundamento ac ratione fundandi* ganit, nil nisi obstrepera vocabula, & in ambitiosum gyrum disposita sunt, rerum inania. Neq; etiam illa, qua se non parum jactat, *obligatio ex ipsa rei natura,* contradistincta obligationi ex lege provenienti, satis adhuc ad liquidum deducta est. Sed & dubito, an ferri possit, à Velthemio *sanctitatem & justitiam in Deo* vocari *morales perfectiones.* Nam hactenus credidimus moralem perfectionem esse, quæ disciplina usu, adsvetudine comparatur, ad modum habitus adquisiti animo inhærentem. Porro quando de imagine Dei mentionem injeci, unice præ oculis habui propriam ejus & specialem significationem, qua notat eam hominis perfectionem, quæ per lapsum amissa est, & in cujus loca corruptio illa, qua jam sentitur, successit. Quibus præterea respectibus homo imaginem Dei referre dicatur, mihi inquisitū non fuit. Denique quantum velit Velthemius distinguat inter *conceptum formalem & materialem*; ac sapientiam, justitiam, virtutes, & jus Dei atq; hominum quoad illum communia, quoad hunc diversa asserat. Nam licet ista vera esse ponas; ratio tamen mihi constat, quare jus naturale isthac via investigare non placuerit.

Illud

Illud autem minus ex legibus artis comicæ, quod fabulam nobis det Velthemius quinto actu productiorem. Nam sexto loco quæstionem movet: *Num Deus ullo modo possit velle, ut inobedientia erga Deum formaliter & in se spectata non sit peccatum?* Ego respondeo, stolide quæstionem hanc institui, ni simul ponatur subjectum, cui inobedientia sit tribuenda. Nam posita creatura rationali, negamus Deum hoc velle posse, ni eum sibi ipsi repugnare absurde fingas. Nulla autem posita creatura rationali, Deus super obedientia in neutram partem decernere intelligitur. Quomodo enim Deus possit velle, ut sibi obediatur, si nullos condiderit, qui obedire possunt? Sint, quibus imperet.

Denique ut sacro numero paralogismos suos terminet Velthemius, septimo loco argumentatur: *si nullus actus per se honestus ac suapte natura debitus, nullus actus per se turpis ac sua natura illicitus, sequitur Deum posse facere omne possibile realiter à se distinctum, nullamq; in genere natura in Deo importans imperfectionem.* Hujus ratiocinii vanitas planior fiet, si fidem pressius ad præsentem quæstionem formaveris, hoc modo: si motus physicus in actionibus humanis citra respectum ad legem est indifferens, aut si voluntas divina concurrit ad hoc, ut homo legi sit obnoxius; sequitur, quod Deus possit mentiri. Id enim exemplum rei, quæ in genere naturæ nullam imperfectionem importat, à Velthemio adfertur. Quis ita ratiocinantem ferat? Ne dicam, quod *mentiri posse*

in ge-

in genere naturæ maximam importet imperfectionem. Qui enim mentitur, vel alteri furtim nocere vult, quod malitiæ est cum degeneri quadam ignavia conjunctæ; vel non audet sensa animi sui palam aperire, quod robustiorem metuentis est; vel plura promisit, quam præstare possit, quod vires suas ignorantis est. Inde patet ratio, quare divinæ scripturæ negent, Deum posse fallere, aut mentiri, quia id repugnat perfectissimæ ipsius essentiæ. Ex quo tamen nihil, nostræ sententiæ repugnans, concludi potest. De cætero uti fœdum est mendacium, quod Velthemius eructare non erubuit, *me dicta Scriptura S. in alienum prorsus sensum detorquere*; ita nihil impudentius, quam dicere; propositionem, *Impossibile est Deum mentiri*, hunc habere sensum, *Deus non vult mentiri*. Cur enim tantopere arrident Velthemio sycophantarum artes, ut verba mea mutilate adduceret? quæ integra hæc sunt: *Quod Deus mentiri non posse dicatur, est ex beneplacito istius, quod mortales ad magnitudinem & præstantiam ipsius attemperatum concipimus*. Id perinde est, ac si dicerem: Mentiri adversatur perfectioni divinæ, à qua nunquam divina voluntas discedit, sed cum ea semper amice conspirat. Sic igitur mimum huncce calumniarum egit Velthemius, ut vel judice Gesenio pro plausu sibilum sit meritus. Altera dissertatione minatur se innumeras legiones *Gentium, Legumlatorum, JCtorum, Theologorum, Philosophorum, cum veterum, tum recentiorum* in aciem educturum, quæ solo adspectu me exanimem darent. Nondum tamen

men adeo fortuna mihi fuit propitia, ut istud illustre ingenii Velthemiani monumentum conspicere liceret. Interim circa autoritates, quæ jactantur, observandum, earum multitudinem nihil efficere, nisi rationibus suam sententiam adstruxerint, meam refutarint; & quatenus nemini eorum, ut ab omni errore sit immunis, cavetur, piaculũ non esse rationem potius, quam numerum errantium sequi. Sic quã multæ in rebus philosophicis erroneę opiniones per complura secula & scholas & populum occupaverunt, quas tamen posteriorũ temporum accuratior inquisitio explosit? Heic si testium numerus momenti quid habuisset, in hunc usq; diem antipodes in cœlum delaberentur, harmonia orbium cœlestium aures nostras obtunderet, intelligẽtiæ istis orbibus rotandis insudarent, ignis sphęra proximam Lunam amburеret, denique barbaries integro adhuc regno suo gauderet. Sic sane non difficile erit multas myriades invenire eorum, qui pro sanctitate numeri denarii in prædicamentis mortem æquo animo subire velint; quæ tamen cæteris puerilis superstitio videtur. Deinde ex testibus illis integræ legiones deficient, si consideretur, plerisq; nunquam in mentem venisse, vocabulo *per se* Deum ab origine juris naturalis excludere. Deniq; omnia ista testimonia demum in autoritatem unius ex antesignanis barbariei, puta Thomæ, aut Scoti resolvuntur, quorum commenta demum in popularia dogmata evaluerunt, postquam cœteri ista sine debita inquisitione in sua scripta transtulerunt; & uno ansere bibente reliquos

quos omnes satis corriguit. Præsertim cùm notitia juris naturalis valde confusa & jejuna fuerit, antequam hoc demum seculo de isto in formam artis redigẽdo à quibusdam eruditis labor susciperetur. Id tamen retulit unus & alter, qui recens ex istis oris advenientes heic me salutarunt, in publico cõflicto ejus disputationis Velthemiũ clamore Marte Homericũ superasse, & ignea facie, horridis capillis, oculisq; ardentibus furiã aliquam egregie expressisse. Quin non erubuisse in tam frequenti cœtum deinceps exclamare; *me nulla agnoscere officia hominis ergaDeum & scipsum*. Ergo vel scripta mea non legit Velthemius, vel impudentissim9 est mortaliũ, qui sunt & fuerunt. Pari rabie multoties fuisse ingeminatum; *adulterium penes me hactenus saltem turpe haberi, qua supponeret creationem animalis rationalis & socialis; adeoq; secundũ mea principia adulterium non turpe dari inter vaccas & boves, vel inter caseum & butyrum*; Qui sunt flosculi Velthemiani. Quid est furere, si hoc non est? Ergo cum neget Velthemius, adulterium supponere creaturam rationalem & socialem, ex ipsius mente adulterium dabitur inter creaturas, in quibus nulla est diversitas sexus & ad se multiplicandum potentia nec minus inter creaturas, quæ fidem conjugalem neq; intelligunt, neq; dant. Quin & deinceps homicidium non turpe erit, si felis murem occiderit. Quid porro erat opus, ut Velthemius tanta contentione asseveraret, adulterium in se & sua natura turpe esse; cum idem à me adstruatur *l.1. c.2.* §.*6.p.26.* & in *Apologia p. 38.* Quo

tamen

tamen non obſtante certiſſimum manet; non dato homine, adulterium non dari; ſicut non dato homine, Velthemius Jenenſe auditorium ruditu ſuo non erat impleturus. Sed nec omitti debet, quod cum unus opponentium urgeret, *cum actiones hominum per circumſtantias, i.e. res extra ipſam actionem, fiant morales, non videri, quomodo actio in ſe & ſua natura moralis eſſe poſſit;* Velthemius reſpondebat: *Præcellens Dn. Magiſter, adjuro conſcientiam tuam, eloquere, an firmiter credas cum venerandis noſtris Theologis, dari actus per ſe honeſtos.* Quod ille Magiſter præmiſſa conteſtatione obſervantiæ ſuæ erga *Maxime ſpectabilem* (magis adhuc audibilem) Dn. Decanum affirmabat. Et ſic argumento erat pleniſſime ſatisfactum. Quid hac diſputandi via compendioſius? Quæ tamen alteram iſtam diſſertationem invidit fortuna, alio me ingenii Velthemiani ſpecimine beavit, dum donante amico dilectiſſimo obtinere licuit *Synopſin Inſtitutionum Juris naturalis* manuſcriptam, quã is auditoribus ſuis ad calamum dictavit. Cui ipſe autor non vile pretium ponit, quando eam *Nucleũ Juris naturalis* indigitat. Quo ſcripto etſi nihil indoctius aut inficetius vidiſſe memini; veritatem tamen adhuc conſtare deprehendi *Pliniano* illi: *nullum librũ tam malum eſſe, qui non aliqua ex parte prodeſſet.* Ingens quippe operæ pretiũ fuit didiciſſe floſculum illum Latinitatis Velthemianæ; *in Analytices ſtudio non magis verſati ſunt, quam rana viridis in nucis arbore.* Nec minoris fuit definitionem legis cognoviſſe, qua immane quantum

cum

eum sibi placere audio. *Lex est*, inquit, *dictamen practicum in materia universali, quo necessitas actionis exprimitur in genere morum.* In qua quid mysterii latitet, patebit, si aliis eam vocabulis extulerimus. Sit igitur *dictamen practicum* enunciatio, quæ non cognosci solum, sed & in actum deduci debeat, *in materia universali* i.e. quæ omnes illos tangat, ad quos enunciatio dirigitur; *quo necessitas actionis exprimitur in genere morum*, i.e. quo significatur, quid agendum, quid omittendū, ut actiones bonæ vel malæ, laude vel vituperio dignæ haberi queant. Heic primo necessum erat exprimi subjectum, abs quo dictamen illud promanaret; num id intellectus sit divinus, an humanus, an uterque. Dein ad cujusnam actiones dirigendas id dictamen spectaret, ad proprias, an ad alienas. Denique unde ea necessitas promanet. Quam ex ipsa actione resultare absurdum dictu videtur; cum eadem aliter concipi nequeat, quam prius aliquid, & diversum ab actione, quodque adeo in ipsam actionem operetur. An & quatenus illud, quod mortales dictamen intellectus divini concipimus, Deo lex dici possit, alibi à nobis expositum fuit. Deum omnia quæ agit optime agere, & per essentiæ suæ perfectionem non posse non optime agere, & quæ cum ista non congruunt non posse non omittere constat. Sed quia legem aliter concipere non valemus, quam aliquid extrinsecus necessitatem adferens certo modo actiones dirigendi; inde si quis velit Deum legi subjicere, faciat id suo periculo. Quod si igitur ad legem, quæ in homines cadit, ea

defi-

definitio restringatur, vitiosum est, quod ea legibus positivis adplicari nequit. Quando autem lex naturæ dictamen rectæ rationis aut intellectus dicitur, nihil aliud innuitur quam medium, quo ista lex investigatur. Atque ea ratio ut recta sit, & talem sese intelligat, oportet, ut firmo fundamento ratiocinia sua superstruat. Quod nullum aliud inveniri potest, quam conditio humani generis; nisi quis cujuslibet persuasiones, sæpe oppido quam irrationabiles, pro lege naturali velit venditare: sic ut stolidum sit, ultimum hoc habere argumentum demonstrandi, aliquid juris naturalis esse; quod recta ratio aliter de hoc vel illo actu judicare nequeat. Sed & illud constat, si definitio illa adplicetur juri humano, inepte à Velthemio §. 11. tradi, *dictamen intellectus* esse aliquid prius, quam *normam seu regulam justi*; nisi dicere velis, hominem sibi ipsi legem naturalem ferre, aut intellectum humanum dictare quid posse, antequam objectum adsit. Sane ponenda est lex naturalis tanquam norma justi, antequam intellectus humani dictamina practica possint existere. Id autem nimis quam ingeniosum, quod Velthemius, tantopere alias à novitatibus abhorrens, juris naturalis novam denominationem comminiscatur, quasi *quod primo ac per se fundatur in natura actus, quem præcipit aut prohibet, ita ut propterea jus sit, quia hunc actum præcipit aut prohibet, quia è sua natura debitus aut illicitus est.* Quo commento uti nihil vanius, & per quod juri naturali circa actiones morales non amplior tribuitur operatio,

ratio, quam ephemeridibus circa motum planetarum: ita obiter scire velim, quomodo à contradictione sese liberare Velthemius possit, dum *praecipi* aut *vetari* à lege naturali dicit, quæ jam *in sua natura* erant *debita* aut *illicita?* Quid enim præcepto opus est, si ista alias fieri utique debebant? Aut ergo lex naturæ supervacua est; aut si cum effectu præcipit ac vetat, utique actus debitos aut illicitos facit.

Sed tædet quisquiliis Velthemianis diutius immorari, nisi quod obiter spectandum, quid in demonstrationibus valeat, qui tanto fastu peritiam Analytices crepat; ut tandem discamus nostra ratiocinia in circulum, (quæ figura perfectissima utiq; est,) disponere, & præsultore Velthemio in perpetuam vertiginem circumvolvi. Si enim quæras ex isto, quare v. g. adulterium juri naturali repugnet, respondebit; quia in se & sua natura est turpe. Si quæras quid sit in se turpe, respondebit; quod rectæ rationi ut tali non convenit. Atqui rectæ rationi qua tali non convenire est juri naturali repugnare. Igitur juxta Velthemium adulterium juri naturali repugnat, quia juri naturali repugnat. Ac proinde falsum est quod clamat, *turpe in puncto rationis prius esse, quam juri naturali repugnare.* Sed & par erat, eum qui viam præcepta juris naturalis deducendi nobis placitam ita importune impugnat, ingeniosius quid aut planius afferre. Quid autem tanto hiatu dignum trifaux iste profert? *Principium primo primum*, inquit, est; *honesta per se sunt expetenda; turpia per se sunt fugienda.* Atqui

qui ſane, ne nunc dicam, quod ſtolide ſit omiſſa mentio ſubjecti, cui aliqua honeſta aut turpia ſint; circa hoc principium quærere licet non ſolum quid honeſtum aut turpe per ſe ſit, quod non niſi congruentiâ aut disconvenientiâ cum recta ratione definiri à Velthemio ſolet: ſed etiam eousq; non poteſt adquieſcere intellectus noſter, ut rationem omnino noſſe velit, quare & unde vel in perſeitate, vel in dictamine rationis neceſſitas inſit. Eoq; Velthemio vel iterum circulus ſuus erit perſultandus, vel ſi vertigine liberari cupit, demum noſtræ methodo inſiſtendum; ex qua iſta propoſitio à priori demonſtrari poteſt. Sicuti & illud nemo ſanus abnuet, imperium Dei eſſe, quod hominem ad adpetendum honeſtum & turpe fugiendum primo movet aut movere debet, nō autem perſeitatem Velthemianam. Deinde ne hoc quidem tantum demonſtrandi artificem decebat, pro *principiis ſecundo-primis* venditare ſententiolas, v. g. *neminem lædere, ſuum cuiq; tribuere*, veras quidem, ſed multis determinationibus adaptandas, priusquam ex iis diſtincta & liquida ſcientia haberi poſſit. Sed & nimis quam iracundum, fuſtes ſtatim intentare, ſi quis dictata Velthemiana in oraculorum vicem arripere detrectet. Quid enim ſi Reges, ac integri populi iſtorum veritatem in dubium vocent? Quid fuſtibus ſuis heic efficiet Velthemius? An clamoribus ſuis eosdem protelabit, qui norunt, animal Cumanum eſſe quam maxime vocale? Quibus porro argumentis hoſce convincet Velthemius, ſi nihil præter dictamen ſuæ rationis crepare poſſit

apud

apud tales, qui suam rationem diversa dictantem non minoris æstimant, & legiones Scholasticorum à Velthemio in subsidium evocatas adunco naso suspendunt? Plura occurunt in eo scripto emblemata, veluti quod §.57. juris naturalis *causam efficientem* dicit *hominem*. Aut quod §.55. hominem tradit *tamdiu vivere in statu animalis, non item in statu hominis, quamdiu usus rationis se nondum exserat, aut ad annos discretionis homo pervenisse dicatur*. Cui adjungi debet inauditum hactenus dogma à Velthemii discipulo publica disputatione Jenæ promulgatum: quod *majestas sit non-Ens*. Nimirum quia ad majestatem sufficit superiorem non habere, nec requiritur potestas gubernandi civitatem; & quia statim majestate Velthemiana præfulget, qui in regionem desertam ejectus nec dominum habet, nec subditum. Quæ monstra errorum aliis exagitanda commendamus.

Restat adhuc *Gesenius* Garlææ Præsul; de quo tamen eloquar, an sileam dubito. Nam ea est hominis ruditas, impudentia, & vesania, ut merito quivis cordatus tam tetrici monstri contactum refugere debeat. Qui cum nil nisi obscænam virulenti pectoris saniem eructet, passim impio abusu dictis sacris interpolatam, *benedictione tamen Christianam* emittere videri vult. Prorsus uti reliqua fanaticornm natio tunc, cum maxime delirat, sacro instinctu agitari sese clamat. Verum, uti peculiare scriptum isti opponere supervacuum erat: ita poterit heic obiter cæteris, qui ex me oppugnato gloriolam inauspicato captarunt, subjungi *Gesenius*,

ſenius, tanquam vilis appendix, & in quem jactari queat illud tritum; *occupet extremum ſcabies*. Saltem ne in poſterum arguat, me criminationes, ad quas plane tacui, agnoviſſe. Ex decoro igitur *Geſenius* à mendacio ſcriptionis ſuæ exordium capit, quaſi ego *in ſuprema Regni curia enixe contra ipſum & famam ejusdem egerim*; qua ſuper re monitum ſe dicit *ab eo, qui procul habitabat, & bene cupiebat*. Dignus hoc Oreſte Pylades; qui circa veritatem non nimis curioſum ſe oſtendit. Equidem ſi ejusdem reip. cives eſſemus, comes iviſſet Geſenius, editori Indicis. Nunc quid contra exterum in curia hujus Regni agerem? Præſertim cum ejus ſcripta tantum ruditatis ac veſaniæ præ ſe ferant, ut famæ ſuæ neminem infeſtiorem, quam ſeipſum, hoſtem experiatur. In eo autem nihil à me peccatum eſt in reverentiam, quam *Sereniſſimo Electori Saxoniæ* debeo, quod modeſte, & Geſenii demum, aliorumq; malevolorum importunitate coactus, ſuper nimis præcipiti Miniſtrorum Ipſius judicio queſtus ſum. Nnm de iſthoc negotio nihil ad ipſum relatũ conſtat; & ſi Optimus Princeps conſultus fuiſſet, hautquidquam decorum judicaſſet, inaudita partis alterius defenſione ſententiam ſuperſtruere libello famoſo per carnificem flammis dando. Quod ſi autem iniqui aliquid mea querela habet, ſane is, quem publice provocavi, ſuam exiſtimationem non deſtituet, nec *Cenſuræ* iſtius *ſanctimoniam* Velthemio alicui aut Geſenio aſſerẽdam comittet. Ac vel ideo iſtum, omnibꝰ ingenii ſui copiis explicatis in aciẽ prodire cupiebam, ut cum adverſario non erube-

ſcendo congredi liceret, ac tandem Geſenio ſimilium hominum ruditas obticeſceret. Quid porro ad rem præſentem, quod Geſenius de Monzambano gannit? Sane publicam famā extinguere penes me non eſt; & cui non ſufficit, quod publice ejusdem me autorē abnuerim, qua ratione iſti os obturem? *Ejusdem caput VI.* exercitii gratia à me defenſum adverſus eos, qui id impugnarunt. Quid præſtiterim, judicent harum rerū intelligentes, & affectibus ac præjudiciis vacui. Cætera quæ carpuntur, defenſorem accipiant an minus, mea parū intereſt. Præſertim cum quæ liberius ibi quibusdam ſcripta videntur, autoris, quisquis demum is ſit, religioni aut pietati nihil præjudicare queant, ſi cogitemus, quam ille ſibi perſonā imponat, aut quales loquentes introducat. Et qui neſcit, quam multū interſit, Davusnè loquatur an herus; is quæſo abſtineat de ejusmodi ſcriptis judicium ferre, nî inter Midæ ſocios cenſeri velit. Ergo fama illa de Monzambano, cui à me contradictum fuit, non obſtat, quo minus adhuc Puſendorfius, quam Geſenius eſſe malim.

Sed ne ſolis convitiis fœdas chartas maculaſſe videatur, circa rem ipſam quoq; aliquid nugari conatur Geſenius. Ac primo queritur, me ipſius demonſtrationibus non reſpondiſſe modo tam ſcholaſtico, quam ipſe propoſuerat. Cujus quidem rei nulla alia fuit ratio, quam quia inficeti hominis veſtigia legere nolui. *Iniquū me in jus natura* arguebat, quod *atrocem ipſi injuriam intuliſſem, mendacium & calumniam exprobrando*. Ego reponebam, me legitima *retorſione* uſum fuiſſe. Adparet, puto, me ad minorem reſpondiſſe. Tantum enim

abeſt,

abest, mihi unquam in animo fuisse Gesenium lædere, ut quid hominis ille esset, & quænam inter fumosGarlææ deliria eũ agitarent, perpetuo ignoraturus fuerim, nisi me epistola illa insipida ultro lacessivisset. Puto autem satis gravem injuriam esse, alicui falso tribuere scriptum venenatum, uti ipse vocat, & *atheum*. Eam injuriam ut in me hærere paterer, nullum jus obligabat. Repellendi non expeditior via, quam ut mentitum esse dicerem, qui hæc de me assereret. Præsertim cum nondum auditum foret de aliquo privilegio, per quod Gesenio impune sit honestorum virorum famæ insultare. Atqui in ea accusatione ipse mihi non consto. Modo enim à Gesénio scriptũ Warenbergii *aperte* mihi, modo Fratri meo tribui queror. Nimirum quia Gesenius sibi non constabat, & aliquando Warenbergium ita delineabat, ut facile adpareret, me peti; aliquando talia ipsi tribuebat, quæ non in me, sed in Fratrem meum cadere poterant; ea causa fuit, cur retorsio alternative conciperetur. Sat *aperte* autem aliquem arguit, qui scripto publico id facit. Et licet hæc verba non expresse sint posita; tu Pufendorfi ejus scripti es autor; extreme tamen stupidum fuisse oportet, qui non viderit, nostrum nomen abs Gesenio vellicari, quod & ipse menti suæ *observasse*, dum ista scriberet, fatetur. Et statim illa epistola prodibat, passim amic de injuria nobis illata monebant. Id autem frequens est, ut & qui obliquis verbis alium pupugerit, directe & citra ambages vapulet. Neque vero mirum est Gesenium titubanter scribere de viris, quos

tam parum noverat; cum ſolenne ipſi ſit ad furioſi inſtar discrepantia ſibi blaterare. Sicut *benedictio Chriſtiana* eidem vocatur, qui ſpurciſſimus libellus famoſus eſt. Et qui modo nil niſi dicta ſacra crepat, & ſchema hypocriticũ oſtentat, mox obſcœnitate conviciorũ cum balatronibus & ambubajis certat. Quæ cum ita ſint, ſatis puto manifeſta eſt injuria, qua retorſionem meruit Geſenius. Ac ſupervacuũ eſt iſtius verba heic producere, quæ *vel κατὰ τὸ ῥητὸν, vel per æquipollentiam, vel per conſequentiam planam, facilem & apodicticam, id quod volo, arguant.* Iſta enim, quibusvis expoſita ſunt; & vehementer diſſvadent Medici, ne iſtud ſcriptũ denuo attingã; quod graviſſima nauſea, ſtomachiq; langvor inde ſit proventurus. Recte porro ego à Geſenio poſtulavi, ut, ſi retorſionem meam abs ſe amoliri vellet, probaret, vel me aut Fratrem meum autorem eſſe dialogi Warenbergiani, vel nusquam ſe id ſcriptũ nobis tribuiſſe. Nunquam autem credebam eousq; impudentiæ proceſſurum Geſenium, ut poſterius negare auderet, quod in clara luce eſt poſitum; & poſtquam noſtrum nomen ſcripto publico in conſpectu orbis eruditi infeſtaſſet, ultro poſtulaturum, ut ego hoc ab ipſo factum probem. Et inde dubitaveram, num ſenſus comunis illi ineſſet, qui probari adhuc ſibi poſtularet mendacium & calumniam, quam ſcripto publico evomuerat. Quod ſi autem altera via retorſionem declinare volebat, tunc utiq; probandum ipſi incumbebat, vere eum dialogum nobis tribui; mihi autem ſimpliciter id negaſſe ſufficiebat. Quid ergo mea verba cavillaris,

ris,Geſeni, niſi ut compluſculas paginas nugis & calumniis implere poſſis? Aut cur adeo tumultuaris, quod tua æque ac famæ mendacia proprio vocabulo à me fuerint deſignata?

Secundo loco negat Geſenius,Aſinium Tenebriones abs ſe defenſum. Quid ergo aliud non modica parte ſui ſcripti agit? Magnam vero vim *Chriſtiani amoris*; per quē *contem:im ſentire* non poteſt Geſénius de Nicolao Beckmanno,*quem Regia Majeſtas tanto munere dignata eſt*,utut Eadem Regia Majeſtas iſtum munere dimotum *propter Indicem editum cum infamia relegaverit*. Niſi forte arcana quædā genii conſpiratio iſta illuſtria ingenia Tenebrionem & Vigilem jungit, quorum ſcripta quoq; pares Gratias redolent. Cur porro Geſénius tam odioſe altera jam vice cuculat judicium Sarcmaſii de meis Elementis Juriſprudentiæ, eo tempore latum, quo iſte in Parnaſſo ſomniabat? Cum alii jamdudum injuriam mihi factam publicis ſcriptis oſtenderint, & ipſe autor,uti amici retulerunt,aliam plane mentem poſtea induerit. Unde mihi nunquam curæ fuit injuriam iſtam perſequi; & non degenerem animi duxi, qui errorem ſuum emendare potuit. Ergo quod nunc Geſenius iſta dudum ſepulta iterum in lucem protrahit, merito vapulare deberet,ſi nova plaga in homine,qui pudorem plane decoxit,locū haberet. Qui autem *Pacificum à Lapide* & ejus ſcripta novit,non multum referre agnoſcet,quid ipſe de aliis ſcribat aut judicet. Qui Bavium non odit,amet tua carmina Mævi. Quanquam & deformes buccæ ſuos baſiatores

quandoq; inveniant,& similes labra lactucas adpetant. Præterea ex alio me capite iniquitatis in legem naturæ reum arguit Gesenius, quod *contemtim ac duriter habuerim legatos Dei, qui ex officio debite super periculosis novitatibus monuerint.* Ubi primo quidem miramur, quare ardelio Garlebiensis tam importune solicitus sit, quid in aliena republica geratur. Si quis enim apud nos alterum injuria afficiat, sunt judices, sunt tribunalia; nec unquam ea cognitio Gardelebiam remittetur; ut plane cuculus iste nō opus habeat tam tædiose ingeminare, quid ab hoc vel illo recte, quid secus gestum fuerit. De cætero nunquā ego debitum honorem sacerdotibus detraxi, intra muneris sui limites versantibus, iisq; ut in conversatione civili amicis uterer, operam dedi, ac si unū vel alterū excipiam, neminem eorū novi, quem non amici loco habere possim. Id tamen firmiter mihi persvadeo, Deo propitio posse gaudere illum, quem unus aut alter sacerdotū iniquis odiis persequitur. Nec minus fas esse, salutem famamq; suā contra sacerdotem, quam aliū quemvis, defendere. Sed & hoc statuo, censurā librorum ad eos pertinere, qui sumum in civitate imperium habent, & quibus eandem hi delegaverint. Eā si quis alius proprio ausu involaverit, non magis ipsius ratio habenda est, quā prætoris, si extra limites jurisdictionis suæ jus dicere aggrediatur. Quin & ubi in ea re malitiose, aut imperite versatus sit, injuriā non accipit, si digna facto suo vocabula audiat; præsertim cum ipse Gesenius, velut qui post longū delirium repente ad se redit,

non

non absurde addat; *quamvis humanæ illorũ actiones humanorum errorum rubigine tangi, & tentari facile potuerint; nec enim humani quidquã à se alienũ putabunt.* Deniq; nec id saltem in dilecto isto intervallo negabis, Ges. si quis vel ex officio vel ex amore veritatis, aut caritate Christ. alterum super errore omnino monendum sibi duxerit, illi esse observandum, ut revera in altero hæreat, de quo ipsum moniturus est; ut alterius errorem idoneis argumentis convincat; ut deniq; amice eundem hortetur errorem suum exuere. Ubi nihil horum præcesserit, quid faciendum mihi svaseris tu, qui ob impactam retorsionem in furias abiisti. An censes, cum silentio gladium jugulo fuisse excipiendum? Puto igitur ad demonstrationes Gesenii sic esse responsum, ut etiã acutissimis disputatorib9, qui *Gardelebiæ habitant*, satis fieri queat; quorum peritiam expressit supremus eorum choragus Gesenius, dũ dicit; *quod Professor in publicis disputationib9 illos, qui Thesibus tuis opponunt, jubere soles; responde ad Syllogismũ* &c. Nam quantũ ego memini, hoc quandoq; respondenti ingeritur, opponenti nunquam.

Enimvero uti in convitiis spargendis nemo Gesenium facundia superaverit; ita ubi ad seria tandẽ deveniendum erat, nihil ipso est aridius, sic ut non amplius latret, sed mussitet. Eo breviori responsione amoliemur hominem rudissimum. Quam late ego socialitatem extendam, tradidi *l. 1. c. 3. §. 13. de Officiis* Eam in constituendo juris naturalis fundamento rationalitati opponere, stolidũ est. Mox ne ob calumniam suam erubesceret, simulat se meũ re-

ſponſum non capere. Dixi, *religio quatenus ad diſciplinā juris naturalis pertinet, intra ſphærā hujus vitæ terminatur*; i.e. ex ſola religione naturali jam nemo ſalvatur. Rationē attuli in libello *de Officiis l.1.c.4.§.8*. Hoc ſi quis negare velit, admittere cogetur, dari viā ſalutis æternæ extra Chriſtū. Move aures, Geſeni, ut ſciam, an hæc jam intelligas; ſimulq; fatere, nequiſſimū te calumniatorem eſſe, qui illud, quod ego de *religione, quatenus ad jus naturale ſpectat*, enūciavi, malitioſe detorques ad religionem ſalvificam, quæ ad juris naturalis diſciplinam nequaquā pertinet; quaſi nempe etiam ſalvifica religio à me pro nudo vinculo reipublicæ haberetur. Denique antequā *cum ratione mecum agere* deſinat Geſenius, hoc ratiocinium, ingenii & cantoris ſui monumentum, nobis relinquit. *Quia expedit ut publice civitas perſonet doctrinis cū fine civitatū congruentibus*, i. e. quia, uti ego explicavi, ſolida & bona ethica & politica in civitate doceri debet; igitur ex mente Geſenii *parū intereſt, turpis ſit ſive honeſta, ſive vera ſive falſa religio, modo huic civitatū fini apta ſit & congruens*. Quid hoc argumento ſtolidius? Ne nunc multis oſtendā, quod neq; vera religio fini civitatū, quem ego deſignavi, quidquam obſit, neq; falſa proſit. Cæterum ut bona fide rationi renunciaſſe Geſenium credamus, ecce obſoletum ſuum carmen de polygamia recinit, quaſi ego iſtam *velut remedium promovendæ pietatis* commendaverim. Sane nunquam credidi aliquem fore tam ſtupidū, quin intelligeret, id me dixiſſe: non eſſe, quare circa impugnandam polygami-

gamiam tantopere trepident certi homines, cum abs nullo vitio orbi Chrift. inprimis in Europa minus periculi, quam ab hoc immineat. Unde fruftra tanta cum confternatione ad arma conclamari, ubi hoftis non adparet. Præfertim cum nulla major calamitas maritis obvenire poffit, quam fi plures fimul habere uxores cogantur, in cujus mali remedium mortem fint optaturi.

Sed nimirum pauca hæc à Gefenio obiter tantum adducta fuerunt. Summa autem laboris ipfi fuit fpecimen oftendere, in quantas furias homines fanatici poffint ire. Cujus non minima pars eft, illis, quos fibi infectandos fumfere, gratia divina velle interdicere. Verum mi Gefeni, poftquam femel terrorem digeffimus, quem quondam fulmina Vaticano emiffa vertice folebant generare, non facile adducimur ut credamus, Præfuli Garlææ claves cœli crebiq; commiffas. Sed nec ea, quæ inter nos comitatur lis, Minifterium Ecclefiæ, ejusq; fanctimoniam ullo modo fpectat. Tu venenatum fcriptum mihi falfo tribuis: ego injuriâ mihi fieri, addita retorfione, teftor. Tu excandefcis, & maledicorum atque calumniarum plauftra evomis: ego quantum ad meam defenfionem, ac retundendæ tuæ impudentiæ fufficere judicatur, repono. An & in hoc cafu qui facerdotis furorem abs fe repulerit, unctos domini violaffe judicabitur? Quin potius fi cui ex tuo ordine omnino placeat virus fuum in alterum evomere, tutius cathedra facra abutetur, ubi intemperies animi & affectuum malignitas fpeciofiore fub prætextu defævire poteft. Aft ubi

ad ſcriptionem publicam idem provolaverit, non eſt quod eximiæ quid ſortis præ reliquis ſibi polliceatur. Si enim falſi quid aſſerit, erroris arguetur. Si fictis criminationibus de aliorum exiſtimatione detrahere inſtituat, mendax & calumniator audiet. Si inepta ſcripta edat, eruditis ludibrium debebit. Si rationem ejeraverit, ſtolidus judicabitur. Si, quæ convitia eructet, nihil penſi habuerit, furere videbitur. Si imperite de rebus, quas non didicit, judicium ferre inſtituat, Midæ fraterculus nuncupabitur. Porro uti cum Præſulatu Garlæano nihil mihi negotii eſt; ita quæ pro ſalute mea cura vigilias tibi, mi Geſeni, imperat, plane ſupervacua eſt. Neq; enim tali nobis ſacerdotum genere heic opus eſt, qui ſub imagine precum fœdam animi inflammati rabiem exhalant. Dira quoq; iſta carmina tuo potius capiti cane. Et ſi quid precando vales, ora, ut tuam tibi ruditatem & veſaniam agnoſcere detur. De cætero uti hautquaquam timidum aut imparatum me offendent, ſi quibus forte deinceps calamum in me ſtringere placeat; modo inſcitiam, iracundiam, & fædas calumniandi artes procul habeant: ita Geſenio id honoris ſufficere debet, quod meâ operâ ad qualemcunque nominis celebritatem protractus fuerit, qui antehac in alta velut caligine Garlæam bibebat. Si in poſterum furere pergat, optimum reſponſi genus fuerit, contemnere & ſiſilere.

CARO-

CAROLI SCHARSCHMIDI
J. U. L.

DISQVISITIONIS
DE REPUBLICA MONSTROSA
DEFENSIO

Contra

Monzambano & Samuel Pufendorfium.



§. 1.



St nasutum quoddam hominum genus, quod dum vix satis inferiores hausit disciplinas, se altioribus pertaxandis leviter immiscet. Est vero ex illis, qui postquam regulas Philosophiæ moralis & politices vel historiam paulò pleniùs aliis, suâ quidem opinione, didicerunt, imperfecta ista studia in universalem rerum scientiam diffundere gestiunt, magni, si Diis placet, Polyhistores & gigantei Orbis literati Atlantes evasuri. Relictis hinc subselliis altiores Facultates, ut vocant, seu disciplinas hinc inde velut mures arrodunt, & simulac summos tantùm apices degustarunt, aut rectiùs collutinarunt, quasi omnium Facultatum Doctores & Decani perpetui, adeò turgido ventre & vertice sunt, ut alteri metus sit, ne incoctam istam omniscientiam cructet stomachus.

§. 2. Imprimis verò inepte persuasi isti Polyhistores per Corpus Juris cursitant, unaque vel altera evolutâ lege, id tanquam rem levidensis bracchii censent, cùm miselli ne mentem legis vel terminum satis intelligant; quod *Angelo Politiano* contigit, qui Jurisprudentiam levitatis arguens ne quidem respondere poterat; quid esset *suus heres*. Egregius Polysthistor! Quid quæso de aliis expectandum? Inepta tamen ista persuasio

ſio imbecilli animo nata plures hactenus tenuit, ut vel de ſummis rebus ſibi ſumpſerint judicium, ac ſi criticæ ipſorum ſapientiæ hoc tantùm eſſet relictum arbitrium, quod pro imperio aliis obtrudere poſſint, cùm corniculæ iſtæ ne principia,quæ hic præſupponuntur, habeant cognita,ut infrà dicetur; Aſt mentis ſuæ & dolii tenax Cynicus.

§. 3. Et maximè Auguſtiſſimum Imperium hactenus pluribus pro cenſuræ fuit argumento,modò tres regulas philoſophicas didicerint, ac ſi Imperium eſſet campus,cui quisque ſcholaſticus papiliones cerebri ſui debeat immittere, aut ex imperfectis iſtis & generalibus regulis plenè judicare poſſit de individuo Reipubl. Ut enim barba & pallium non faciunt Magiſtrum, ita nec regulæ generales perfectum Imperii Germanici cenſorem. Et tamen iſtud hominum genus iniquè ſecum agi blaterat, quod ipſorum judicia velut ex tripode haut excipiantur, cùm tamen ea polleant ſapientiâ,ut vel penetrare poſſint, ubi Patres Romani quondam habuerint urinarium.

§. 4. At verò quando cum iſtis penitior noſtræ Reipubl. inſtituitur diſquiſitio, non in toto tantùm ſed & partibus, circumtorquent capillos & oculos, quaſi ex Ægypto in deſertam veniſſent Arabiam, ubi ut ſoli, ſic ingenii ipſorum hic ceſſat ubertas. Nam ſi quæris, quo pacto ſe habent Auſtregæ in Imperio, an per has jüri Cæſaris,præſertim quà Judicium Aulicum, derogetur? Ad quam quæſtionem barbam & naſum inſtar galli gallinacei demittunt, modò in terra vel inter ſi-

dera istam quærentes chimæram, aut animum plane in patinis habent, tanquam de austreis, von Austern/quæstio fuerit.

§. 5. Si ulterius instes, quem Judicem Cæsar agat per Imperium in Status singulos? Tunc recurrit ad Aristotel. vel Keckermanni Politic. ubi agitur de Magistrat. ex tali oraculo certam rei mox allaturus rationem, quasi qui sciat, quid sit Magistratus, statim etiam cognitum habeat, qualis Cæsar in Imperio judex. Unde saltem hoc apparet, quàm imperfecta sit illa doctrina ad hoc judicium. Quamvis nonnulli tam imperiti rerum Germaniæ videri nolint, quòd aliquando de *Auratâ Bulla* quid audiverint, aut ipsam plane capsulam in Vaticano inspexerint.

§. 6. Si amplius quæris, an Cæsar sit pactitius an necessarius Judex? Perinde putant utrumque; cùm tamen ex hoc discrimine maximum argumentum petatur discernendi Imperii à sociali systemate. Istis verò confusis frigida oriuntur judicia. Porrò si quæsiveris, quam jurisdictionem Camera habet, an Cæsar avocandis causis possit suspendere, an & quomodo illa distinguatur à Judicio Aulico; item quas partes Cæsar in Comitiis faciat, quodnam sit vinculum, quô Status Cæsari astringuntur, & alia plura? Tunc vel muti ut pisces sunt, vel ficulnea & impertinentia produnt judicia, de uno in alterum statum controversiæ refugientes, allatis per capillos contortis argumentis, quibus Soli noctem prius inferas, quàm evincatur id, quod est in controversia: helleboro

igi-

igitur aut explosione dimittendi. Et tamen scholastica ipsis adeò insedit tenacitas, ut potius contra Augustanam Confessionem quid statuerent, quàm regulas istas, ex quibus tamen, sine Jure Civili, Feudali & legibus Imperii nullum est de nostra Republ. judicium, aut certè jejunum, imperfectum. Quod isti censores eorumque sycophantæ ac mustacei adhærentes sibi persuadere aut assequi non possunt.

§.7. Opinio verò ista maximè illos occupat, qui in novellis fortè Academiis cathedræ adhibentur, qui per superciliorum postea circumferunt frontem, quasi ad subsellia Jovis essent admoti, cùm vix Officia Ciceronis similemve Tractatum profiteantur, *Hug. Grotii* famam vel antevolasse putantes, cùm tamen umbram tanti viri nondum assecuti sint, nisi quòd integras paginas ex ej9 opere transscripserint. Isti hominum generi maximè annumerandus *Magister Samuel Pufendorf,* qui hactenus singulares in moralibus & doctrina civili opiniones, ex obscuro terrarum angulo aliis pro imperio imponere voluit, velut Catholicorum sacramenta, adeò ut qui in ejus haut iverit partes, illum tam inciviliter & frivolè insectatus fuerit, tanquam Baccalarius in scholâ triviali pusillos, qui fortè Orbem Pictum aliter exponunt, quàm Dn. Præceptor. Hinc non adversariis tantùm sed aliis gravibus viris pridem dignus visus, cujus virulenta in censendo petulantia fuste aut ferula castigaretur, quò nares & nates ejus pualò obtusiores dediscerent pruritum frivolè cavillandi.

§. 8.

§.8. In lucem, presso priùs nomine, ne quid captas se putarer, dederam *Disquisitionem de Republ. Monstrosa* contra *Monzambano* Satyricum Imperii censorem, in quo scripto respondi simul argumentis *Pufendorfii*, quibus Severinum suum defendit; nullibi tamen ullius mihi persona traducta, ut legenti patebit, nisi quòd regularum mysteria haut palpaverim. Sed tamen importunus iste censor, relictis nonnunquam causæ argumentis, aculeatas in me vibravit sugillationes, ac si undecimus Decemvir mihi corrigendo esset positus. Ridebam primò hominis insolentiam, eamque contemptu potiùs transmittere, quàm agnoscere induxeram. Sed tamen ne sinistrè forsan acciperetur silentium, in hoc sedit animus, ut ne gratis isthæc mihi fecisse sentiat. Tali enim didactico nasturtium pro didactro solvendum. Porrò igitur retorquenda erant tela, quæ vel barba vel pallio excipere poterit. Id tamen ipsum benignè monitum velim, ut nasum Ariovisti scutô præmuniat, ne sentiat ictus & hebescat; illô enim obtuso certè Imperii forma maximè periclitabitur.

§. 9. Primò quidem hoc urgeo, quòd dicax iste censor nomen meum corruptè detorqueat, falsarii notam incurrens, quod viri boni non est. Nec ista corruptio toties repetita mihi pro errore typographi. Nec credat in suo nomine haut reperiri posse scommata. Si quis enim pro *Pufendorf.* dixerit *Pubendorf* vel *Pusillendorf*, per me equidem poterit, nec absurdè forsan nec inique. Alibi me juvenculum vocat &c. Sed sit licet

Anta-

Antagoniſta barbatus vel planè corniger, mihi perinde fuerit. Vulgare hoc eſt ex annis tantùm metiri virtutem; non raro enim in vaſtâ barba rara ſapientia, ut Legati Veneti Græculo iſti Cæſari annos ipſorum taxanti regerebant; ſc. Rempubl. Venetam facilè hircum barbatum mittere potuiſſe, ſi Cæſari equidem tanti barba æſtimetur. Imò ineptit Dominus Magiſter arguendo iſtum juvenculum, qui per duodecim continuos annos in florentiſſimis Germaniæ Academiis hucusque verſatur, ante ſex ferè annos habitâ, pro ſummis in Jure honoribus, Inaugurali Diſputatione, non ſine teſtimoniis publicis, pluraque in ſuperioribus præſtitit, quàm talis nunquam Philoſophus, cujus tota, quâ crepat & orbem literatum in ordinem redigere ſatagit, ſcientia regulis moralibus (*in ſingularibus enim, quæ ex jure deducuntur, Philoſophus certè jejunus erit Apollo*) & politicis abſolvitur, quæ ſecundarium hominis ſtudium duco. Hæc quidem pro jactantiâ acceperit; at ſciat, contra obtrectantes loquenti dari veniam; nam nec Cato nec Cicero aliique de ſe dicere erubuerunt. Intentato ictui, quæ ſcribo, imputentur.

§. 10. Taxat hinc dictionem velut ineptè conciſam. Sed debebat noſſe, quòd in multis verbis fucus vel muliebris dicacitas; contrà verò in paucis veritas & virtus, quod *Lipſius* pridem ex *Tacito & Plinio* docuit. Imò inſolentibus cenſoribus admodum conduceret, petulcorum concidere calamum, ne tam frivole traducerent alios.

alios. Poſtmodum examinat, quod præmiſi, *pr. d. Disquiſ.* principium: *Poſſibilis in materiam forma inductio, menſura perfectionis rerum civilium.* Quô primò innuitur id, quod in formandis Rebuspubl. hoc pro menſura ſeu regula potiùs eſſe debeat, quod materiæ aptitudo & populi genius admittit, non quod idea & regula literalis fingit, adeò ut irregularis inde haut vocanda ſit respubl. licet non ſatis ad imperfectas iſtas regulas compoſita, modò pro fine & materia ſe rectè habeat, quod in civilibus ſit pro regula.

§. 11. Secundò forma Rerumpubl. nec probanda nec improbanda ad iſtas regulas, quæ nunquam ſatis applicari poſſunt in Reipubl. individuo, maximè quòd rigoroſa regulæ applicatio plus mali habeat propter vitioſitatem materiæ. In civilibus autem vices regulæ amittit, quod nunquam aut difficulter uſum admittit. Quod enim in paucis vel nullis objecti partibus applicare licet, quo jure regula vocabitur? Regulam ingeniosè concipere non ſufficit, quam materia utplurimùm reſpuit. Nam in antro Platonis non formantur Respubl. Tertiò, ſiquidem regulæ fuerint, particulares tamen & imperfectæ ſunt, nec totum objectum ejusque partes exhauriunt, hinc de univerſis, quæ exiſtunt & unquam futuræ ſunt, Rebuspubl. non poteſt inde peti adæquatum formæ judicium: Nam à præſuppoſito ſ. Rebuspubl. in individuo tum exiſtentibus earumque formâ regulæ iſtæ deſumptæ, quo pacto

igi-

igitur futuris Rebuspubl. propter objecti varietatem formam proponere queunt, utpote à particulari suppositο conceptæ? Si enim aliæ Rerumpubl. formæ tum extitissent, plures aliæque regulæ conscriptæ fuissent. Quô animadversô recentiores doctrinæ civilis scriptores plures regulas sc. reipubl. mixtæ formasque communiter statuunt, quas tamen dictator iste irregulares dicit, quasi ipse solus sciat taxare formas Rerumpubl. ut quæ simplices aut limitatæ non fuerint, irregulares sint.

§. 12. Ista igitur hucusque deducta fundamenta non subvertenda dederim, quicquid censor contrà ganniat. Nec fecerit huc, quod infrà opponit, *Vitruvium* præcepta architectonica pariter in posteriori conscripsisse, ædibus jam antè structis. Sed hoc non est in disputatione; illud tamen, an ædes hodiè ad regulas Vitruvii non formatæ, sint irregulares? Id quod ridiculum esset dicere, & tamen ita sentit censor circa regulas & resp. Judicent ergò cordati rerumque civilium periti inter me & Antagonistam. Palpatores inter corniculas refero, qui cum Magistro crocitant plerumque nescii, in quo statu & principiis lateat disceptatio. Ulterius *ad pr. d. Disquisit.* reprehendit, quòd omnis Reipubl. formam ex materia esse dixerim. Ast hunc Philosophum fortè fugiebat, quòd omnis forma, quæ cum materia interit, rectè dicatur educi & esse ex materia, quamvis à causa producente quid habeat. Cætera paulò mitigat infestum nomen irregularis Reipubl.

§. 13.

§.13. In *Cap. I. Disq. I.* hæsitat, quid ista sibi velit sententia: *Germaniæ Aquila non nisi in nido sola; plures enim sunt, qui fasces Imperii gerunt.* Quæ si non assequitur, haut ingeniosum se ostendit in rebus Imperii Oedipum. Circa *Cap. IV.* contra me defendit *Monzambanum*, ac si non serio ita colligeret: Si definitio Civis Aristotelic. de Statibus prædicetur, Imperium esse Democraticum. Ast verba *Monzamban.* vix aliud volunt. *conf. c. 6. §. 3. De Stat. German. Verb. Hoc si assumamus, sane Democratia erit Imperium Germanicum &c.* Et posito, quod serio id non velit, tamen invalidâ ista illatione non evincit, quod intendit. Concesso enim, status definiri cives sensu Aristotelico; concesso, omnes & singulos status esse cives; neutiquam tamen sequitur, E. Imperium est Democraticum. Nam perinde est, ac si dicerem, omnes in Republ. Optimates definiri cives. E. est Democratia; Illatio enim est ad universum à particulari: Ac si ita inferrem: *Dn. Magister Samuel & Dn. Severinus* sunt cives Upsalienses. E. est Democratia. Sic patescit ficulnea malè inferentis Severini defensio, ejusque coacta interpretatio. Anne Magister Severinum informare poterat, quod ut crudus Philosophus ex τῷ *omnis* collectivè de statibus sumpto malè fecerit enunciationem universalem.

§. 14. Porrò in terminis ejusdem controversiæ conchas pro spoliis colligit: Confundit enim jus suffragii cum notione suffragantis subjecti; ac si unquam mihi in mente fuerit, quòd ubi jus suffragii esset, ibi semper civis esse deberet, quasi non

in a-

in aliis ſocietatibus darentur ſuffragia ubi tamen ſuffragantes non ſunt cives. Deinde ſtringit illud Regem unicum regni vocari civem; ubi vocē *participat* urget, cùm tamen nō preſsè accipiatur; ſed ita, quod ſolus Rex jus ſtatuendi de Regno habeat, cæteri verò ſint ſubditi. Pergit autem regnicolas indigno deſignari nomine, quod ſervi publici vocentur, Rex verò tantum civis. Sed heus inepte cenſor, ſi data illic non ſufficit diſtinctio, anne diſtinguere poteras inter libertatem perſonalem & civilem, ejusque oppoſita, inter ſubjectum, de quo imperium, & illud, de quô ſubjectio & obſequium prædicatur. Ad quodnam igitur horum referentur regnicolæ, niſi ad alterum, quod perſonalem licet, tamen libertatem civilem non habet, cujus oppoſitum minùs abſurdè ſuo ſenſu dicitur ſervitus. Nemo enim negaverit, illos cum aliis ſubditis ad claſſem ſubjectionis pertinere, quamvis in aliis v. c. familia, dignitate, opibus &c. differant.

§. 15. Circa *cap. V.* Severinum ferè deſerit in mea tranſiens, quòd Imperium à regulari ſyſtemate diſcrepet, *quia ejus membra nec planè abſoluta, nec ſuperioris neſcia, nec in votis æqualia;* cùm tamen Monzambano proximè ſyſtemati inæqualiter fœderatorum accedere dicat. Multa enim præter jam dicta obſtant, quò minùs ita ſentire liceat. *v. c. 5. d. Diſquiſ.* Quæ porrò profert, quòd membris Imperii ſubditorum conditio non congruat, hæc Jur. Publ. Interpretes in utramque partem diſputant, alii verò diſtinguunt. Simpliciter certè claſſi ſubditorum ſtatus jungi, civilis eorum vetat qualitas,

litas, quamvis in nonnullis vix ſecus cenſeantur. v. c. in Judicio Aulico, in juramento, quod Cæſari præſtant, ne de curialibus dixerim.

§. 16 Præterea dum inane putat id, quòd dixerim, *fœderatos pro lubitu renunciare poſſe fœderis ſtatus vero hoc non poſſe.* Inanem potiùs prodit cenſuram. Eſt enim & in hoc non leve diſcrimen Imperii à fœdere. Quod verò ſubjungit; *nihil obſtare, quò minùs contrahatur fœdus æternum, cui ſinguli non poſſint renunciare*, illud primò non eſt in quæſtione, ſed ad alium ſtatum controverſiæ pertinet; imò ſi ſit, ex pacto eſt, ſecùs verò in Imperio; ſecundò, ſi tale pactum fœderi adjicitur, naturam fœderis egreditur. Omne enim fœdus & ſocietas ſpeciem amicitiæ habet, & de ratione ejus intrinſeca eſt, quod ſit arbitrarium, præſertim in duratione.

§. 17. *Nemo eſt, Puſendorſius ait, qui Cæſari adimere velit jurisdictionem, quam vi electionis ſuæ habet. Sed ſcopo Severini ſat eſt, quod illa talis non ſit, qualem veri reges in ſubditos ſuos exercent.* Verùm eô ipſo, quò Severinus Cæſarem inæqualiter fœderatum ſtatibus facit, Cæſari neceſſum eſt intervertatur jurisdictio in ſtatu neceſſaria, quæ non poteſt ſtare cum fœderato. Nec ſcopo Severini ſufficit, quòd illa non exerceatur ut à vero rege in ſubditos ſine cauſarum exceptione. Nam rem penitiùs inſpicienti omnino patebit, quò Cæſar in iſto judicio ſolus agat judicem neceſſarium in ſtatus, qui ſubditorum vice hic cenſeri poſſunt, v. *ſupra n. XV.* quod certè ratione juris Cæſarisq; reſpectu ſat

regium

regium licèt in parte objectivâ sit quædã exceptio. Ea denique censor fugitivo pede & silentio transmittit, quæ contra ipsum proposui *c.5.* §.*2. d. Disq.* quod nec ipse nec Severinus discernere potuit judicem compromissorium àCæsare: adeoque silentium est argumentum ignorantiæ in his principiis, sine quibus nemo de Imperio rectè judicabit. *Vid. suprà.* Prius igitur præcox iste penitiùs inspexisse vel penes studiosum Juris (hic enim pro doctore tam rudi legum tyroni suffecerit) Collegium ad ff. visitare debuerat, antequam se in ista diffunderet, aut intra subsellia maneat.

§.18. Circa nexum feudalem Statuum ignorantiam suam iterum prodit in principiis feudalibus; dicit enim; nam sufficit, *quòd per istum scil. laxatum nexum feudalem, Ordines ad conditionem subditorum propriè dictorum non redigantur;* quasi ex opposito, ubi nexus feudalis non esset laxatus, statim poneretur subditus. Sed falleris Dne. Magister, & miseram in hisce prodis nuditatem, adeoque consultiùs erat nasum suspendere. Interim quòd sciolus iste Polyhistor hîc erraverit, nec ipse nec mustacei ejus palpatores crediderint. Sed ita miserè cum rebus humanis comparatum, quòd maxima pars ducatur affectibus. Severino injuriam fieri asserit, si de isto quis sentiat, quod nexum feudalem sublatum statuerit. Ast & hæc contorta est & erubescenda defensio. Qui enim investituram Statuum inanem ceremoniam, unde nihil juris fluat, dicit, in effectu nexum Vasallagii tollit. Unde vel ex ignorantia

vel

vel impudentiâ Severinum cenſor defendit. Eat igitur in dolium ſuum Philoſophus, ne tam frigidè alienis judicium inferat.

§. 19. Quod dixi, Rempubl. noſtram, ſi verè in fœdus eat, à regibus minùs monarchicè tractari, pro commento iſte habet. Sed obeſus aut fallax „ſit, qui ſecùs ſentiat. Sereniſſimi Imperii proce- „res dudum ſubolfaciunt, quid lateat monſtri „ſub commento Germanici fœderis, quô æmula „teguntur conſilia, hinc ab extero ſycophantâ „vix aliud ſibi perſuadendum dederint.

§. 20. Circa §. *3. c. V.* me redarguit, ac ſi ad Landſaſſios extenderem, quæ de Statuum inveſtiturâ dicuntur. Sed ſi rectè *d.* §. perlegiſſet aut fuiſſet aſſecutus mentem, & quæ hîc iterum præſupponuntur principia, haut dubiè ſilentio ignorantiam horum involviſſet. Nam rudem iſtam Severini illationem per inſtantiam à Landſaſſiis retundere volui. Sic enim iſte infert: Statuum inveſtitura eſt ceremonia & ritus, quia ſua territoria jure hereditario ad poſteros transmittunt. Hæc eſt inferendi ratio. Sed dedi inſtantiam. Atqui Landſaſſii ſua quoque feuda transmittunt ad poſteros vel jure hereditario, vel jure feudi pro diverſa hujus natura. E. ipſorum inveſtitura eſt ceremonia. Quare abſurdè dicitur.

§. 21. In §. *4. d C.* contra Severini de inveſtitura opinionem hoc inſuper eſt argumentum: Si vi inveſtituræ nihil Statibus daretur, nihil ex oppoſito auferretur. Abſurdum eſt poſterius, E. Aſt hoc Noſter improbat, more tamen ſuo. i. e. ſine

rerum

rerum intellectu. Nam omninò sub certo modo & parte & juramento per investituram Statibus conferuntur territoria, ut partes universi, pacto autem isto & modo non servato, revocari poterit id, quod sub modo fuerat datum. Modus verò consistit in hoc, ut Status juramentum investituræ observent, Cæsari & Imperio sint fideles, ipsi assistant, nihil contra salutem & dignitatem utriusque molituri &c. uti sunt juramenti formalia: Nun hinfür von dieser Stunde an sich Euer Käyserl. Majestät allen derselben Nachkommen am Reich/ Römischen Käysern und Königen/ und dem Heil. Reich treu/ hold/ gehorsam und gewärtig seyn/ auch nimmermehr wissentlich in den Rath seyn sollen noch wollen/ da ichtwas wider ihre Käiserliche Maj. Person/Ehre/Würde oder Stand gehandelt oder fürgenommen wird/ noch darein willigen oder gehaben in einige weg/ꝛc.

§. 22. Ex his fluit felonia indeque territorii privatio, quæ collationẽ illius præsupponit; idque patescit insuper ex eo, quod Statuum territoria, casu contingente, revertantur ad Imperium, unde per investituram venerant. Nec Philosophus iste hæc fundamenta subvertit his verbis; *Nam & simplici pacto hoc caveri potest.* Unde potiùs apparet, quod argumentum illud non perceperit, adeoque dum ad pactum provocat, statum quæstionis immutat: Statuum quippe territoria mediante vasallagii & investituræ vinculô, adeoque intrinsecâ sui naturâ, retrahuntur ad Imperium. Et pacta ista, quibus unius fœderati in familia fortè ex-

tincti regnum alteri accedat, plus ex somnio habent, quàm fœderum usu. In reliquis verbis d.§. *nescio quid mysterii latitet*, ait. Verum illa pro mysteriis habet, quæ non intelligit.

§. 23. Circa §. 5. Severinum falsò à me accusatum dicit, quasi juramenta fœderis & fidelitatis confundat: hinc defendit ipsum sequentibus verbis. *Id enim vult iste; Summum Imperium etiam posse competere illi, qui juramento alteri est obstrictus, imò & qui juramentum fidelitatis præstat, si nempe per illud salva relinquantur talia jura, quæ cum conditione subditi stare nequeunt.* Triobolaris igitur Severini Patronus existimat, quòd summum imperium dari possit in eo, qui juramentum fidelitatis alteri præstat, modò jura habeat, quæ cum conditione subditorum stare nequeant. Sed hoc est quod controvertitur. Vasallo enim, quà tali, licèt majora subditis habeat jura, summum imperium propriè competere non potest, quamvis materialiter quà partes objectivas id exercere videatur, non tamen formaliter; utpote non absolutè, non independenter, non sine reddenda actuum ratione, quæ omnia destruunt summi Imperii formam & veram notionem. Nam Vasallus totum id, quô est Vasallus & in quo vel circa quod summum imperium habere dicitur, ab altero habet subordinatè, per modum dependentiæ, beneficæ concessionis, sub obligatione recognoscendi superioris, sub metu privationis feudi, reddendæ rationis, imò ne quidem directum habet dominium, quô pacto igitur summum imipe-

perium? Hinc nec Grotii ſimpliciter admittenda ſententia *de J. B. P. L.1.c.3. n.23.* licet diſtinguat inter rem & habendi modum; modus enim ſub quo feudum tenet Vaſallus, tantus eſt, ut ne poſſit ſtare cum ſummo Imperio.

§. 24. Et licèt non omnia iſthæc circa Statuum territoria obtineant, illorum tamen plurima, cum quibus ſummum imperium conſiſtere nequit: nam illa ipſa dependentem habent, cum recognitione ſuperioris, non abſolute, ſub metu privationis &c. Eat nunc ficulneus *Severini* Procurator & defendat ejus argumentum: ſc. Salvis his Statuum juribus præſtatur juramentum fidelitatis, E. ipſis poteſt ſummum competere imperium; ſeu, E. juramentum fœderis & fidelitatis parùm differunt in quæſtione ſc. ſummi imperii. Unde prudenti facilè patebit, an rectè ſe habeat, quam oppoſui Severino, inſtantia: Atqui homagium ſubditorum ſalvis intelligitur juribus eorum & privilegiis. E. Id enim volo, quòd ratio inferendi ſe malè habeat. Jura enim Statuum quamvis majora ſint juribus ſubditorum, (de hoc enim non eſt controverſia) tamen non ſunt talia, quæ coincidant cum jure ſummi Imperii vel fœderati, de quo eſt diſceptatio. Sed ineptus cenſor de uno in alium controverſiæ ſtatum deſultoriè vagatur, dum cruda Severini argumenta elucidat.

§. 25. Circa §. 6. jejunam dicit explicationem formulæ in fœdere inæquali conſuetæ, ſc. *alicujus majeſtatem comiter colere*; putat autem dicax, *Socios, qui comiter populum Romanum colere*

lere tenebantur, ad plura præstanda obligatos fuisse, quàm Status Germaniæ Cæsari, nisi quantum hi ultrò consenserint, id quod facilè potuissem perspicere, si Romanos autores evolvissem. Verùm, quod citra jactantiam sit, arrogans censor sciat, me plures forsan rei Romanæ scriptores à capite ad calcem perlegisse, quàm ille hinc inde evolverit; insuper sciat, frigidè & absurdè dici, inæqualiter fœderatos, qui alterius majestatem comiter colere teneantur, ad plura obligatos, quàm Cæsari Status: Hi enim quòd nec inæqualiter fœderati nec absoluti sint, ad plura omninò tenentur, dum Cæsarem non solùm comiter colere, sed & necessariò recognoscere ut superiorem & judicem debent, nihil contra ipsum moliri sub pœna privationis territorii; cùm contrà ista comis observantia quandam prælationem alteri tribuat, & ut quis alterius majestatem conservare teneatur, ut ejus imperium in tuto sit eique sua dignitas constet. uti *Grot. J.B. & P. L.1. c.3. n.21. exponit.*

§. 26. Circa §. 7. me dicit frustraneum esse *contra Dissertat. de Republ. irregular.* §.24. ubi hæc leguntur: *Frustrà esse, quæ contra Severinum circa fœdus disputantur. Ipsius enim mens non est, Rempubl. Germanicam fœdere expressè contineri; sed id duntaxat vult, vinculum civile eousque degenerasse, ut vix virium plus habeat, quàm fœdus aliquod systematicum sociorum inæqualium.* Ita temperat mentem Severini ita sententis; hinc opposui. §.7.*d. Disquisition. verb.*

ubi

ubi facta primùm scil. vinculi civilis taxatio, vinculo Vasallorum non subditorum ordines strictè retenti Imperio. Postmodum & hic paulatim se laxavit nexus, in quibusdam tamen saltem effectibus v.c. servitiis feudalibus, non autem planè desiit aut ad fœdus usque degeneravit, quippe restat ejus intrinseca ratio, qua reverà contradistinguitur vinculo fœderis. Vasallus enim qualiscunque demum, propter investituram aliaque inde ventientia necessariò dispar fœderato. Hæc verò frustrà opponi putat, cùm pro astruenda irregularitate sufficiant. Verùm primò de irregularitate ex his principiis hactenus non controvertitur, sed de fœdere, an Status hoc teneantur Cæsari.

§. 27. Secundò, si prædicta penitius intelligat, & quidnam sit vasallagium, plus satis deprehendet, vinculum statuum non tantum forma sed & effectu differre à fœderatorum quamvis inæqualium nexu. Qui enim vinculo vasallagii ab altero sua recognoscit eique tanquam superiori obnoxius est, imò coram ipso tanquam judice necessario stare tenetur, is omninò tali astringitur vinculo, quod reipsa longe discrepat à sociali. Tertiò non simpliciter absurdum fuerit & contra statuũ jura, ipsos, sicut singuli spectentur, in respectu ad Cæsarem & universum Imperium; subditorum vices in nonnullis sustinere, v. c. in decretis Comitialibus, Judicio Aulico, juramento vasallagii &c. Id enim in materiâ civili haut insolitum, diversâ conditione censeri. *v. supr.*

§. 28. Examinat poſteà hujus argumenti verba *in §.8.c.5.d.Disquiſit.*ſc. *in fœdere qua tali non eſt accuratè majeſtas, ſed eſt in ſingulis non tamen ut talibus. Sed in* Germaniâ *quâ tali* ſcil. *univerſim ſumpta eſt majeſtas, qua non datur in ſingulis ut talibus verum univerſis.* Horum ambiguum partim & varium dicit eſſe ſenſum; Sed hic genuinus eſt, ſc. inter fœderatos quà tales non eſt majeſtas, qua alter alterius imperio ſubſit: In Germania verô, quatenus univerſim conſideratur, eſt majeſtas, quæ ſupponit aliquam in ſingulis ſubjectionem, non tamen ſimpliciter perfectam *v.ſupr.* Subjectio enim gradus admittit & ſpecies, & tam in partibus objectivis quàm ſubjecti variare poteſt, uti eſt civilis materia, in qua non ut in Matheſi philoſophamur. Idque nec Status diffitentur, tam ipsâ re quam curialibus, reſpectu ad Imperium habito, non territorium.

§. 29. Progreditur hinc ad *Cap.VI. Diſquiſ.* ubi in anteceſſum monet, ſibi rempubl. irregularem & morbidam unum & idem non eſſe. Sed hoc perinde fuerit; nam in his terminis nec Status controverſiæ conſiſtit, ſed longè gravioribus, de quibus hactenus: nec abſonum fuerit, moraliter nominare morbum, quod irregulare aliis dicitur, quibus aliàs hoc nomen vitioſum & morbidum audit. Nec Puſendorfius exiſtimet, contra ſe ipſum tantùm rem geri, *conf. Tractat. ejusd. de Republ. irregular.§.3. verb. Porrò morborum, quibus civitates infeſtantur, alios videmus oriri ex malitiâ hominum, alios ex prava diſpoſitione ipſius civitatis.*

§. 30.

§. 30. Deinde miratur, quid in mentem mihi venerit, quod ejus sententiam ex illa putaverim deductam regula: *omnes inter gentes aut unus aut pluras aut omnes imperant*; quasi hæc regula, si in principia resolvatur, non coincidat cum Pufend. fundamento, quod in unitate voluntatis publ. constituit, ita quidem ut in regulari monarchia omnes actiones publicæ à voluntate unius sc. regis, in Aristocratia & Democratia regulari ab uno concilio proficiscantur, in quo majoris partis consensus etiam pauciores dissentientes obliget. Hæc ferè redolent pileum scholasticum, sub quem omnes respubl. & rerumpubl. formas & actiones censor redigere satagit, adeò ut quibus iste pileus aptari nequeat, irregulares aut fœderatæ aut monstrosæ dicantur. Sed hactenus inventor horum principiorum talem non meretur autoritatem, ut isthæc velut præcepta artis omnibus probentur, sintque irregulares statim, quæ illis haut respondeant respubl. Sufficit enim quod unitas voluntatis & actionis publ. talis sit, qualem scopus & genius reipubl. desiderat, id quod pro regula esse debet, ut *pluribus supra*.

§. 31. Ad §. *3.* monstrosum putat hoc ratiocinium: *Aut igitur illa regula (de qua §. praced. XXX.) est imperfecta, aut continet etiam respubl. licet non plane simplices, quas vocant irregulares.* Sed mõstrosis forte id inspexit oculis. Supra enim prius probatum, illas regulas à supposito particulari conceptas, non sufficere, igitur pro regulis circa universas, quæ futuræ erant respubl. Nec fecerit con-

tra quod offert fundamentum in unitate voluntatis publicæ positum; cum & in rebuspubl. non simplicibus illa unitas sit, licet non eodem modo & iisdem subjectis, quibus in forma simplici inesse solet. v. §. *XXX. prac.* Quod posterius attinet, adhuc dixerim, corpus morale ex duobus simplicibus regulæ membris compositum irregulare penitus non esse; nec exemplum à corpore physico sexuque diverso sumtum huc fecerit; utpote hæc naturâ ipsâ differunt, nec unus in alium formari potest sexus; cum tamen simplex reipubl. forma in aliam mutari vel cum aliâ conjungi possit, subjecto eodem manente.

§. 32. Inter monarchiam porro irregularem & irregularem rempubl. nihil interesse opinatur, adeoque ubi monarchia irregularis detur, irregularem quoque dari rempublicam. Sed quàm ineptum sit hæc confundere, patet inde, quod monarchia & respubl. differant ut genus & species, quam differentiam non tollit contingens irregularitas; quod extrinsecè vel intrinsecus naturam rei specificam afficit, non statim quoque genericam impetit vel ex ratione rei specificâ veniens discrimen tollit. Adeoque prout monarchia & respubl. invicem differunt, sic & irregularis monarchia & irregularis respublica; alias unum idemque essent, possentque reciprocè dici, iisdemque constarent regulis, quod rude fuerit dicere præsertim Philosopho.

§. 33. Quis enim ita colligeret: Irregularis respubl. est. E. irregularis monarchia est. Vel vice versâ

versâ: Irregularis monarchia eſt.E.irregularis reſ-publ. niſi addas ſub concepta ſpecie ℣. *c.* monarchiâ,ſed ita ſtatim irregularitas,quæ prædicatur de genere,reſtringitur ad certam ſpeciem,quæ genere continetur. Recte igitur loquendo, irregularis reſpublica eſt, ubi reſpubl. in eſſentialibus & forma generica non ad præcepta regulaſque reipubl. in genere recte ſe habet, tam in toto quam partibus ejus ℣. *c.* ordine imperandi & parendi, in ſenatu, magiſtratibus & judiciis, nec ad genium populi & ſcopum ſatis diſpoſita attemperata. Monarchia vero irregularis eſt, ubi in formâ ſpecifica & partibus accidentalibus reſpubl. monarchica ſe non ſatis rectè habet: ad præcepta & regulas monarchicas ℣. *c.* Si unus non habeat jus ſtatuendi de republ. ſed ejus poteſtati circumpoſitum ſit optimatum concilium,ſine quô ſumma reipubl negotia tractari non poſſint,licet unus iſte in proportione tantùm poſſit, quantum reliqui in decretis & conſiliis publicis, ſic naſcitur monarchia irregularis, ſuperinductâ ſimul formâ ariſtocraticâ, quæ tamen illud ipſum reipublicæ ſuppoſitum in eſſentialibus non mutant, hinc minus accuratè monerchia irregularis & irregularis reſpubl. pro uno ſumuntur, & qui ſecus ſenſerit, pro philoſopho bubulcus fuerit.

§. 34. Quæ ad §. *4. & 5.* habet de Republ. Spartana & Athenienſi, in ea circa §. *7. ſeq.* inquiretur. Cætera concedit,ſcil. formas rerumpubl. magis ad genium & conditionem populi attemperandas, quam ad regulas formarum ſimplicium.

Idem repetit circa §. 7. verb. *notum fuerit, quod forma reipubl. ad conditionem populi sit adaptanda* &c. Unde hoc colligitur primo, quod primariò & potius in rebuspubl. formandis, attentenda sit materiæ capacitas populiq; ratio & genius, quarũ regula, ut non tam ad hanc, quam ad istam velut mensuram disponatur forma reipubl. *conf. supr. n. XI.* Hinc secundò illud sequitur, si artis regula in opere ad artem formando non tam attenditur, quam conditio objecti & materiæ, ex cujus capacitate semper æstimatur & deducitur perfectio formæ, certè regula ista aut non erit regula, aut plane imperfecta.

§. 35. Circa §. 6. reprehendit id, quod dixi, regulares respubl. magnas communiter pati convulsiones easque plures, quam respublicæ formæ non simplicis. Sed scire debuerat, respublicas simplicis formæ occulto velut ductu & impetu de una in aliam tendere volvique formam, dum nullum ex oppositâ formâ retinaculum, more humani ingenii, quod novitatis utplurimum appetens. Ubi vero respubl. duplici forma gaudet & attemperatur, ibi tam pronus & præceps non est ad revolutiones lapsus, una enim forma alteri mutationem parturiendi velut obex est & obstaculum, nec occultus iste impetus tantus, ubi reipubl. jam inest, ad quod alias simplicis formæ moles tendere solet sc. ad aliam formam; quod pridem rerum civilium peritis observatum.

§. 36. Quod autem in hoc Romanæ reipubl. exemplum inepte à me allegatum putat, historiæ illius

lius reipubl. nimirum discrepat. Percurrenti enim insigniores illius Reipubl. periodos facile apparebit, utrum in statu regio, hinc consulari,& interjecto spatio, Monarchico, res Romana melius se habuerit uniusque obnoxia convulsionibus, an potiùs in eo statu, ubi consulare & optimatum imperium multis hactenus seditionibus agitatum admissâ ad partes reipubl. plebe minuebatur, mutatâ sic formâ reipubl. simplici, id quod ex Floro, si Livium exhaurire nimium fuerat, didicisse poterat, juncto Tacito & Vellejo. An fortè respicit ultima illa tempora, antequam in unius servitium per omnes hactenus formas circumacta ruebat respubl. Tum enim degeneraverat forma reipubl. paulò in Olicharchiam, cùm militares istæ & potentes familiæ certabant de summo unius imperio.

§. 37. Quæ ad §. 7. affert de exemplis Reipubl. Athenienſ. & Spartanæ, haut certè nodum solvunt. Nam respubl. Atheniensis erat regularis ad simplicem formam. Aristocratic. attemperata. Ista verò regularitas, si tenaciter durasset, reipubl. convulsionem & ruinam maturare poterat, perpetuis in Optimates odiis flagrante populo à reipubl. partibus excluso. Hoc verò malum animadvertens Solon populum ad jura reipubl. admisit, sublato sic vitio per formam duplicem, quod ex simplici venerat. Idque Solonis remedium laudat *Plutarchus & Aristotel. 2. Polit. X.* Quod igitur facit ad tollendos reipublicæ motus & mala, ad tranquillitatem & conservationem civitatis, id in civili ma-

teria potiùs pro regula erit, quàm quod ingeniosè concipitur, rarò aut nunquam verò in usum deducitur, aut utplurimùm pericula habet & mala. V. *supr. n.34.seq.* Idem ferè dicendum de republ. Spartanâ, ubi hoc jejunum est, quod censor irregularitatem deprehendit in binis regibus qui tamen, si ratione juris & potentiæ æstimentur, nihil nisi duces bellici erant. *add. Grot. J. B. & P. L. 1. cap. 3. n. X.*

§. 38. Quæ porro addit, quod licet regulæ istæ à posteriori natæ sint, nihilominus ex illis dijudicari respubl. utrum irregulares haberi debeant, an regulares; de quo jam suprà dictum, quam ridiculum sit, ædes dicere irregulares, quæ ad Vitruvii regulas non sint exstructæ; par ratio est de rebuspubl. V. *supr. n. XII.* Cætera quæ circa d. §. habet, ad cavillationes & canum latratus remitto.

§. 39. Ad §. *8.* examinat ea, quod dixi, nullam reipubl. formam in esse proprie vitiosam, nisi plane sit contra finem civitatis. Contra quod parum faciunt, quæ afferuntur n. 1. Primum enim non est contra sententiam istam; nam & formam illam, sub quâ finis civitatis obtineri nequit, vitiosam dico: cætera quæ objicit, præsupponuntur, quod scil. forma genio reipubl. debeat esse accommodata. Vitia status vero magis ex subjecto majestatis oriuntur. Nec tantum in his est controversiæ pondus.

§. 40. Circa §. *10.* in vocem *temperamentum* inquirit, quem extendi non solùm ad modum & limi-

limitationes, ſed & ad ipſam rerumpubl. formam, nihil impedit. Subjungit tamen cenſor, primò, respubl. in formâ temperatas eſſe irregulares; quam cramben h.l.non recoquam,ſuprà enim plus ſatis dictum. §. *n. X. ſeq.* ſecundò negat inGermaniâ temperamentum monarchiæ ex ariſtocratia; rationem addit, *quòd nec ſtatus Germaniæ Senatorum ariſtocraticorum, nec Comitia Senatus ariſtocratici inſtar habeant, quod dudum ex Monzambano didiciſſe potuerim.* Sed ex tam rudi rerumGermaniæ magiſtro nunquam abſurda diſcere mihi ſedit,licet ſordidas iſtas merces denuò obtrùdat ineptus ejus palpator, qui eadem abſurditate laborat,dum ſtatus claſſi optimatum ſubducit,cum tamen alteram partem Majeſtatis ſubjectivam eamque ariſtocraticam faciant, in quâ Imperium diviſionem agnoſcit, non tamen in partibus objectivis & quidem maximis, quas Cæſar ſine ſtatibus, & vice verſa, expedire nequit, niſi conjunctim in Comitiis, quæ omninò ſenatus ariſtocratici inſtar habent ſaltem ratione ſtatuum, in quibus ſpecies ariſtocratiæ ponitur,& inter quos juxta majora concluditur, pauciſſimis cauſis nec ſine controverſiâ exceptis; hæc qui negaverit,ineptus aut imperitus ſit.

§. Cætera, quibus finem imponit, cavillationes partim ſunt & jactantia, dum velut medicus ſapientiæ turgeſcentiam compeſcere nititur. Aſt medicus iſte mihi videtur agyrta & circumforaneus, qui dum evellendis dentibus dolores retundere

B.

Cri-

Fides

Le-

lip-

O.

Ordi-

viles

Sacer-

S.

Vale-

V.

FINIS.